quidem & præſtantiſsimam de ſuis manum parauit, & peregrini exercitus copias coëgit ingentes, vt nõ ſolùm domi tuta ad omnem regnandi ſecuritatem foret, verùmetiam exteris potentibus eſſet formidabilis. Ea tamẽ reliquis pręſtabat omnibus, ſed Phariſæis quaſi inferior obtemperabat. Erat Diogenes in regno eius, qui de potentiſsimis Alexãdri amicis familiaritati eius inhæſerat, eum adorſi obtruncauêre, memorantes ipſius conſilio octingentos illos in medio vrbis ab Alexãdro cruci ſuffixos, in cæteros quoq; facinoris autores quoſque, vt pergeret vltio, mandatum. Necabantur itaque, quos Phariſæi præcipiebãt, non quos ſocietas ſceleris inuoluerat. Quo metu perterriti plerique, quibus huiuſmodi pericula intẽdebantur, & maximè præſtantiores opibus aut dignitatibus, ab Ariſtobulo interceſsionẽ implorauêre, vt matrem ab executione præcepti ſeuerioris, ad meliora inflecteret: Ille ſibi gratiam parare cupiens, nõ detrectauit. Mulier ægrè licet, oranti tamen filio conceſsit, vt cõtuitu honorũ, quos

Diogenẽ Phariſæi delatum occiderũt

Ariſtobulus pro facinoroſis ad matrẽ intercedit



quos geſſerant, qui in huiuſmodi inuidiam arceſſebantur, ſupremæ necis ſentẽtia mitigaretur, atq; eos tantùm, quos obnoxios ſuſpectaret, & patrandi flagitij incentores fuiſſe vrbe egredi iuberet. Qui accepta vitę ſecuritate, per agros dilapſi ſunt.

## Caput XIII.

EOdem tempore cauſa accidit, vt Damaſcum iuuentus dirigeretur, quoniam Ptolemæus frequentibus incurſionibus incolas memoratæ vrbis terrebat, cuius negotij neceſsitas occupauit de exercitu Alexandriæ validam manũ. Cleopatram quoque Tigranes, qui Armenijs imperitabat in vrbe, cui nomen Ptolemais, obſidione clauſerat, quem muneribus Alexandra mulcebat, vt à ſe auerteretur. Quem Lucullus facta irruptione in terras Armeniorum infectis rebus redire coegit, conſultiùs ducentem ſua tutari, quàm aliena adiungere. Tantis itaque negotijs intenta Alexandra, in morbum incidit. Quam occaſionem rapuit Ariſtobulus ad ſuas artes, & con-

Conſultius eſt ſua tutari, quàm aliena adiungere

& congregata manu, conſpirantibus ſecum, quos feruor naturæ ad prærupta quæque audendum cupienti adiunxerat, theſauros occupat, eorumque copijs inuitauit ad militiam voluntarios, ac pretio componit, vt in omnia quæ vellet fidem præſtarent, atque inſulas Regis induit. Turbatus animo Hyrcanus, matrem lachrymis conueniebat. At illa ſpirans ferocia, filios & vxorem Ariſtobuli in caſtrum recluſit, cui nomen primò Baris, poſteà Antonia appellatum, de quo ſuprà memorauimus. Cœpta Alexãdræ celeri eius obitu deſtituũtur. In hęreditatem omnẽ Hyrcanus ſucceſsit, qui viuente adhuc matre dignitatem iuduerat ſacerdotij. Ariſtobulus virtute & ſapientia præſtabat, res vſque ad contentionem atque in cõgreſsionem deducta: vbi conſertum, plerique relicto Hyrcano, illum alterũ bello meliorem ſecuti. Hyrcanus comitantibus ſecum, qui bello reliqui furant, confugit in Antoniam, repertiſque filijs & vxore Ariſtobuli, per obſides ſalutem inuenit, quia ne quid aſperum

Hyrcanus in matris hęreditatem ſuccedit omnẽ.



rum in ſuos fieret, Ariſtobulus pacto conſuluit: Conuentum fratrum huiuſmodi fuit, vt regno Hyrcanus cederet, atque ad Ariſtobuli ius omne imperij tranſiret, nec tamen Hyrcanum inhonorum relinqueret, ſed regni exortem honore alio fungi ſineret, quem ipſe impartiuiſset. Tranſactio huiuſmodi etiam religione templi ſacratam aſsenſionem vtriuſque tenuit voluntariam, inde cum gratia diſceſsum eſt, ac ſe inuicem ſalutantes, Ariſtobulus in aulam Regiam ſeſe recepit, Hyrcanus æquanimiter in domum Ariſtobuli conceſcit.

## Caput XIIII.

SEd fuêre, quos metus ac rerum mutatio inceſserat, qui ſe ſtuduiſse aduerſus Ariſtobulum recordarentur, & præ cæteris Antipater, is erat Idumæus genere, moribus apud ſuos clarus, non tenuis pecuniæ, & ideo præualidæ potentiæ, arte mira factus, ad contemnendam pecuniam propter conciliandam

liandam gratiam. Qui Hyrcanum conſiliis ſuis perterritum, quòd nullam ſalutis ſuæ ſpem tutam haberet, qui imperio deceſsiſſet, niſi transfugio ſibi conſuleret, vbi ad ſuas artes inclinauit, inſinuat Aretæ Regis fouendum auxilio virum, qui circunuentus foret, vt regno cederet, decorum hoc fore Regi, ſi arbiter fieret imperij reſtituendi, multoq; pulchriùs, ſi circunſcripto, cui primitiua regni competerēt, dolo ſublata reformari iuberet, illum verſutum & callidū, & ideo ſuſpectum vicinis: hunc mitem & quietum, qui pro ſummo beneficio acciperet, quicquid ſibi ab externo tribueretur, cui frater etiam regnandi ius ademiſſet. Præparatam itaque Aretæ Regis gratiam Hyrcano annuncians, fugiendi ſpem detulit, & viam demōſtrauit, vt ſecum peteret Petram, in finibus Arabiæ ſitam, quo in loco Regem adirēt, qui precibus Antipatri doniſque inflexus, plurimam bellatorū manum Hyrcano adiunxit, vt regno reſtitueretur. Erant ferè peditum equitumque quinquaginta millia, à quibus prima pulſus con-


congreſsione Ariſtobulus Hieroſolymam confugit, ibique intutus aduerſus tantam hoſtium multitudinē, quæ clauſum expugnauiſſet, niſi Scaurus ductor Romani exercitus alterius belli occaſione, quod aduerſus Tigranē gerebatur, ſoluiſſet obſidionē, miſſus à Pōpeio, cui recepti Mithridatis vltio grauis, belliq; in ſocerū trāsferendi propoſitū exarſit, qua cauſa Syriam infeſtari per Scaurum præceperat, quum ipſe Tigranem atque Armeniam vrgeret. Scauro itaq; aduenienti Damaſcū, quam Metellus & Lollius funditùs euerterant, occurrêre fratrum legati, ſibi quique Romanæ opis auxilium implorantes, & quàmuis inferioribus eſſet viribus Ariſtobulus, præponderauit tamen pecuniæ oblatione. Venditur ſumma prælialis certaminis talentis trecentis, & iuſtitia poſtulati pretio penſatur. Qua pecunia ſibi annumerata, denunciat Scaurus Hyrcano, Regique Arabiæ diſcedere ab obſidione, aut ſi permanerent, ſcirēt ſibi aduerſum Pompeium & Romanos bello certandum. Eo terrore obſidio ſoluta, Aretas Philadel-

Ariſtobulus Hieroſolymam confugit.

Scaur' miſſus à Pompeio obſidionē ſoluit.

Ariſtobu. preponderauit oblatione pecuniæ.

Philadelphiam petit, Scaurus Damaſcũ reuertitur. Ariſtobulus autem vix dum idoneus propulſando periculo manum colligit, hoſtem inſequitur,& ad Paparionem (id vocabulum loco) ſex millia hoſtiũ, ſimul & fratrem Antipatri Fallionem prælio fudit, Hyrcani atque Antipatri ſpes lapſa eſt, quibus fidutia omnis in Arabiæ viribus erat.

## Caput XV.

Magn' Põpeius Syriam adit.

SEd vbi Magnus Pompeius adire Syriam cœpit, & Damaſcum aduenit, à Romanis, quorum auxilijs infracti de manibus victoriam amiſere, opem poſtulant:Pompeiumque adeunt, tanquã iuſti arbitrum, & minimè auarum pecuniæ, allegationibus itaque non muneribus(vt antè)niti cœpêre: quoniam integer animus aduerſus corruptelam pecuniæ laqueis auaritiæ non capiebatur, & gratuitò odiſſe poterat fraterno inſidiatum honori:& ideo his eum adorſi querelis,quib' & Ariſtobulo fieret inuidia, quòd indignus aliena inuaſerit,& Hyrcano cõciliaretur gratia, cui vel merito

vitæ



vitæ, vel ætatis ſuffragio regnandi ius competeret, aſtipulante præſertim matris autoritate, quæ & iudicium eligendi habuit,& ius conferendi. Nec Ariſtobulus diu abfuit, quàmuis nihil in magno pectore,quod ſuis artibus conduceret, intueretur: Præſumebat tamen de Scauri redemptione, ſeſeque eius iactabat ſocietate. Venit itaque Regio ornatu prẹditus, & propè maiore,quàm ſolebat,ſtipat' ambitu, vt qui de iuſtitia diffideret,adquieſcẽdi præiudicium excluderet,ſpem obediẽdi negaret:ſed diutiùs tolerare Rom. Conſulis ſublimitatem nequiuit, cui moris erat regni exortĩ Regibus imperitare. Itaq; vbi ad vrbem ventum eſt,cui nomẽ Diopolis, aliò cõceſsit Rom. dignitatis ſupercilium,dedĩgnat' regni tumore.Qua ſeceſsione Ariſtobuli eſt nõ mediocris datus offenſioni locus,vſq;adeò commoto Cõſule, vt ſtatim arma Rom.in Iudæã conuerterẽtur. Coniunctis Syriæ etiã pleriſq; auxiliaribus, quẽ vbi comperit Ariſtobulus ad vrbẽ Scythopolim, atq; inde Coreas appropinquare,vnde erat Iudeę exordiũ

 poſſeſsi-

Ariſtobulus in Alexādriū caſtrum confugit.

poſſeſsionis, confugit in Alexandrium caſtrum munitum admodum, & in mõte altiſsimo ſitum. Quo cognito, iubet eum Pompeius deſcẽdere: at ille tanquã herili pręcepto obedire inde eorum exiſtimans periculum potiùs ſubeundum, quàm obtemperandum imperio animi immodicus arbitrabatur. Sed referta populis Romana caſtra deſuper ſpectans, ſimul à ſuis monitus, non laceſſendos, quorum in nomen ac poteſtatem totus propè orbis terrarum conceſſerat, deſcẽdit, pluribusque vſus, quibus regnum ſibi iure delatum aſtruere contenderat, vel generis debitum neceſsitudine, vel exercitus iudicio, qui ſecutus ſit validiorẽ, deſeruerit ignauum: vel euentu prælij, vel pacti conuentione ad munitionẽ reuertitur: rurſus cùm Hyrcanus conſulem adijſſet, vocatus ad iudicium Ariſtobulus, ſeſe repręſentauit: Sed cùm adhuc comperendinari cognitionem videret, in caſtellum regreſſus eſt. Medius enim inter ſpẽ & timorẽ putabat, ꝙ imperijs eius obediẽdo ad ſui gratiã Pompeiũ infleċteret. Sed ne vi adigeretur, iterum imperio



perio cedere, in Alexandrium ſeſe recipiebat. Nec præterijt Magnum Regis verſutia, iubet eum diſcedere munitionibus: idq; facturum, datis ad ſingulos cuſtodes munitionum literis, ſeſe aſtringeret: iuſsis quidem paruit, quæ non audebat refellere. Protinùs tamen Hieroſolymitanis mœnibus ſeſe abdidit, & bellum aduerſum Romanos parare cœpit. Pompeius quoque fugientem inſequi, vrgere clauſum, neque parandis belli vſibus tempus vllum dare, direxit Magni intentionem de Mithridate nuntius, quòd morte bellum finiſset, vrbis Hierico in finitimis ſuis Pompeium tenebat, cùm rei memoratæ indicia venirẽt: locus propè vrbem, in quo balſamum gignitur, virgultisque innaſcitur, quæ acutis lapidibus incidunt pueri agricolarum, perque eas inciſiones diſtillat humor lachrymis pulcher rorantibus. Inde vir militiæ vetus compoſitis ordinibus, ad veſperum caſtra mouit, & primo diluculo Hieroſolymitanis mœnibus aſtitit, atque improuiſus armatas acies infundit.

Locus quo balſamũ gignitur.

## Caput XVI.

Ariſtobu. obſtupefactus nihil nō offert, ſed pauca præſtat.

Gabinius à Pōpeio miſſus, ꝓ pecunijs expetēdis expulſus eſt ab Ariſtobulo.

OBſtupefactus Ariſtobulus diſpoſitionis ſpecie, virorū robore, militum alacritate, ſpontè occurrit, veniā precatur, pecuniam, vrbem, ſeq; offerēs. Verbisque in mollius ſuppliciter inflexis mitigauerat indignationem Conſulis: ſed irrita precatione, quia effect⁹ deerat promiſsionis, non ſolùm negatis pecunijs, ſed etiam vrbe excluſo Gabinio, qui oblatam petitum venerat, bellum incubuit. Nanq; Magnus adhibitis cuſtodibus Ariſtobulo, vrbis mœnia ſpeculari cœpit, atque explorare diligentiùs, quibus in locis tentaret irruptionem. Sed quum & valida murorum circumſpectaret, quòd expugnari nequirent, & templum in vrbe haud inferioribus circundatum munitionibus, vt geminum eſſet ingreſſus periculum, & à defenſoribus templi, & ab his, qui murorum propugnacula tuerentur, hæſit animo dubius, ſententięque incertus per aliquantulum temporis, cùm ſubitò intra vrbem orta ſeditio, volentibus Hyrcani





ſocijs vrbe recipere Pompeium, renitentibus Ariſtobuli propugnatoribus, illi portas aperire Magno, iſti obſerare, bellumq; inferre, ne Regem eriperent. Sed pluribus, quos terror potentię Romanę anxerat, ceſſere inferiores, atque in templum ſeſe recepêre ſoluto pōte, qui trāſitu peruio vrbem ac templum medius coniunxerat. Receptus itaque in vrbem eſt exercitus Romanus, & ſuis manibus Iudæi aperuêre portas: non multò pòſt vrbis ac templi expugnatoribus futuris. Completumque eſt illud Dauidicū: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. Spontè itaque tradidêre regalia ſua, ceſſere aulicis: Piſoni claro inter ſuos viro, & militiæ ſtipendijs exercitato, id negotij commiſſum eſt, vt manu valida aulam Regiam cæteraque vrbis tuenda exiſtimaret. Quod ab eo ſolicitè curatū, quaſi ad ea defendenda potiùs, quàm occupanda Romanum exercitum ductauerit. Ad templi autem irruptionē, quoniam pertinaciter reſiſtebatur, Iudæos Magn⁹ parauit ſocios videlicet Hyrcani,

Alij portas aperire, alij obſerare nituntur.

Completum eſt vaticiniū Dauidicum.

Piſoni aula Regia, cęteraque vrbis commiſſa ſunt.

vt ſi fieri poſſet, aliena Romani myſteria non profanarent: ſimul vt ſuis manibus Iudæi foſsas replerent, impio miniſterio & turpi obſequio ſeruierunt manus eorum in cophino, mentes in ſacrilegio: ſed nihil proficiebat congeſtio, cùm reniterentur è muris Ariſtobuli fautores, & deſuper afferrent impedimentum, irritaque Pompeio fuiſsent exordia, niſi incurrentibus ſacris religionis diebus, quibus ab omni vacare opere Iudæos vetus obſeruatio foret, imminere ſuos aggerendis terrarum tumulis imperauiſſet: ſola enim conſerendæ manus vſurpatione in cõſuetudinem verſa, etiam ſabbato, ſi tamen inferatur prælium, & ſalute extremum petatur periculum, decernendum ſibi ferro Iudæi exiſtimant: reliqua certamina religioni ducunt. Iam vallum excreuerat, iam machinæ admotæ, repugnabant Regij murorum altitudine fortiores, nec intermixti prælijs propriore Magni acceſsu inclinabantur. Stupebat Pompeius acres virorum animos, muri decorem ac magnitudinẽ, & nuſquam remiſsa officia Sacerdotum in



in medio belli furore: tanquàm profunda pax eſset, nihil deerat ſacrificiorum ſolennitati, inter bellorum iacula, morteſque cęſorum fundebatur ſanguis hoſtiarũ. Victima altaribus imponebatur, ante aram poſiti feriebãtur. Tertius iam menſis anceps adhuc certamen tenebat. Primus Sylla ortus Cornelio, Fauſtus, & duo Centuriones, quorum vni nomẽ Furio, alteri Fabius erat, deiecta terra murorum, templum irrupêre, ſingulis ſequẽtibus ſeſe cateruis, & circundãtes vndique templi interiora, quoſcunque repererãt, gladijs trãſuerberabant, cædebantur fugientes, repugnantes alij obtruncabantur. Nullus parcendi modus, nec tamen ea ſæuitia bellantium obſequia vatum impedita. Nudatis gladijs imminebat hoſtis, illi tamen ſine vlla perturbatione ſoliti vicem muneris exequebantur, Nullum intermiſſum eſt officij genus. Quicquid ad purificationis ſolennitatem, quicquid ad cultus ſacri obſeruantiam ſpectare poterat, impletũ eſt (Tanta erat cura miniſterij) atq; vtinã pro veritate deuotionis & fidei fuiſſet:

Sylla ort⁹ Cornelio.

ſet: maiora quoque à ſuis orta pericula, quàm ſibi ab Hebræis inuicem inferebantur, atque intùs pugna vehemẽtior, & à ſeditioſis propius & anceps periculum: à fronte externus hoſtis, à tergo lateribusque domeſticus vrgebat.

## Caput XVII.

Itaque concluſi vndique, alij ſe præcipitabant, alij patriæ incendijs exurebantur. Sacerdotes tamen vſque ad vltimum in ſuo munere perſeuerabant, hortãtes ſe inuicem, ne in poſterioribus ponerent officium religionis, quàm ſalutis præſidium: rectè ſecum agi, ſi pietati impenderent, quod deberetur neceſsitati, pulcherrimumque, ſi in patriæ ſinu ſepeliri liceret. Quid autem iuuaret videre, & ſuperſtitẽ viuere religioni? præclarum potiùs opus muneri commori pio. Quod ſi quis periculi metu deſerat, ſacrilegium eſt: ſi quis impleat, ſacrificium, & pia paſsionis victoria. Infulati itaq; Sacerdotes inter ſuas hoſtias immolabantur, & amicti ſacerdotalibus ſtolis inter cadauera cæſorum humi iacebant.

Infulati Sacerdotes inter hoſtias immolabantur.

Fuſa



Fuſa illic Iudæorum XII. millia, Romanorum pauci extincti, plures vulnerati ſunt. Nihil tamen grauiùs in illa miſeria ingemuerunt Iudæi, quàm quòd illa abſcõdita ante ſanctificationũ myſteria retecta gẽtibus, ac manifeſtata ſunt: deniq; Pompeius curarum iſtiuſmodi declinans ſuperflua, dum triumpho potiùs ambuſta ambiret, ſequentibus ſeſe ſuorum plurimis, vidit tabernaculum, ſecundum quod ſoli Principi Sacerdotũ ſolenni acceſſu patebat, atque intùs inſpexit lucernam, & menſam, & thymiamata, & tabulas teſtamenti: ſuperq; eas Cherubin, multitudinem aromatum diſperſam, & ſacræ pecuniæ talenta duo millia, in quibus quum plurimùm auri eſſet, integer tamen ab omni cupiditate vel ipſa, vel ſi qua ſacrorũ vaſorũ inuẽta ſunt, intacta ſeruari præcepit: & ſequẽti poſt excidiũ die Theocor' iuſsit mũdari tẽpli interiora, & celebrare aſſueta ſacrificia. Hyrc. quoq; principatũ ſacerdotij dedit, prõpter ei' opera vſus in obſidionis neceſsitate: nã etſi infidus ſuis, Romanis tamẽ fidelis, vt ſua patria expugnaretur.

Pompeius inſpexit tabernaculũ Iudæorum.

Hyrcan. ſacerdotij principat' datur à Pompeio.

Sed

Sed puto nemine dici fidelem poſſe, qui ſuis fuerit infidus. Non perfunctoriè itaque in ipſo prelio iuuit hoſtes ſuorũ, vel quid extra murum populi multitudinem annitentem Ariſtobulo retraxit ab eius ſocietate: ad omnia tamẽ, quibus vel præueniendi Ariſtobuli, ducendiq; eius autoritate, vel conficiẽdo celeriter bello Põpeius egregius imperator fuit. Præclarũ hoc addidit, vt in victoria modum teneret: denique benignitate ſibi magis, quàm terrore, quos vicerat, aſſociauit, autores tantummodò belli ſecuri percuſſit. Tributum quoque victis impoſuit, ſtatuit Ducem, Iudææ fines determinauit. Suis ergo finibus circũſcripta Iudæa eſt: reformauit etiam Gadarã, quam Iudæi euerterant, rogatus à Deme trio, qui patriæ ſuæ huiuſmodi gratiam à patrono popoſcerat: & in hac cauſa & in plurimis apud Magnum ſupra libertorum modum vſque ad inuidiam excel lens: Ariſtobulum autem cum filijs & ſocero eius captiuos ſtatuit ſecum Romam deducere: ſed vnus ex ſobole Regia in itinere elapſus cuſtodibus, domũ reuerti-

Ariſtobu. captus Romã deducitur.



reuertitur, ei nomen Alexandro, & fratre prouectior & ſorores duæ. Antigonus itaque æuo iunior, cum fœminei ſexus germanitate ad vrbem deducitur, Pompeiusq; Ciliciam, deinde Romam petijt.

## Caput XVIII.

AT in Syria Scaurus, cui Ducis officio præerat receptis vrbibus, quas Iudæi inuaſerant in Mediterraneis Scythopoli, Ippone, Pella, Samaria, Iamnia, Mirſa, Azoto, Arethuſa: maritimis quoq;, Gaza, Ioppe, Dora, & ea quæ Stratonis turris olim vocabatur: poſteà autẽ Cæſarea nuncupata ſub imperio Herodis, qui & ornatum addidit, & nomen mutauit, aduerſum Arabas bellum moliebatur, Iudæam inter Euphratem & Aegyptum: Syriam quoque ſuis reformatam finibus, iudicio coercẽs, prædandique cupidine, quod potiùs reor, quàm proferendi imperij gratia, ſummam regni Arabiæ Petram inuadere volẽs, difficultate quidem locorũm impeditus, irrumpere nequiuit: plura tamen vel propin

Turris Stratonis poſteà Cæſarea.

pinqua vrbi vel lōgè poſita deuaſtauit, quibus in locis exercitū eius morantem fames inceſſerat, ac penè incidiſſet facinus miſerabile, niſi per Antipatrum laborantibus Romanis Hyrcanus alimoniam miniſtraſſet. Ideōq; de cōſilio Scauri Aretam monuiſſet ſoluere bellum pecunia, deniq; trecentis talētis Arabs hoſte ſe exuit, Scaurū redemit, hoc regreſſionis eius pretium fuit, quę res Hyrcano fidam cū Romanis firmauit ſocietatē, & profunda pace ſecuritatē fouebat, ꝙ in locis hoſtilibus exercitui Romano, opera eius ex indigētia graui, frumenti ſatietas facta, auxiliumq; præſto fuit.

## Caput XIX.

Alexāder bellum aſſumpſit.

SEd vbi Alexander è vinculis Magni elapſus, primùm occultè & per aliquantum tempus manum ſibi idoneam congregans, deinde palàm percurſare cœpit Iudæā, exagitari Hyrcanus, & rebus ſuis diffidere, Romanos cura vrgere, ne bellum gliſcerent: quinetiā murum præparare Hieroſolymis conſtituerat, quem Magnus deſtruxerat, ac propè



pè aggreſſus fuerat opus, niſi Gabinius, qui Scauro ſucceſsit, curatis ſtrenuè cæteris, quibus terrorem ſui nominis ſparſerat, occurrendū Alexandri tentamentis æſtimauiſſet. Nec Alexander refugiendum arbitratus, ſed decernere prælio auſus cum X. decem millibus peditum, mille & quingentis equitibus etiam caſtella reparauit: Alexandrium, Hyrcanium, Macheruntam receptaculo ſibi (ſi res popoſciſſet) futura, vel hoſtibus impedimento, quoniam & Arabia non ſatis fida Romanis proxima erat. Gabinius, quò citiùs occurreret, M. Antonium cum parte exercitus præmiſit, vt iter hoſtium impediretur, donec ipſe cum toto agmine aduentaret. Antipater cum electis aduenīēs, & Malichus & Pitholaus diuerſis Iudæorum ſubnixi caterius, cū Antonio vires iūxêre, quos vbi cōſertos Alexāder vidit (nam iā & Gabinius aderat) flexit conſilium, vt retrorſum cederet. Sed quū iam non longè eſſet ab Hieroſolymis coactus manum conſerere, victus aufugit, necatis fermè tribus millibus ſuorum, cęteris captis aut dilapſis:

Gabinius Alexandri tentamentis occurrit.

vix

vix Alexandro pauci ſuperfuêre, potiùs ad fugæ ſocietatem, quàm ad rebellandi audaciam. Denique pacem à Gabinio petẽs, etiam caſtella, ne quid ſuſpectum haberent, Romanis tradidit. Eo bello egregiè Antonij virtus emicuit, quãuis præclarum vbiq; documentum ſuæ dederit fortitudinis. Gabinius in quinque conuentus Iudæam diuiſit, vt poteſtatẽ minueret, ex qua oriebatur potior rerũ inſolentia. Hyrcano pro manſuetudine ingenij eius ſacerdotij honor manſit: totius autem regionis eius conuentus nõ vni, ſed in communi Hieroſolymitanis à Gabinio cura impartita: itemque cæteri conuentus ſimili modo attributi, per Gadaram & Amathuntem & Hierico, Sefforitanosque, vrbes ſcilicet potiores diuiſit, quo & ſingulorum potentiæ nihil relinqueretur, & functio regionũ nõ vacillaret, quæ publicam expectaret ſolicitudinem. Quod & à Romanis ad releuandum rebellionis metum, & à Iudæis ad deponendam inuidiam cum gratia ſuſceptum: quoniam non ſub Rege, ſed ſub Optimatibus degeret Hebræorũ genus,

Antonij virt' egregiè emicuit.



genus, ad Reip. Romanę ſimilitudinem, in qua non vnus imperitaret, ſed per vices optimi quique, quibus ſortito magiſtratus ceſſerat, adminiſtrabant regni quidam exortes, ſed Regum arbitri, conſultum prouidè aduerſum inquietudinem gentis æſtimabatur.

## Caput XX.

SEd Ariſtobuli fuga reditusque in Iudæam plurimùm turbarum excitauerat, pleriſque refluentibus ad eum, quos veteris amicitiæ gratia ſolicitauerat, aut res vltimæ, quibus remedium ex diſcordia publica quærebatur: ima ſummis miſcere cupientibus, atque alię ſpes lapſæ forent. Regreſſus igitur Ariſtobulus munitiones ędificare, Alexandrium reparare cœperat: quo comperto, Gabinius Siſinnio & Antonio, Seruilioq; cũ parte exercitus directis, cœptum opus impediuit: deſertis enim munitionibus Ariſtobulus ſe bello parauit, & quia maiore numero quàm vſu agmen trahebat, deonerauit inermis populi multitudinem, & ſola octo millia armatorum coegit,

Ariſtobulus Alexandrium reparare cœpit.

coegit, adiuncto quoque Pitholao, qui voluntarius ex Hieroſolymis cum viris mille aduenerat: deinde orto prælio (imminebant enim Romani eius ceruicibus) aliquãdiu quidem ſtrenuè pugnatum, tamen præualuit virtus Romana, cæſa Iudęorum quinque millia. Ariſtobulus cum mille viris irrupit aciem, & in caſtelli Macherũtis munimenta ſeſe recepit, duo millia aliò dilapſa, adorſi tamen caſtellum Romani, per biduum fermè dilati: quoniam de vltimo periculo Ariſtobulus totis viribus decernebat. Sed nequaquàm diutiùs ſuſtentare potuit, captus cum filio Antigono, quem pariter fugiẽs de vinculis ſecum abduxerat, ad Gabinium miſsi, & ab eo Romam directi ſunt. Senatus Ariſtobulo in cuſtodiam detruſo, filios eius ad Bythiniam dimiſit, quod Gabinium ferunt epiſtolis inſinuaſſe, id Ariſtobuli coniugi promiſſum, remunerandæ ſedulitatis eius gratia, ob traditas ſibi munitiones.

## Caput XXI.

His


His in Iudæa geſtis, Gabinius audẽdum aliquid ratus, in Parthos expeditionem parauit: ſed ſuſpecta partiũ Ptolemæi Regis reuocauerũt profectũ. Nam ab Euphrate in Aegyptum Gabinius iter conuertit, vſus neceſſarijs ad omnia miniſterijs Antipatri & Hyrcani. Sed Hyrcani per Antipatrum, qui pecunia, frumento, armis, auxilijs quoque exercitum iuuaret, ac maximè congreſſiones circa Peluſium, niſi gnaris locorum & totius belli generis Iudæis omnia procurantibus, Gabinium facilè deterruiſſent. Sed rurſus morãte exercitu, Alexander Ariſtobuli filius in Syriam ſeſe alteram velut in vacuam Prouinciã immergere moliebatur, niſi rumoribus excitus Gabinius, reditũ maturauiſſet, præmiſſoq; Antipatro, reuocaſſet plurimos Iudæorum ab Alexandri ſocietate, quorum multitudine fretus, parabat omnes, quos in regione offenderat, Romanos exitio dare: denique dilapſis licet Iudæorum plæriſque per Antipatri conuentionem, audaciam tamen non depoſuerat, præliumque adorſus, in triginta

 millibus

millibus virorum circa Itabirium montem fuſis, cum decem millibus aufugit, reliquorum diſperſione bellum confectũ. Gabinius compoſitis ad arbitrium Antipatri Reip. Hieroſolymitanæ negotijs, inde profectus, Nabathæos prælio ſubegit: Mithridatemque & Tigranem fugientes de Perſide, occultè dimiſit: palàm tamen militibus intimauit fuga lapſos. Succeſsit Gabinio Craſſus, & profecturus ad Parthicum bellum, omne, quod erat Hieroſolymis aurum in templo, abſtulit: & prætereà duo millia talenta detrahi iuſsit, quæ Pompeius intacta reliquerat: nec longum lętatus, vbi tráſmiſit Euphratem, exercitum amiſit, & ipſe extinctus eſt. Eo ſucceſſu Parthi lætiores, tranſeundum in Syriam crediderunt, quos ſtrenuè inſidijs excepit Caſſius, & commiſſæ ſibi prouiuciæ finibus repulit, non ſine graui detrimento hoſtium: cùm effuſæ venientes, quòd nemi nem ſibi obſiſtere auſurum arbitrarentur, locis præuentos anguſtioribus occupauiſſet. Denique fuſis ſuorum pluribus, bellum deſeruêre. Caſsius repulſo hoſte

Succeſsit Gabinio Craſſus.



hoſte ſecurus Prouinciæ, in Iudæam irruit, & Tarichæis deletis, triginta millia Iudæorum, in ſeruitutem vendiderit. Pitholaum quoque ſuſpectum doli, quo partes Ariſtobuli fulciret, vendidit, iugulari iuſsit. Neque expers conſilij eius Antipater fuit, vt æmulum potentiæ q̃ maximè excluderet.

Craſſus in Iudæam irruit.

## Caput XXII.

IS Antipater cognouit vxorem, cui nomen Cypris, ſplendidiſsimo inter Arabiæ fœminas loco ortam, atque ex ea ſuſcepit liberos quatuor ſexus virilis, & vnam fœminam. Viris huiuſmodi vocabula: Primus Phaſelus, ſequẽs Herodes vocati, tertius Ioſippus, quartus Pheroras, & Salome filia: Eaque cauſa vir egregiè factus ad emerendam muneribus atque amicitia ſocietatem potentium, gratiam præ cæteris ſibi Regis Arabum conciliauerat, quia de locis Arabiæ vxoris acceptæ præcēdebat neceſsitudinem. Denique aduerſus Ariſtobulum decernere prælio parans filios ſuos, prædicto Arabum Regi, quaſi mutuæ charitatis pignora

Antipater ex vxore Arabica quatuor filios & vnã ſuſcepit fœminã.

Phaſelus, Herodes, Ioſippus, Pheroras filij, Salome filia.

pignora direxit. Quos ille quaſi depoſitum inuiolabile ſuſceptos, eo cultu quo liberos domi habuit, & poſteà repetitos patri reddidit. Sed cùm Ariſtobulus bello ſuperatus, in vinculis haberetur, Alexander filius eius cùm ſecundum conuentiones pacis, quibus eum Caſsius ad Euphratem rediturus deuinxerat, prælio vacaret, quum cōfinia Perſidis haud vllo ſuſpecta Parthorum tranſitu infeſtarentur, & blandæ tranquillitatis ſpecies in Orientis partibus humanas leuaret ſolicitudines, Cæſar tranſalpinis regionibus Galliarum Italiæ ſeſe infundens, Pompeium Senatumque vltra Ionium mare expulit. Italia excluſus, Aemathiam Magnus petit, eoque diuerſis ex locis Romana iuſsit agmina ſequi, ꝙ ibi bellum pararet. Quibus intentus gerendis Ariſtobulū, quem Romæ vinctū reliquerat, eum Cæſar, qui inter vrbem Romam atque Pompeium medius erat, quoniam de Flaminia in Appiam compendiarijs tramitibus Magnū ſequebatur, vt vel ipſum exciperet, vel intercipere eius exercitum vinculis leuatū, tribu tis

Cæſar Pōpeiū vltra mare Ionium expulit



tis etiā militaribus numeris in Syriam direxit, vt Iudæā ſibi adiungeret, Pompeiumq; à tergo vrgeret. Sed in exordio tētamentorum, vbi ad locum peruenit, veneno intereptus, imperfectum negotiū reliquit. Opinio mortis eius Pōpeij fautoribus aſſcribebatur: ita luſę ſunt diſpoſitiones Cæſaris, & deſtitutę Ariſtobuli cupiditate noua quadā mutationū varietate, vt tutior fuerit exul inter hoſtes, & in vinculis captiuus, q̃ inter ſuos ciues Dominus in cubiculo, Rex in cōuiuio. Quo cōperto, Pompeius, ꝙ Ariſtobulus in Iudæa recidiua ſibi bella reparare tentauerat, etiam filium eius Alexandrum iugulari iuſsit, ſuſpectum nimis ob partes Cæſarianas. Scipio Cnei mandatis obediens, pro tribunali ſtatuit reum, vt ſpecies iudicij prætenderetur, accuſatoribus quoque adhibitis, atque in eum, qui Romanam Rempublicam armis inquietaſſet, ſententia prolata, vt pro iuris potiùs autoritate, quàm pro executione præcepti, more quo Duces hoſtium cōuicti rebellionis, ſecuri percuſſus exiſtimaretur.

Cæſar veneno interemptus.

Pōpei' Alexand. Ariſtobuli filium iugulari iubet.

## Caput XXIII.

Ptolomę⁹ filiū ſuum Aſcalonā in vrbē di rigit.

COgnita vtriuſq; nece, Ptolemæus, qui ſuſceperat Ariſtobuli germanos, & vxorem Alexandri Philippionã, filium ſuum in vrbem Aſcalonam direxit, memoratos fratres accerſiturum: ille adueniens ſuſcepit Antigonum, atq; eius ſorores, vt ad patrem deduceret, vſu & conſuetudine amoris igniculus obrepſit adoleſcenti ignoſcendo profectò, ſi ſcirent tyranni ignoſcere, atque alteram de ſororibus accepit ſibi in con iugij ſocietatem. Non tulit hoc Ptolomæus pater, ſed occiſo filio nurum propriam ſibi iunxit: morum egregius cenſor, qui inexoratam in filio damnaret coniunctionem, vt ipſe ſe parricidio & incœſto contaminaret. Pompeio interfecto, qui dum arma Cæſaris fugit, Spadoni Aegyptio caput ſuum amputandũ præbuit, conuerſa res: præbuit tamen ea patientia caput, qua tantorum populorum aliquoties victorẽ decebat, & vt in illa victi ſorte exuliſq; conditione conſpiciens rerum humanarum ludibrium & vari-

Tyranni ignoſcere neſciunt.

De parricidio Ptolemęi in filium.



& varietatem, gladio ceruicem offerret, ab eo, cui regnum dederat, pro gratia mortem recepturus. Poſt cuius necem mutatio facta, pleriſque ex familiaribus Magni amicitiam Cæſaris expetẽtibus, præcipueq; Antipatro incredibilem in modum prædito, ad omnes, quorum affectarẽt amicitiam. Omnibus enim neceſſariæ opes, & maximè in præliorum apparatibus, vbi ex inimicis atq; aduerſarijs ſæpenumerò chariores efficiũtur. Etenim quia Ptolemæus Aegypti Rex fidem lęſerat, ab ipſo Cæſare bellis grauiſsimis premebatur.

De morte Ptolemęi.

## Caput XXIIII.

Pergamen⁹ Mithridates.

PErgamenus Mithridates cum omni manu, quam ſecum deduxerat, Peluſiacis repulſus obſtaculis, in vrbe Aſcalone reſederat. Deſperatoq; tranſitu & conatu irrito, nec iam ſe committere bello audebat, locis iniquioribus & impar viribus. Cui Antipater Arabas primùm in auxilium aſciuit, deinde tria millia Iudęorum valida manu & munita armis ſecum perduxit. Commouit etiam

D v

tiam Syriæ potentes in adiumentũ ipſius, Ptolemæum, qui habitabat in Libano, & Iamblichum, & Ptolemæum alterum. Quorum freti ſocietate, etiam alij populi ad bellum accenſi ſunt. Quibus adiunctis viribus fretus Mithridates, Peluſium acceſsit, & cùm tranſitu prohiberetur, obſidionẽ adortus eſt. Quò loci Antipater præclarum militiæ documentum dedit. Siquidem reſiſtentibus Oppidanis, cùm ſumma vi belli vtrinque decerneretur, primus cũ ſuis, dirupta murorum parte, in qua ipſe præliabatur, irrupit, eamque cepit. Nec tamen hic finis laboris adiumentiq;, ſed etiam, cùm introrſum exercitus pergeret, & circa eã, quæ appellatur Oniæ regio Iudææ, Aegyptij vellent reſiſtere, quò intercluderent iter, rurſus Antipater, non ſolùm remouit prælium, ſed etiam ad exercitũ iuuãdum, quæ neceſſaria forent vſui humanitatis, ab ipſis, qui arma contrà parauerãt, miniſtrari effecit. Vnde Memphitæ quoque animos à prælio reuocauerunt, & ſe Mithridatis ſocietati volẽtes dedidêre. Qui prętergreſſus ſuſpectiora, cum

Mẽphitæ ſeſe ſocietati Mith. adiunxêre



cum reliquis Aegyptijs conſerendum ratus, liberioribus quidem locis, ſed validioribus viris regionis ipſius, cuius incolatus Iudæorum exercitus appellabatur, ſtrenuè decertauit, adeò vt prærupto ſeſe periculo daret, ac penè extinctus foret, niſi Antipater videns totũ, in quo Mithridates erat, dextrum cornu à cohorte vrgeri, ex alia quoq; parte includi flumine, nec vllum effugium viris, irruiſſet à cornu ſiniſtro ſuper eos, qui Mithridatem cedentem perſequebantur, quos eouſque inſectatus eſt, donec omnis hoſtium populus extingueretur. Eo prælio octoginta ſolos Antipater viros de ſuis amiſit, ſuper octingentos Mithridates, ita vt ipſe præter ſpem euaſerit, atque in hoc vno momento clades ſecuta. Antipater multis vulneribus corpore exceptis, egregium virtutis ſuæ teſtimonium apud Cæſarem inuenit: Mithridate præſertim non ſolùm ſuæ abſolutionis interprete, ſed etiam fortitudinis prædicatore, quibus Regibus egregiè Cæſar delectatus, in honorem Antipatrum, vt oportebat, inter

Mithrida. pręter ſpẽ euaſit.

Antipater multis exceptis vulneribus egregiũ virtutis ſuę exhibuit teſtimoniũ.

inter amicos recepit. Deinde, vbi ea quę in Aegypto forent, conſtituenda diſpoſuit, atque in Syriam proceſsit, Romanę eum Reip. honoribus affecit. Talentum quoque contulit, cæteraque, vt probato ſibi viro, gratię ſuæ pignora impartiuit. Hyrcano etiam ſummum ſacerdotium de ſententia Antipatri volens firmauit.

## Caput XXV.

**Antigon' Cęſari occurit, atq; Antipatrũ accuſat.**

ANtigonus quoq; in Syria Cæſari occurrit, & quem, vel partis deflere ærumnam conuenerat, veneno per amicos Pompeij interfecti, vel ſuppliciũ germani; quem Scipio ſumma crudelitate, tanquàm reum ſecuri percuſſerat, inuidię magis quàm doloris partes exequebatur, vt Hyrcanum & Antipatrum incubare alienis, quæ ſibi & fratribus ſuis per ſcelus erepta forent, queſtu grauiſsimo coacerbaret extorrẽ ſe factum habitationis paternæ: terram, in qua ſit natus, negari ſibi, tamen ſuas iniurias tolerabiliores videri, multo acerbiores illas, quibus tota gens populi Iudæorũ ab Hyrcano & Antipatro afficeretur.

Eosq;



Eosq; de benè geſtis in Aegypto rebus vendicare gratiam, cùm illud Mithridatis iuuandi munus, non ex inſita in Cæſarem beneuolentia ſedulitas vlla detulerit, ſed ex Pompeianæ conſcientia ſocietatis formido extorſerit, vt eſſet offenſionis obtentus. Aduerſus ea Antipater, non verborum referens vicem, ſed rerũ aſſertorem, ſcidit veſtem, & nudus veſtimentorum, plenus vulnerum, diloricato amictu, offerens oculis circumſtantiũ ſpectatę indicia virtutis: En, inquit, maleuolentię meæ in Cæſarem teſtimonia, defendant reum, quę tanquàm animi lumina micant. Has ego cicatrices tibi Cęſar voluntatis internæ obſides tribuo. Hęc ego fidei meę depono pignora, & inſcriptos cordis apices gero. Si ciuibus non creditur, hoſtes interrogentur, pro quo vulnera illa ſuſceperim. Quid in me aliud, niſi fidem, quàm tibi deferrem, perſequebantur? At obiectat mihi Pompeij gratiã, fateor Cæſar, me non hominum, ſed nomini Romano amicum fuiſſe, idque ſtuduiſſe egregiè, vt veſtrę Reip. mea officia impenderentur.

**Antipater veſtem ſcidit.**

Militaui

Militaui itaque non vni, ſed omnibus, fuerit mihi charus Pompeius, ſed antè mihi ille cœpit amicus eſſe, quàm Cæſari eſſet inimicus. Tuus ille gener erat, & tu ſocer illius. Cùm eſſet in partibus Iudææ, iuui, vt Imperatorem Romanum, non tamen ea pro illo, quæ pro te excepi vulnera. Tibi impendi vades mortis, & ictus telorum excepi hoſtilium. Quid mirum autem, ſi captiuus vulnerum decus neſcit? & fugitiuus quid ſit fides ignorat? Quid autem perpetuus hoſtis obijciat mihi, niſi veſtrã amicitiã? Mirum ſanè videtur, quòd accuſatum quenq̃ Romanos adeat Antigonus, quos bello ſoleat inceſſere, atq; apud eos exutum ſe imperio queratur, cuius vſum ac negotium, non ad ſui potentiam, nec ad inſigne domeſticum, ſed ad laceſſenda arma Romana, & vlciſcenda patris germaniq; exercitia deſiderauerit. Ingratus ſalutis tribunal Romanum nõ timeat, ſed etiam audeat vltrò inceſſere, cùm ſciat iſtic rebellionis ſuæ conſortem pœnas luiſſe. Vbi Antipater finem dicendi fecit, Cæſar pronũtiat



tiat dignum magis ſacardotio Hyrcanũ videri: Antipatro autem detulit poteſtatis electionem. Tum ille eundem arbitrum honoris & moderatorem expetens, atque in eo, qui honorem daret, ponens menſuram honoris, aſtutè ſatis & verecundè decus tulit, & incrementum potentiæ. Totius enim Iudææ procurator factus eſt Antipater, ſanè popoſcit, vt muros Iudææ, qui bello diruti fuerant ædificaret. Tantumque negotium datæ fidei ſecurus, & poſtulauit & impetrauit. Eaque, vt moris erat Romanis Imperatoribus, arbitrio Cæſaris in Capitolio ſcripta ſunt, quæ inſignia honoris Antipatro conferenda Cæſar æſtimauiſſet, vt & ſuæ iuſtitiæ, & meritorum viri, poſteritatis quoque cognitioni indicia extarent. Proſequutus autem Cæſarem Antipater ex Syria, in Iudæam flexit iter. Et primò, quem Pompeius deſtruxerat, murum in veterem ſtatum reformauit. Deinde tumultus repreſsit, conueniens ſingulos affectu parentis, nunc mollioribus monitis, nunc minis, vt

Antipater popoſcit muros Iudæorum ædificari.

vt quę pacis eſsēt potiùs, quàm belli, ſequenda arbitrarentur, néue exaſperarēt animum Regis. Qui ſi inoffenſus maneret, ciuem præſtaret: ſi commoueretur, tyrannum exhiberet, & ſi mitis eſſet natura Hyrcanus, cauerent tamen, ne eum contumelia exacerbarent, ſibi quoque ſtudium eſſe, vt in medium conſuleret, pro ſolicitudine pia, non pro poteſtate. Sed ſi nouare aliqua tentarēt, vindicandi animum ſibi non defuturum, Romanorumque amicitiam potiùs, quàm dominationem experirentur. Cui enim dubium foret ex amicis in arma erupturos, ſi eum, cui regnum ipſi firmauerāt, cognouiſſent regno exutū? Simul quia lenitudine ingenij tardiorem Hyrcanū nouerat, ad exequēdas publicorum munerum neceſsitates, filijs ſuis diuidendā tuendæ regionis curam putauit, quòd ille impar tantæ moli imperioque eſſet. Phaſelum itaq; ſeniorem ex liberis pręſulem Hieroſolymis & Ducem militiæ conſtituit. Herodem quoque minorem natu atque admodum adoleſcentem pari honore Galilææ præfecit. Qui vbi poteſtatem

Phaſelum Ducē militiæ conſtituit. Herodem natu minorem Galilęæ pręfecit Antipater.



teſtatē adeptus eſt, natura acrior ad obeunda negotia, ſtatim ingenio ſuo materiam inuenit.

## Caput XXVI.

LAborabat enim Syria Ezechiæ latronis incurſionibus. Quibus ille prædatoriæ manui princeps totam infeſtabat prouinciam, atq; omnibus locis infenſus erat. Quem correptū iugulari iuſsit, multosque prędonum interemit, quod ei maximam virtutis gloriam peperit, & huberem apud Syros gratiam. Vnde in vrbibus ac vicis canentium vocibus celebrabatur, quaſi pacem & quietem publicam multo pòſt tēpore reformauiſſet. Excitabat hic ſermo ſedulò plebis rumore diuulgationem piam laudis fraternæ, vt Phaſelus, quē iuniorem natu adæquare virtute non poterat, adæquaret mētis benignitate, allectis in primorum locum beneuolētia præſtantioribus, qui ſe vera temperarent gratia. Vnde & maxim⁹ honor Antipatro, quaſi parēti publico, deferebatur. Ipſe tamē nihil de beneuolentia ac fide mutauit,

Syria laborabat incurſionib⁹ Ezech. latronis.

qua obſeruare Hyrcanũ ſolitus erat. Sed difficile eſt in proſperis inuidia carere. Deniq; primũ tacitus Hyrcan⁹ ad iuuenũ laudes vellicabat, vehemẽtiùs tamẽ eum, quę præclarè geſta in Herodis operibus ferebantur, exaſperabant, quẽ vltra leges Iudæorũ & priuati modũ progreſſum videbat, vt oẽm ſibi cũ fratre ac patre vendicaret potentiã, Regẽq; exuerent omni honore, cui nihil præter nomen reſediſſet, ꝙ vacuum poteſtatis inanem ſpeciẽ præferret. Deniq; incõſulto eo plurimos neci datos, ac ſine mãdatis Regalibus interfectos, quos lex patrum perire non ſineret, vnde oportere Herodẽ in cauſam vocari pleriq; aiebãt, vt rationẽ daret, qua gratia violauerit legẽ, quę inauditos vetaret exitio dari debere: Aſſurgere Hyrcanũ, vel hinc experiri, vtrũ Regem, an priuatũ ſeſe Herodes gerat. Qui vocatus in iudiciũ, niſi adeſſet, manifeſtũ fore, quò tãta eius inſolẽtia aſpirauiſſet. His atq; huiuſmodi Regiorũ ſatellitũ ſermonibus Hyrcan⁹ per inuidiã paulatim accẽdebatur, qui propiorem ignauiæ pudorẽ increpitabãt, ꝙ Regalium

Difficile eſt in proſperis inuidia carere



Regalium negotiorum iure deceſſerit, transfuſa in Antipatrũ & filios eius poteſtate, quos Dominos conſtituerit licẽtia ſibi regnandi imminuta. Quibus excitus, ſtatuit Herodẽ iudicio ſuo nõ deſore purgaturũ, quæ aduerſum leges vſurpata obiectarent. Herodes tametſi in iudiciũ ſe vocatũ indignaret, tamẽ vel patris monitis, vel cõſilio placidiore aduẽtabat, prçoccupatis Galilçæ munitionibus: ſed tamẽ neq; inuidioſo agmine, vt bellũ minari videretur, nec iterũ in tuto præſidio, vt ſalutẽ proderet, fult⁹ quoq; Sexti Cæſaris erat aſpirante ſibi gratia, ꝗ metuẽs, ne quid iuueni inſidiarũ irrogaret, prçſcripſerat Hyrcano mãdatis ſeuerioribꝰ, vt à iudicij grauioris periculo tẽperandũ putaret. Vnde magis abſolutionẽ iudicij Sexto detulit ꝗ voluntati, ꝗuis Hyrcanus, etſi inſimulãtibus ceſſerat, vt eũ in cauſã vocaret, volẽs tũ abſoluerit, quoniã ſeruare Hero. ꝗ perſeꝗ malebat. Sed ille iuuenili calore iniuriã dolẽs, abſolutiõis ingrat⁹, prexit ad Sextũ propoſito ſtudio, vt ſi iterũ vocaret, nõ obediret, deditq; obtrectãtib⁹ inſimulãdi locũ:

Sextus Cæſar ſcripſit pro Alexãdro.

 quàmuis

quàmuis Hyrcanus non aſſurgeret ad vltionem, cùm videret ſuperi ore: Recordatione tamen iniuriæ (quæ tractando alitur) excitus Herodes, congregato exercitu petebat Hieroſolymã, vt ſolueret omnem Hyrcani poteſtatem, ac penè effecerat, niſi à fratre infractus & patre, impetus eius conſenuiſſet, rogantibus, vt inſurrexiſſe ſatis putaret, & mutatione vindictæ modum poneret, abſtineret tamen ab Imperatoris exitio, ſub quo nõ mediocrem aſſecutus foret gratiam, vt tantam poteſtatẽ adipiſceretur: Læſum quidẽ videri, quòd in iudicium vocatus ſit, ſed rurſus affectũ gratia, quòd abſolutus. Durum nimis, ſi iniuriam proſequatur, & pro ſalute ingratus ſit. Dubiũ deinde ancipitemq; eſſe bellorum euentum, grauẽ quoq; inuidiæ ſarcinã, cùm Imperatori ſuo arma inferat, & ei qui paterno affectu eũ fouerit, ſępiùs iuuerit, nequaquàm læſerit, niſi cùm malis conſiliarijs vſus, vmbram ei excitauerit iniquitatis, qua ſe luſum arbitraretur.

Herodes magno exercitu Hjeroſolymã petit, vindicaturus Hyrcani rebellionem.

## Caput XXVII.

His



His & talibus fregêre iuuenilem impetum, bellumq; inteſtinũ à Iudęa remotũ, ſed Rom. interuentione transfuſum, atq; in eos verſum. Siquidẽ à Cęcilio Baſſo Sext' Cæſar dolo intereptus eſt, & poſteà Iuli' Cæſar triẽnio & ſeptẽ menſibus poteſtate functus perpetua, qa priuati habitum ſupergreſſus fuerat, in Senatu graues pœnas dedit, Caſsio Brutoq; autoribus. Vnde congregatis vrbibus, cùm vltũ iri filius Iulius adoptiuus patris exitiũ, adiuncto ſibi Antonio deſtinauiſſet, quia maximã belli partem, miſsis auxilijs Herodes iuuiſſe æſtimaretur, totius Syrię eidẽ regendæ cõmiſſa eſt ſolicitudo. Quæ res Antipatro cauſa letalis exitij fuit.

## Caput XXVIII.

Timens enim Malachus Antipatri potentiam, quæ virtute Herodis cumulabatur, corrupto vno de Regalibus miniſtris, Antipatro venenum parauit. Quo potato, poſt conuiuium ſtatim moritur Antipater, impigro in cæteris ingenio, & maximè quærẽdo ſtabiliẽdoq;

Malachus Antipatrũ veneno è medio auferri curauit.

 Hyrca-

Hyrcani imperio vir ſtrenuus. Tulit grauiter Herodes obitum patris, cõmotoq; exercitu, vltorẽ pollicebat̃, ſed fraterno cõſilio reuocatus, ne bello inteſtino Iudæa inter Herodẽ & Malachum vexaretur, parato ad repugnandũ, & maximè diſsimulante Malacho, q̃ necis Antipatri cõſcius foret, in aliud genus vltionis facilè traductus eſt, vt ſatisfactione accepta, q̃ nulla fraude Malachi Antipater obiſſet, Hyrcanũ ac Malachũ Herodes ad cœnã vocaret, & de ſẽtẽtia Caſsij, q̃ etiã ſuis id negotij mãdauerat ad obeundam vltionem directis: parati Centuriones præpoſitiq; Romani exercitus, venientibus Hyrcano ſimul ac Malacho occurrêre in littore, atq; euaginatis gladijs vtrunq; eorũ circumſtetêre. Solũ tamen Malachũ multis vulneribus confoſſum ac laniatũ ſupremo exitio trucidauerũt. Conſternatus eo terrore Hyrcanus, ſenſum amiſit, atq; omni ſolut⁹ vigore mẽtis & corporis corruit. Pauliſper tamen vbi ſeſe recepit, interrogato Herode, q̃s præcepiſſet Malachũ occidi, vbi cognouit ex Prępoſitis Caſsij Roma. Imperatoris

Malachus multis cõfoſsus vulnerib⁹ trucidatur.



toris iuſſu necatũ, ilicò reſpõdit: Caſsius ergo & patriæ meæ ſaluti fuit, q̃ vtriuſq; inſidiatorẽ pemit. Sed hoc ſiue prę metu dixerit, ſiue ita ſenſerit Hyrcanus, haud liquido patet, neq; noſtro diffiniri poteſt iudicio. Inſurrexerat Elichus, q̃ fraterna neceſsitudine Malachi mortem cupẽret vlciſci, ſed quia Herodem laceſſere non audebat, fratrem ipſius Phaſelum laceſſendum arbitrabatur. Quo cognito, Herodes mouere ſe cupiẽs, retentus eſt corporis infirmitate. Elichus intereà munitiones quaſdam, & præcipuè Maſſadam impoſitis præſidis occupauerat. Sed vbi Herodi refuſus ſalutis vigor eſt, recepta oĩa, ipſumq; Elichũ de munitione Maſſadę, Herod. obſecrantẽ dimiſit. Interpellauerat eius potentiã Antigonus Ariſtobuli, adminiculãte ſibi Ptolom. ſocero, quos Herodes pręlio fudit, & eiecto Antigono, Hieroſolymã victor reuertitur. Magna gratia etiam recentis triumphi, & præcipuè nouæ coniunctionis. Nam primò Doſis ei cõiunx adhęſerat, ex qua Antipatrum ſuſcepit filium, poſteà Mariamnẽ Alexãdro Ariſtob. filio genitã, ſecun

Elichus, q̃ alio noĩe Felix apũ Ioſ. li. bel. Iud. j. c. x. & Antiq. lib. xiiij. cap. xx.

Phaſelum pulſat, fratris vindicaturus mortem.

Doſis Herodis coniunx.

ſecundis ſibi nuptijs copulauerat, Hyrcano proximam, atq; ob ea regali præditam nobilitate. Nec tamen inuidiā euaſit, ꝙ regnum præreptum ire Hyrcano affectauerat. Nā vbi bello Macedonico Cæſar atq; Antonius Caſsium Brutūq; oppreſſere, victoresq; alter in Italiā regredi maturauit, alter in Syriam properandum credidit, legationibus plurimis affluentibus conuenêre ad Antoniū Iudæorū quiq; potiores, atq; in Bithyniā proceſſere, accuſantes Herodē fratrēque eius Phaſelum, eò ꝙ ipſi violenter inuaſere rerum omniū poteſtatē, nomen ſolùm Hyrcano ad ſpeciem honoris dereliquiſſent. Sed præſentia Herodis præualuit & gratia, qui nō mediocri pecunia, ſed & muneribus opimis Antonij animum ſibi deuinxerat. Vnde ne ſermone quidem vllo perſtrictus ab Antonio, euacuauit inuidiam aduerſum ſe directæ legationis. Iterum centū ferè viri Iudęorum Antiochiā aduſq;, non minore ſpiritu accuſatū profecti, apud Daphnē offendêre Antonium, iam totūCleopatrę amoribus deditū, atq; eius libidini deſer-

Antonius tot' Cleopatrę amoribus deditus.

uien-



uientē, ibiq; arguere cœperūt intolerabilē fratrū poteſtatē. Meſſala contrà refellebat aſsiſtēte Hyrcano, & inſolentiā gentis redarguebat, quę factione paucorum excitata ſuos detrectaret, alienos quęreret, Hyrcaniq; iniuriā prętexeret, cùm Hyrcanus, ꝙ ciuibus eſſet accōmodum, præoptauiſſet. Cognitis itaq; allegationibus partium, interrogauit Hyrcanum Antonius, quos aptiores eſſe arbitraretur. Cuius affectu ſecundum Herodem ac fratrem eius conueniēte, quū voluntati ſuę reſponſa congruerent, delectatus admodum, ꝙ erat fratribus paternę hoſpitalitatis copulatus neceſsitudine, quādo eum cū Gabinio aduenientem in Iudæam gratiſsimè ſatis Antipater hoſpitio recepit, multiſq; percoluit officijs. Herodem & Phaſelū Tetrarchas ordinauit, totiusq; Iudeæ procurationē agere pręcepit. Hinc quoque multiplicatus eſt numerus conquerētium: nam etſi alios legatorum cuſtodia receperat, alios affecerat contumelia, illi tamen poſteà Legati ad Antonium in vrbe Tyro degentem, facta Hieroſolymis ſeditione

E v perge-

pergere præcepti, voluntati ciuium nō defuerunt. Et quamuis grauiter eſſet in reclamantes vindicatum, rurſus tamen perſtrepere auſi ſunt: miſſus ab Antonio Tyriorum Pręſes, qui corriperet in ſolentiæ reos, cùm tam ipſe quàm etiam Herodes atque Hyrcanus quærerent, ne ſibi grauiſsima ſupplicia, patriæque perturbationes, & cauſas bellorum gignerent, vbi nihil profectum, ſed irrationabili contentione miſceri omnia cœpêre. Direxit Antonius armatos: à quibus alij cæſi, alij grauiter ſaucij, ab Hyrcano tamē aut ſepulturæ mortui, aut medicinæ: qui potuerant euadere, gratiam adepti, geminæ humanitatis occaſionē dedêre, qua eius in ciues beneuolentia manifeſtaretur. Cæteri quoque, qui effugerant, ita vrbem exagitando exaſperauerunt Antoniū, vt etiā in eos, quos vinctos tenebat, ſuprema ſupplicia mandaret.

Præſes Tyriorum.

## Caput XXIX.

Ceſſerat acerbitati inſolentia, ſed decurſu ferè biēnij effuderat ſe Syriæ Parthorum



Parthorū exercitus Pacoro Regis filio, & Barzafarmane Perſarum Satrapa, Barbarum agmen ductantibus. Quibus ſtimulator acceſsit Lyſanias Ptolemæi filius defuncto patre, cui cognomentū Mēneo fuit, exut⁹ iam poteſtate per memoratum Satrapā, ſolicitauit Pacorū promiſsis mille argenti talentis, & quingētis mulierib⁹, vt Antigono regnū daret, Hyrcani ſolueret ſacerdotium. Pacorus miniſtro Regio partē equitatus dedit, & quoniam ipſe rebellionibus intra Syriā detinebatur, vt in Iudæā tranſiret, atque Antigono rem gereret, & ſtudium eius iuuaret: ſed hoc quoque parùm proceſſerat, niſi confligentibus aduerſum ſe Iudæis, Herode ac Phaſelo, & contrà Antigono Ducibus de ſententia Antigoni propoſitū foret, vt Pacorū conciliatorē pacis reciperēt. Quod Phaſelus ingenij facilitate obnitente Herode, probatū in tēpore, mox ſibi pernicioſum expertus, cognouit naturâ Barbaros eſſe infideles: nā miſſus ad Barzafarmanē, quaſi pacis executorē, & cum Hyrcano profectus, occurrit Satrapæ, aſtutè ſatis velanti inſidias

Lyſanias Ptolomæi filius.

inſidias ſpecie benignitatis. Deniq; profecturis munera dabat, & quemadmodũ ciucũuenirẽtur diſpoſitionibus ſuis cõſtituebat. Proſequebantur eos cuſtodiæ magis cauſa, quàm ſocij periculorum. Deferebantur nuntij, quòd mille talentis Parthus redemptus foret ad exitium memoratorum. Ofellius quoq; fugam ſuadebat, quòd à Saramalla Syrorum ditiſsimo factionem eis paratam cognouerat. Sed nec ſic quidem adductus eſt Phaſelus, relicto Hyrcano ſibi conſulere. Verùm adorſus eſt Satrapam grauioribus cõtumelijs, quòd pretio fidem proderet, pluriſq; pecuniam, quàm æquitatem duceret, ampliùs pro ſalute ſeſe dare, quàm Antigon⁹ pro regno annumeraret. Sed Perſa fidem, quam prodiderat, periurio conciliare ſibi niſus, & ſuſpicionẽ omnẽ depellere, haud multò pòſt dolum patrauit. Nam eo profecto ad Pacorũ, quibus id negotij dederant, Phaſelum & Hyrcanum corripiunt execrationibus, quãdo aliud iam facere nequibant, vltum iri cupientes Barbarorũ periuria, & perfidiã proditionis. Nec minùs Nini miniſter miſſus


miſſus in Iudæam dolis prætenderat, vt caperet Herodem, ſed illum iamdudum ſuſpectantem inſidias Barbarorum, grauis ad curandũ cura exercebat, ſeq; intra munitiones tenebat. Nec ſimulatis à Pacoro mandatis, quibus de Phaſelo eiusque inſolentia fratrem conueniret, muros egredi, & alloquijs hoſtium ſeſe committendum putauit. Cognitoq; fratrem & Hyrcanum teneri, nocte in Idumæam ſuos præmiſit, atque ipſe cũ ſeruulis inſequentes Barbaros fudit. Multiſq; cæſis, in Maſſadam ſeſe properato gradu cõtulit, grauiores tamen Parthis expertus Iudæos, qui fugienti incubuerant, & ſuos quidem intra munitiones compoſuit, vltus ſeſe de inſequentibus. Ipſe autem relictis præſidijs, quæ matri & fratribus iunioribus prę ſidio forent, in Arabicam Petram cõtendit. Infudêre ſe Perſæ Hieroſolymis, irruentes in fugientiũ domos, verſa omnia in rapinas, bellum, tumultus: eoq; iniuria proceſſit, vt regnũ Antigono traderetur. Phaſelus quoq; & Hyrcanus in poteſtatem eius, ad ſubeunda, quę libitum foret, cõſignaren

ſignarētur. Ille autē tenere ſeſe diutiùs nequiuit, ſed continuò in Hyrcanum facto impetu, aures eius dentibus ſuis abſcidit, ne quando vlla rerum conuerſione recurſus ei pateret ad ſacerdotiū: Summum enim Sacerdotem immutilatum corpore quenquā eſſe oportet, nec licere per legem liquet, vt mutilato corpore quiſquam ſummo fungatur munere ſacerdotij. Phaſelus aſcitę ſibi mortis celeritate contumeliam pręuertit, illiſo capite ſaxis, quæ fortè occurrerant, dedignatus ſeruari ad ludibria, vel iuſſu alieno mori, qui poſſet vinctis licet manibus & ferro negato exitum vitæ inuenire. Fuit tamē etiam alius de eo ſermo huiuſmodi, quòd ſaucio Antigon⁹ Medicum adhibuerit, quò venena vulneri tanquā medicamentum infunderentur. Quilibet exitus horum principium habuit ſpiritus fercioris. Addidiſſe allegatur in vltimis ſuis, cùm iā exhalaret ſpiritum, cognito quòd Herodes viueret, & fuga paratas inſidias euaſerit, cū gratia ſeſe obire: quia ſuperſtitem relinqueret, qui ſibi vltionem inferret. Herodes autem

Hyrcani⁹ aures dentibus abſcindūtur

Summū ſacerdotem immutilato corpore eſſe oportet.

Phaſel⁹ ſaxis capite illiſo, moritur cum gratia.

Quidā ſpiritus ferocioris addidiſſet. Allegatur habēt, &c,



autem properauit in Arabiam, ſperans ſe accepturum pecuniam, qua ſola Barbaricam inclinari poſſe crederet auaritiam, vt fratris redimeret captiuitatem, ac ſi vel Arabem paternæ immemorē dilectionis, vel referendis muneribus tenaciorem offenderet, æs mutuum poſceret pretium redemptionis, pro quo oppigneraret redimendum filium, quem ad hos vſus ſeptennē puerum ſecum deduxerat. Sed præuentum eſt pię ſtudium germanitatis morte Phaſeli, & in vacuum Herodes tam ſedulò fraterni ſtudia muneris exequebat̄. Priùs tamen, quàm de morte fratris agnoſceret, Bocchum Arabiæ Regem alienum reperit, quem amicum credebat: nam is fidem cum tempore mutauit, & iam appropinquantem Arabię finibus Herodem vetuit intrare. Compoſito quòd ſibi Parthorum nuntijs inſinuatum foret, ne profugum ſuum in regnum Arabiæ recipiendum putaret, bellique grauiſsimi cauſam ſibi gigneret. Quibus offenſus Herodes, continuò retulit, quæ iuſtæ commotionis dolor prōpſerat, atq; inde in

Herod. in Arabiā ꝓperat pro captiui fratris redemptiōe

Quem hîc Egeſippus Bocchum Ioſ. li. bel. Iud. j. c. xi. Malachū vocat.

in Aegyptum conuertit. Mox tamen Bocchum pœnituit violatæ gratiæ, miſſisque, per quos reuocaretur Herodes, præuertit. Cui ingreſſo regiones, quas Rhinocorij inhabitabãt, & de fratris interitu, & de Hyrcani captiuitate, qui ſub vinculis in Pathienem deductus eſt, veris indicijs manifeſtatũ, tantumq; mœroris aſſumptum, quantum depoſitum ſolicitudinum, vt pro bello fugam pararet. Denique Alexandriam ſummo ſtudio contendit, atque ibi cum honore à Cleopatra ſuſceptus, quòd tãti nominis virum Ducem militię ſuis expetendum partibus arbitraretur: vnde poſthabitis Reginæ petitionibus, Romam nauigauit, minores procellas hyemis ratus, perturbationesque Italiæ compertas, quàm quos in Cleopatræ mobilitate grauiores omnibus naufragijs fluctus perhorreſcebat: denique inexpectatis ventorum flatibus profectus, circa Pamphiliam periculum incidit, ſed euaſit tamen, & mutato nauigio, Brunduſium priùs, atq; inde Romam peruenit: Ibi paternæ amicitiæ prærogatiua adijt Anto-



Antoniũ, deploratiſque ſuis & domeſticarum ærumnis neceſsitudinũ, quibus in obſidione poſitis Romam precatum venerat, Antonium flexit, aſſumpta ex tanta rerum conuerſione miſericordia, quia Rex dudum potentiſsimus: & qui Romanæ reipublicæ ſæpiùs tulerat opẽ, repentè vt naufragus, & rerum omniũ egens, auxilijque inops ſuis in periculo poſitis ſuppliciter imploraret auxiliũ, ſedem mutauerit: in quo & ſi Antonius hoſpitalitatis gratia, quæ ſibi cum patre eius Antipatro fuerat, propenſè inclinaretur, maximeque quòd Idumæa Tetrachen faciens regno prædeſtinatum reliquerat.

Herodes Romã veniens Antoniũ adijt.

## Caput XXX.

CAeſar tamen beneuolentia naturali diffuſior, & toleratam in Aegyptõ Antipatri militiam omnibus patris ſui Cæſaris prælijs, & hoſpitalem coniunctionem tanquam renouatis gratiæ pignoribus chariora habebat: ſuſpectabat tamen verſutum ingenium Regis, nõ æquo & bono, ſed negotiorum ſuorum

 rum

rum vtilitatibus prauè intentum. Senatus adeundi data copia, apud quē Meſſala & Atratino aſtruentibus paterna benè geſta, ipſius quoque Herodis officia erga Romanam Rempublicam patrum autoritate decretum eſt, vtile Romano imperio regnum Herodis videri, quod aſtipulante Antonio, bello aduerſus Parthos gerendo adiungi Romanis memorati Regis ſocietatem cōduceret, dimiſſo Senatu, Cæſar atque Antonius & Hærodes pariter egreſsi curia, proſequentibus magiſtratuum officijs deducuntur. Primoque die, quo regnum Herodi ſenatuſconſulto delatum foret, Antonius adornat conuiuium, Regemque inuitat. Eodem ferè tempore Ioſippus frater Herodis aquæ inopia fugam in nocte compoſuerat, ſed tanta ſubitò vis pluuiarum terram infudit, vt omnes repleret ductus aquarum. Itaque reuocacato trāsfugio, quod ad gentem Arabū parabat, obſidentis Antigoni copias partim inſidijs, partim congreſsione, atque aperto prælio fudit, ſed & ipſe plerunque aduerſo exitu ſeſe in caſtrum recepit.

Herodi regnum Senatuſconſulto defertur.



pit. Et iam Herodes ex Italia in vrbem Syriæ Ptolemaidem improuiſus aderat, propereque egreſſus nauigio, cum ingenti manu ciuium & peregrinorum Antigonum petebat, occurrentibus ſibi Ventidio & Silone Ducibus Romanę militiæ, quos Antonius deducendo Herodi adeſſe præceperat. Eos Gellius in hos vſus directos ab Antonio licet abhorrens ſtudio, quòd vtrunque eorum Antigonus pretio auerterat, ſpecie tamen de proximo conuenire ſuaſerat, ſiquidem in proximis vrbibus reprimendi belli Parthici tumultus Ventidius immorabatur. Silon autem intra Iudæam aperta cum Antigono ſocietate pecuniam conficiebat: nec tamen Herodes auxilio egebat, cui præter paucos Galilæorum vniuerſi adhæſerant: & quia propoſitum erat, vt de Maſſada ſuos quamprimùm eriperet, obſidioni Ioppen in medio poſitam pugnando cepit, aduerſariorum manu refertam, ne ad vlteriora progreſſus, hoſtem à tergo relinqueret: & quàmuis iter eius Antigonus impedire cuperet,

Ventidius & Silō Romanę militię duces

 tamen

tamen facili negotio Maſſadam recepit, ſuoſque exemit periculo. Deinde profectus Hieroſolymã cũ omnia feciſſet, ne pugnandi haberet neceſsitatem, aſſerẽs ſe pro ciuibus aduerſus rebellionẽ, non aduerſum ſuos prælium recepiſſe: laceſsitus ab Antigoni fautoribus ſagittis, & leuioribus ſpiculis de muro ſibi obſtrepẽtes fugere coegit. Nec vlla fuiſſet victoriæ mora, ni dux Romani agminis Silon ſubornaſſet milites, qui de inopia querelam expromerent, vaſtataque omnia circa muros, difficultatemq; vtenſiliũ, & anguſtias alimentorũ prætenderent: & iam tempus adeſſet, quo ad hyberna eos concedere oporteret, rupturos imperium minarentur, ni ſibi acquietum foret. Iamq; ſeditio conualuerat, niſi Herodes centurionibus pariter ac militibus Romanis medium ſe offerens orauiſſet, ne defererent eum, quem Cæſar & Antonius, Senatus quoque tuendum ſibi commiſerant, quũ præſertim nihil defuturũ vſibus polliceretur. Et completa oratione in regionem egreſſus, ſubitò rerum omnium abundantiam


dantiam exercitui ſuppeditari fecit, vt nulla Siloni ſupereſset cauſatio: & inde erectis vniuerſorum animis, cum duobus millibus peditũ & quingentis equitibus Idumæam recepit: quieto iam Romanorũ agmine, atque in hybernis locato, dux facti Ioſippus leuiori electus negotio, ne quid aduerſus Antigonum maiore periculo vſurpãdum arbitraretur: Ipſe autem ſuos ex Maſſada tranſlatos, cùm in Samaria prouiſis, quæ munimento & vſui fore crederet, conſtituiſſet: glaciali hyeme & repletis niue locis omnibus, præueniens aduentus ſui nuntijs Scephorim priſco vocitatam nomine, quam Diocæſaream poſteà nuncupauerũt, ſine vllo ingreſſus prælio reficiendis, quos hyemales pruinæ atq; aſperiora gelu itinera fatigauerãt opportunam æſtimauit: erat enim illic & alimentorum multa copia. Vbi refectis cibo & ſtatiua interpoſitione militibus, aduerſum latrones prælium adoriundũ putauit, qui totam percurrentes regionem, non minore quàm bellica incurſione locorum incolas attriuêre. Itaque

Ioſippus dux facti.


primò

primò partem quandam equitum & peditum in vicum Arbelam pręmiſit, & ipſe cum rēliqua manu poſt quadraginta dies affuit. Nec tamē exercitus ſpecie territi latrones, ſed cum armis occurrendum rati, præferebant diſciplinam bellicam, & latronum audaciam: conflictu habito, ceſsit cornu Herodis ſiniſtrum, ſed citò reparauit Herodes, & adhibitis adiumentis, ſuos ſtatuit, inſequētes perculit, atque infregit impetus eorū. Qui cominùs pugnantem Herodem pati nequiuêre, declinanteſq; vſq; ad Iordanē ſecutus neci tradidit. Reliqui omnes ſupra fluuium diſperſi, vt omni incurſionum metu Galilæa abſolueretur: reſidentibus tantummodo, qui ſe latebris recondentes ac velut infodientes ſpelūcis, victoria morabantur. Erant autem in prærupto montium concauis ſaxorum lateribus inhorrentes ſpecus, inter ſe ſcrupeas rupes, inuio vndique & impoſsibili, niſi locorum incolis, acceſſu. Qui tranſuerſarijs ſemitis & anguſtis callibus, quibus ſolis adiri ſolerent periculi vſu, aduerſus periculum deprehendendi


dendi tutiores forent. Cæci intus antrorum receſſus, quorum in fronte petra, vſque ad profundas congregationes aquarum, velut quodam continenti iugo prominens, ſpem adeundi excluderet, lubrico vndique ſitu, de ſupercilio montium cadentibus aquis, & amnium curſu fragoſo, vt præcipitium fluentorū ruina & ſaxū imminens charraris plus terroris daret. Denique aliquando Rex in incerto hæſit, non reperiens quemadmodum naturam vinceret. Poſteà verò huiuſmodi commento vſus, vt in modū arcarum machinato munimine, validiſſimos quoſque includeret: in ipſa ſpelæorum ora armatos, retinaculis quibuſdā depoſuit, qui facilè inermes cedere, & cum omnibus neceſsitudinibus, & generatione interficere cœperūt: at ſi qui reſiſtere auderent, eos iniecto igni exurere. Nullus pietati locus: Quinetiam volens Hærodes pleroſque eripere neci, atque ad ſe confugiendi fidutiam dare auertit magis: ita vt nullꝰ volūtarius Herodi adiōgeret, & ſi qui vi adigebant, mortem præferrent captiuitati. Deniq;

Deſcriptio horrendorū mōtium.

Mirabilis enarratio.

 vnus

vnus de ſenioribus, cui ſeptē filij vxorque adeſſent, quorum ſaluti conſulere poſset, omnes eos tali occidit modo. Singulos quoſque progredi iubens, ipſe in ingreſſu ſtetit, & procedentem de filijs interficiebat. Deſpiciens Herodes tam triſte facinus ac miſerabile, paterna perſtrictus neceſstiudine, arcebat manu, & verbis rogabat, vt parceret liberis, impunitatem pollicens: at ille haudquaquā vllis inflexus vocibus atque inſuper regi conuitiatus, ſupra filios etiam vxorē peremit, præcipitatis ex alto cadaueribus filiorum, ad vltimum ſemetipſum in profundum præcipitem dedit. Perterritus his Antigonus, quòd tā facilè Herodes latronum multitudinē, locorumque ſuperauiſſet difficultatē, ipſius quidem præſentiam declinauit: ſed cōuertit ſe ad Ptolomæum, quē Herodes parti exercitus præfecerat, & vir ad furta belli peridoneus, per eos, quibus mos erat turbare Galilæam, improuiſo impetu Ptolomæum iugulari coegit: Ioſippum quoque fratrem Herodis, germano in alijs occupato partibus, impigrè repugnan-

Senior q̄dā filios vnà cū vxore īterimit, tandēque ſeipſum p̄cipitat.

Antigon⁹ Ptolemæū improuiſo impetu iugulari coegit, & Ioſippū Herodis germanū deleuit.



gnantem cum militibus Romanis, qui in adiumentum eius temerè collecti aduenerant, deleuit. Nec tanto contentus triumpho, addidit etiam victoriæ grauē in defunctum contumeliam, vt abſciſſo capite relinqueretur: pro quo Pherora frater perempti quinquaginta talenta obtulit, nec impetrauit. Qua victoria rurſus in Antigonum plurimorum intra Galilæam ſtudia cōuerſa, renouataq; belli negotia. Antiochiam Herodes cōtenderat, illic amœno ſatis loco, quem Daphnen vocitant, requieſcebat. Vbi accepto germani necis nūtio, pauliſper ingemens, paſsioni mœrorem diſtulit, vindictam parauit. Non tulit Antigon⁹ furorem dolore, ſed intra munitiones ſeſe recondit. Irrupit Herodes, vt perſequeretur tanti facinoris autores, & facilè occurrētia auertit agmina. Erat multorum nex plurima, obſtructæ viæ iacētium cadaueribus, vt itinera ipſa peremptorum funeribus replerentur. Peractū eſſet prælium, omnibus fuga verſis, ſi Herodes Hieroſolymam protinus dirigendū iter æſtimauiſſet. Abiecerat Antigonus

Maxima ſtrages ab Herode facta.

tigonus haſtas, vltimum ſuppliciũ pertimeſcens. Confuſi omnes metu, adeò vt cùm aſperitate hyemis reuocatus à perſequendo eſſet Herodes, & armis depoſitis, balneum eſſet ingreſſus, vno comitatus ſeruulo, occurrerunt ei tres viri diſtrictis mucronibus: deinde plures, qui fugiſſent de prælio, latibula quęrentes, hi viſo Rege, turbati metu pertrãſiêre, atque ad exitum balnei feſtinauerũt, vt poſſent euadere, qui potuerãt necem Regis patrare, bellumq; abſoluere. Denique nemo fuit, qui fugientes corriperet, vnde conijciens Herodes, quanta hoſtibus formido ineſſet, incubuit prælio, & Pappum ipſum Ducem aduerſi agminis interfecit, atque eius abſcindi caput iuſsit, quod ab eo frater Ioſippus regius interemptus foret.

Hero. balneũ ingrediũti tres viri diſtrictis occurrũt mucronibus.

## Caput XXXI.

ANtigonus intereà, qui fugã parauerat, diſtulit: quem morantẽ Herodes circumfuſo exercitu obſedit: Incubuitque ea partte, quæ erat ante templum, qua parte etiam Pompeius murum



rum irruperat. Tanta autem iam victoriæ Regi præſumptio, vt etiam obſidione cœpta ad accipiendam vxorem Alexandri filiam deflecteret, hymenęis claſſicum mutans, & nuptias bello intermiſcens, atq; ex occaſione prælij coniunctionis oportunitatem adeptus, à feſtis ad bellum reuertitur. Occurrit & Soſius miſſus ab Antonio in adiumentum Regium, ita coniunctis viribus, cùm vſu belli & diſciplina militari Romani præſtarent: & Regi ſtudio placendi innitentur, vix quinto menſe facta irruptio, Herodianis murum aſcendere auſis. Irruentibus autem Romanorum Centurionibus oppidum, innumeræ factæ cædes, vaſtata circa templum omnia. Alij fugientes ad templũ, alij congregati intra domos obtruncabantur, nulla miſeratio ſenectutis, nulla infantiæ, aut muliebris infirmitatis. Obtulit ſe Antigonus, & immemor loci, deiecit ſe ad pedes Soſij. At ille, quem tanta rerum conuerſio flectere debuit miſericordiæ, conuitiatus iacentem Antigonam vocauit, nec tamen quaſi mulieri pepercit, ſed

Antigon. deijcit ſe ad pedes Soſij.

ſed vinctum in carcerem detruſit. Fluctuâre Herodes quomodo Romanorũ manibus eriperet patriã, quomodo templum à gentilibus incoinquinatũ reſeruaret. Feſtinabant enim Romani ſpectare myſteria interiora, profanare ſancta ſanctorum. Rex verò nunc prece, nunc minis remouêre ſingulos, fuga deteriorem arbitratus victoriam, ſi quid ſacramentorum diuulgaretur. Inſtare ad prædam Romani, Herodes reſiſtere, ne vacuam ſibi vrbem relinquerent, regnumq; ſibi ſupereſſet deſerti. Soſius contrà captæ vrbis prædam militibus deberi aſſerebat. Sed Rex de proprio ſpopondit militi ſe pecuniam daturum, atq; ita reliquum patriæ, quod remãſerat, pecunia redemit, vt promiſſum impleret. Humaniſsimè milites ſuſcepit, rationabiliter Duces, ipſum quoque Regia liberalitate Soſium remuneratus eſt, nemo ingratus receſsit. Soſius coronã Ceo obtulit, & profectus ſecum abduxit Antigonum ad Antonium, quem ille, quaſi degeneris animi virum, ſecuri percuſſit.

Antonius Antigonũ ſecuri percuſsit.

Caput



## Caput XXXII.

HErodes autem plurima etiam ſuis largitus, plurima Antonio amiciſque eius dona dedit, nec tamen redimere ab Antonio potuit ſecuritatẽ ſui. Iam enim Antonius Cleopatræ amori defœneratus inſeruiebat, atq; addictus eius libidini famulabatur, ſed vincere non poterat fœmineas auiditates, & maximè exercitatæ mulieris in cædib⁹ propinquorum, quibus extinctis, poſſeſsionem eorum, quaſi ſpoliũ ſuis iũxerat: eadem auaritia ſimul & crudelitate, ſi quos de Syria locupletiores fama acceperat, interficiebat: atq; addicto iam ad ſuas libidines Antonio, regnum quoq; Iudææ & Arabiæ, extinctis vtriq; genti imperitantibus, auaritiæ ſuæ adiungi poſſe arbitrabatur. Sed quãuis libidine ebrius, ſomno grauis, in hac tamen parte reſipuit Antonius, vt tales viros, & potentiſsimos Reges, pro imperio petulantiſsimæ mulieris extinguere detrectaret. Tamen ne immunes dimitteret, amicos eorum perculit, poſſeſsionis maximam

ximam partem ademit, eamq; pręcipuè, quæ balſamũ gigneret: Vrbesq; omnes, intra Eleutherum amnem ſitas, Tyro tamen & Sidone exceptis, Cleopatræ cupiditati adiudicauit. Quæ tali mercede à viro delinita, vſque ad Euphraten proſecuta proficiſcentem in Parthos Antonium, per Iudæã reuertit: vbi donis muneribusq; maximis conciliare ſibi Reginæ animum Herodes non prætermiſit. Cui ſecundæ res ſuperbiam augebãt, vt muliebris impotentia ſupra modum ſeſe extolleret. Siquidem nõ multò pòſt ei Parthorum Rex Artabazes, Tigranis potentiſsimi Regis filius dono eſt datus. Quem Antonius captiuum tenens, cum omni præda & ſpolijs Perſicis triumpho debitum, quaſi vile mancipium mulieri addixit: vt quò illuſtrior fuerat victoria, eò turpior eſſet largitio, quæ Regem tãto ludibrio dehoneſtaret. Nec tamen diutiùs potitus ſecundis, qui vti illis neſciebat, inſolẽtia muliebri Auguſtum in ſe excitauit. Itaq; bellum Actiacũ magnis vtrinq; parabatur motibus. Promptiſsimè Rex cum Antonio geſtiebat



ebat bellum ſubire, quia & Iudæa ab tumultu vacabat, & Hyrcaniam à ſorore Antigoni diu retẽtam receperat. Sed in hoc quoq; Herodes beatiſsimus, cui inuiſum eſt periculis alienis ſeſe miſcere. Volens itaq; Cleopatra alienare animũ eius à Regibus atq; auertere, ſuadet viro, vt bellum aduerſus Arabas gereret Herodes: quo ſi ſuperior eſſet, Arabia Reginæ cederet: ſi inferior, dominatus Cleopatræ in Iudęã extenderetur. Vter viciſſet, alterum ſolueret. Quod conſilium non ex diſpoſitione, ſed ex vſu in Herodem inclinauit, qui ſimul, vt pręlium adorſus eſt, validior equitatu auertit hoſtem, in exitu multitudine hoſtium ſuperatur, & numero circumuenitur. Cõgregatis in Canatha viribus aduerſariorum, aduerſum quos denſare aciem volẽs, elatis ſuorũ animis ſucceſſu priorũ, eaq; cauſa in hoſtem irrumpentibus deſtituitur, & maximè fraude Athemonis, quem Cleopatra Ducẽ adiunxerat, non vt adiuuaret Herodẽ, ſed vt in ipſa deſereret neceſsitate. Deniq; deſtitutũ exercitũ eius in locis ſaxoſis atq; inuijs adorſi, Arabas

Conſiliũ Cleopat. Antiq. lib. xv. ca. xiiij

Arabas graui cæde ſternũt funduntq́;, &fugatos vſque ad refugia ſecuti exitio dedêre: affuit ſeriùs quidem quàm neceſsitas expoſtulabat:ſed tamen vltus ęrumnam poſterioribus prælijs ita Arabas afflixit,vt vnam illam victoriam ſuã ſæpiùs deplorarent. Accidit etiam motu terræ grauis animorũ defectio, quo pecorum plurimum,hominum quoq; triginta ferè millia conſumpta ſunt. Militaris tamen omnis manus, eò quòd ſub dio habitabat, incolumis perſeuerauit. Hinc quoque erecti animi hoſtium, vt arbitrarentur, quòd deſertam Iudæam faciliùs inuaderent,& perculſos talibus prodigijs affligerent. Vnde eos Herodes ad defenſionem ſui erigendos putauit, & maximè,quia Legatos, quos in Arabiam miſerat, necatos dolo compertum habebat. Hoc ergo trepidantes ſermone adorſus eſt. Cùm tot ſecundis noſtrorũ prælijs, fractæ res hoſtium vſque ad ipſorum fuerint confeſsionẽ, qui veſano dolore perciti, quaſi victi Legatos noſtros peremerunt,mirum mihi videtur, quòd metus vos irrationabilis in tantũ percu-

Magn⁹ terręmotus.

Oratio Herodis ad ſocios.



perculerit, vt fortuita elementorum nostis iam virtutum ſucceſsibus pręferatis. Nulla congreſsio fuit, qua non ſtatim Arabes ceſſerint, atque in fugam conuerſi,cedendum exiſtimauerint: &,vt ſe habent furta belli, fraude atque inſidijs remedia captauerint, non vt ipſi vincerent: ſed vt noſtram differrẽt victoriam. Pro quibus cùm cõfidere oporteret, exagitatio ſucceſsit quaſi formidabilis belli, quia terra tremuit, cùm ſoli innocui fuerunt,qui prælia gererent. Aut ſi conſiderare velimus,quibus offecerit, Arabes potiùs æſtimabimus, quos in bellũ reduxit,ne ſe fugiendo ſubtraherent fortioribus. Video enim illos non armis, aut viribus fretos, ſed pecoris noſtri diſpendio in aciem remeaſſe. Fragilis autẽ ſpes,quæ nõ ex proprię virtutis fiducia, ſed ex aliena pendet miſeria:cùm in terris nihil tam mutabile,quàm vel ſecundæ res, vel aduerſæ. Exiguis enim momentis ſtatus rerum humanarum nouantur. Nec proſperitas diuturna, nec ærumna eſt pertinax.Itaq; nec miſerum eſſe, nec contrà perpetuũ eſt,ſed alternę frequen

Fragilis ſpes, q̃ nõ ex ꝓprię virtutis fiducia, ſed ex aliena pendet miſeria.

frequenter,& in ijſdem variȩ vices rerũ. Deniq; ex nobis exemplum capeſſere licet. Conflictu ſuperiore potiores fuim⁹, ſed in proceſſu prælij ſors mutata, vt vinceremur ab his, quos viceramus. Ergo & nobis ſperare ſuppetit, quòd vincantur à nobis, qui nos vicerant. Incauta enim ſemper nimia præſumptio, & ſui negligens. Timor autem proſpicere futuris admonet, & diligentiam docet. In proſperis audacia obrepit, & inconſulta temeritas neſcit conſiliũ ducis expectare. Deniq; cõtra ſententiam meam progredientibus vobis Athemonis nequitia nocendi locũ reperit. Nunc mihi trepidatio veſtra vadatur prærogatiuã victoriã. Erigite igitur animos, & veterem Iudæorũ magnanimitatẽ attollite. Nec vos inſenſibiliũ commotiões pertereãt, nec terrarum motus alterius ærũnȩ indices arbitremini. Habent ſuam noxam paſsiones elementorum: nec aliud timeatis, q̃ quod in ipſis offenſionibus eſt. Nõ enim ſigna periculorũ ſunt in terræ motu, atq; animantium lue, ſed ipſa pericula. Nihil eſt quod timeamus, quaſi grauia



grauia perpeſſuri, q pertulimus grauiſſima. Propitius iã poteſt eſſe, qui vindicauit: & mitior, quàm ſi nõ vindicaſſet. Quid ſeruatur poſt terræmotum ac peſtilentiam, niſi miſericordia? Quia ſoluimus duplicia peccata. Et tamen nos, quod bello vtile ſit, integrum habemus. Peſtilentia enim extra bellum poſitos abſtulit: noſtra autem victoria id hoſtibus ademit, quod bello idoneum legerant. Deinde nobis pecus mortuum, illis conſiliũ, qui legatos, quos miſimus, contra ius faſq; iugulãdos putauerunt. Præuaricati ſunt legem omnium hominũ, ipſorum etiam Barbarorum: quoniã apud ipſos quoq;, qui neſciunt humanitatem, inuiolabiles legati habentur: dũ vindicta cœleſtis reformidatur, & tanti ſceleris vltor Deus timetur. Hoc ergo admiſerunt aduerſarij noſtri, quod nec humanæ nec diuinæ leges inultum relinquunt. Egrediamur ergo, non pro finibus aut ſpolijs, ſed pro diuina iniuria præliaturi. Incitet nos ad bellũ, non cõiugij aut prolis charitas, ſed præſumpta protectio Dei. Non arbitria noſtra,

Notatu dignißima.

Optima belligerãdi intẽtio

 ſed diui-

ſed diuini iuris eis præcepta exequamur ſacra, quòd & pro his vindictam repoſcamus, quos inuiolabiles eſſe oportere religio iubet. Inter arma hoſtilia legatio ſola pacis ſequeſtra eſt: exuit hoſtē, qui legatione fungitur, quorũ nũc ſanguis clamat ad Deum, & vindictam repoſcit. Feſtinemus igitur ad prælium, dum vltorem habemus Deum cæſorum vindicem. Illi pro nobis meliùs præliantur. Et circumfuſi Angelorum legionibus, in acie prætendunt. Talibus hortatus milites, in hoſtem ruit, omnem occaſionem belli requirens. Erant Arabes præſtantiores numero, ſed animis infirmiores: vnde congreſsione habita, ceciderũt ferè eorum quinque millia. Reliqui ſeſe in munitionem recipientes, aquæ inopia fatigabãtur, vt legatione miſſa pacē pretio depoſcerent. Sed cùm ſe protrahi viderent, & ſitis ampliùs aquis deficientibus accenderetur, egredientes pleriq; ſeſe offerebant hoſtibus voluntariò, ferro quàm ſiti præoptantes perire. Quos vinctos ſeruabat Herodes, ne quid eſſet inſidiarũ. Itaq; quatuor diebus quinq; fermè

Ferro q̃ ſiti pöptant perire.



fermè millia recepta ſunt, alijs ad bellũ prodeuntibus, iterum ad ſeptem millia virorum cæſa. Qua plaga humiliati Arabes à Rege quantò virtute inferiores, tantò conſilio præſtantiores. Quem aduerſarium habebant, quaſi defenſorē, & auxiliatorem ſibi ipſum expetiuerunt.

## Caput XXXIII.

SEd maior victorem ſolicitudo percuſſit, vt qui ſibi alios ſubiecerat, nõ iam de finibus, ſed de toto regno periculum imminens perhorreſceret, victo Antonio, quem fida ſibi amicitia copularat. Denique Auguſtus Cæſar Actiaci triũphator certaminis, necdum ſuperatum Antonium arbitrabatur, cùm Herodes ſupereſſet victoriæ. Anxius itaque Rex, cùm Rhodum acceſsiſſe Cæſarem vero iudicio comperiſſet, nauigauit ad eum, ne fama terrenum iter eius præuerteret. Aduenienſque depoſito diademate, ſeſe obtulit priuato habitu, ſed mente Regia. Denique nihil veritati ſubtrahens, conſtantiam tenuit, autoritatem reſeruauit. Ego, inquit, Auguſte fateor, me fidelem

Oratio Herodis ad Cæſarem.

fidelem fuiſſe Antonio ſocium, vtpote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo, idque armis probaſſem, ſi Cleopatra non inuidiſſet, & Arabes non impediſſent. Ea neceſsitate arma aduerſum te nõ tuli: non quaſi amici deſertor, aut prælij pauidus, ſed quaſi domi rebus gerendis occupatus. Ingratum me tamen ſibi non ſenſit Antonius, quòd & adiumenta exercitus, & frumenti innumerabiles copias abſens miſerim. Sed & tu Cæſar me non ingratum beneficijs eius iudicauiſſes, ſi Actiaco bello interfuiſſem. Vide quàm nihil ſubtraham. Plus metuo apud te ingrat⁹ in hoſtem tuum, quàm in te hoſtis videri. Iudicium mihi tuum grauius quàm bellum eſt, apud quem non virtutũ merita, ſed vitia periclitantur. Vnde & ego malo apud te de fide, quàm de perfidia cauſas dicere. Vide Cæſar, quàm integrum Antonium non deſeruerim, victũ non refugi. Viciſti Cæſar Antonium legionibus tuis maximis: viciſti conſilijs tuis, viciſti imperij Romani virib⁹, quod dereliquit & quod negauit: & verè vict⁹ eſt



eſt virtutib⁹ tuis, ſed magis morib⁹ ſuis. Vicit eum Cleopatra vxor, vicit eũ Aegyptius amor, vicit eum Conopæa luxuries. Victus eſt, quia maluit cũ Cleopatra vinci, quàm ſine ea vincere: vicit eũ mulier infeſtior ſuis, quàm aduerſarijs. Suaſeram mortẽ mulieris, ſi vellet ſibi conſulere: promiſeram auxilia, quibus repararẽ afflictũ: promiſerã vires, qbus fugacẽ tuerer, meipſum belli conſortẽ obtuleram: ſed mentẽ eius obſtrinxerãt Cleopatræ cupiditates: victus eſt, quia audire me noluit: victus ſum & ego cũ Antonio, minore tamẽ flagitio: quia illũ Cleopatra vicit, me Antonius. Ille Barbaram, ego amicum non dereliqui. Cũ illo poſui diadema, ſed ad te venire timẽs amici fidelis gratia, ſequeſtraui regni inſignia, ſed non abieci virtutis conſcientiã: vt voles, iudica. Ego tamẽ quauis ſorte iudicij tui referam mecũ, quod cuiuſmodi fuerim amicus, æſtimabitur.

## Caput XXXIIII.

Reſponſio Cæſaris ad Herodem

RESPÕDIT ad ea Cæſar: Salue, inquit, & nunc magis regno tuo vtere,

 quia

quia non inuidemus virtutibus, ſed delectamur. Dignus enim es pluribus imperare, qui ſic tueris amicitiam: & vt in aduerſis poſitum non abneges, & amicũ tibi conſiteri nõ erubeſcas. Sed adorere felicioribus adhærere, & conſeruare fidem in proſperis, iam in aduerſis ſatis probaſti. Vicerit te Antonius, ſed non ego victum putabam, quem amicitia parem fecit victoribus. Propterea expeteris à nobis, quia nullus te belli euentus mutauit: quandoquidem non tu Antoniũ deſeruiſti, ſed te Antonius, qui Cleopatræ magis quàm tibi credidit. Inſipientia illius te nobis acquiſiuit, quia pernitioſiſsimam ſibi elegit, fidelem repudiauit. Nec mirum, ſi Cleopatræ Antonius vict' adhæreat, à qua victor captus eſt. Quid miraris, ſi à te deſiſtere fecit Cleopatra Antonium, cùm à me diſſociauerit, atque ex conſorte imperij hoſtem fecerit? Ergo & quia tu nobiſcum repudiatus es, & ideo nobiſcum regna. Nec hoc quidem beneficio vacat, quòd dum nos bellis occupamur ciuilibus, tu indomitam Arabum gentem ſubiectam feciſti, quia Iudæorũ hoſtes pro noſtris ducimus. Nobis enim arma inferunt, qui vos laceſſunt. Nobis ergo militaſti, cùm tibi vinceres: & ideo te remunerabimus, vt regnum tuum confirmetur noſtro munere. Interim nihil imminuiſſe non parua gratia eſt: adoriemur in reliquum, vt non requiras Antonium. Neque enim dignum eſt, vt quem bello vicimus, non vincamus beneuolentia. Cùm hæc dixiſſet Cæſar, impoſuit diadema capiti eius, ſed vtilitatem adiungens muneri. Qua dignatione Cæſaris inuitatus Alexander, ex amicis Antonij virum, cui Cæſar maximè indignaretur, volẽs abducere offenſioni, multa deplorabat prece: ſed indignatio nimia nullũ veniæ locum reliquit. Proficiſcentibus inde in Aegyptum, proſecutus Cæſaris iter ſuppeditatis omnibus, quæ vrbi, vel ipſi, vel exercitui vſui foret, maxima ſui gratia Imperatoris ſibi ſtudia conciliauit Herodes: præcipuè quia in locis aridioribus vſq; ad Peluſium Regali prouiſione aquarum affluentia ſubminiſtrata: quibus officijs tantum ſui amorẽ



 infudit

infudit omnibus, vt plus videretur meruiſſe quàm accepiſſe. Minor quoq; regni poteſtas, quàm humanitatis largitas æſtimaretur. Vnde Cæſar ex ſententia rebus intra Aegyptum geſtis, Antonio & Cleopatra defunctis, non ſolùm quæ adempta erant, Herodi reddidit, verùm etiam præter illa, quæ Cleopatra auerterat, Gadaram, Ioppen, Samariam quoq; ei conceſsit. Maritimas quoq; vrbes, Gazã, Arithedanam, Ioppen, turrim Stratonis ſimul donauit: quadringẽtos quoq; ſtipatores ex Gallia, quibus ſepta incedebat Cleopatra, ad cuſtodiam corporis Regi conceſsit, multaq; alia. Sed his omnibus Rex pluris habebat, quia à Cęſare ſuper omnes, infra Agrippam tamẽ, diligebatur, ab Agrippa infra Cæſarem.

Cęſar Herodi multa donauit.

## Caput XXXV.

QVintodecimo itaq; ſui regni anno, vt beatitudini ſuæ reſpõderet, & gratiæ tanto rerum ſecundarum ſucceſſu leuatus, ad pietatem intendit, & vt ſe gratum cœleſtibus in ſe ſupra modũ fluentibus beneficijs demonſtraret, tẽplum



plum ornauit: omnem illum circa templum loci ambitum circumuallauit muro, geminatisq; ſpatijs incluſit immenſo ædificandi ſumptu, & exquiſito decore. Indicio erant magnę circa ſacrarium porticus, quas extruxit ex fundamẽtis: nec minor tuendi quàm ornandi intentio. Siquidem caſtrũ Aquiloni communicauit ſubiacens, quod appellauit Antoniam propter Antonij gratiam, nullo inferius ſuperiorum palatiorum. Addidit etiã in ipſa arce Regiæ domus gemina habitacula, maximi ambitus & mirabilis pulchritudinis, quorum gratiæ nihil conferendũ arbitreris. Vnũ eorum Cæſarium, alterũ Agrippiũ nuncupabatur, vt in ſuis ædibus tantorũ amicorũ diuturna memoria celebraretur. Vrbẽ quoq; Sebaſten nõ ſolùm ædificauit, ſed etiã repleuit inhabitãtibus. Ac ne ſingula perſequar, haud vllũ facilè præterijt locũ vetuſtarũ vrbiũ, quẽ nõ reuocaret labentẽ, aut additis quę deeſſe videbant, ędificijs ornaret. Liberalitates quoq; ſuas vſq; ad quinquẽnalia diffundẽs certamina: vnde illud hominũ genus effuſis diuitijs

Herodes templũ exornat mirificè.

diuitijs locupletauit. Templum etiam Cæſari de marmore albo condidit ad fontes Iordanis, adeò immemor factus religionis, vt homini templũ ſacraret, vſumq; gentium in Iudæam induceret, loco nomen Panium eſt: Vbi mons altitudinis excelſæ ſummo in ſublime vertice exporrigitur, cuius in latere vmbroſum aperitur antrum, per quod graue olentis precipitij profundum ſæuã exhalat memphitim. Intùs aquarum congregatio, & ſine vllo motu multa vis inerat, vt nulla æſtimatio profundæ altitudinis non comprehenderetur. Foris autem circa ipſius antri radices fontes ſcaturiunt: Vnde ortum illic Iordanis plerique æſtimauêre: nobis tamen, quid veritas habeat, in poſterioribus aperiendũ videtur. Erat in maritimis ciuitas, quæ Stratonis turris appellabatur, iam feſſa bellis frequentibus, & vetuſtate ipſa inclinata in ruinã: opportunitate tamen & gratia loci præminens, quam renouauit lapide albo, & varijs ornauit ædificijs, atq; in ea magnanimitatis ſuę virtutem, & elegãtiam operis expreſsit. Inter duas

Mons excelſę altitudinis.



duas enim maritimas vrbes, Doram atque Ioppen ſita in medio: vtraq; ex parte perſtringitur importuoſo littore, vt omnes, quicunque ex Aegypto Phœnicen prætermeare deſiderant, in ſalo fluctuent, quia frequenter illic mare vẽtis excitatur, & maximè Libycis ſpiramine, cuius etiã moderatiore flatu fluctus attollitur: deniq; illiſus pręcurrentibus ſaxis, & fracto repercuſſus impetu, efferũ mare cadendo exaſperat. Itaq; Rex nullum impenſis ſtatuens modum, magnanimitate vicit naturam, portumq; maiorem Pyræo conſtituit, atque in eo penetrata rupium vaſtitate, ſtationes tutas compoſuit. Menſus quoque ſpacium, quod magnitudini portus conueniret, ſaxa ingentia in mare iecit, quibus ineſſet pleriſq; altitudo pedum quinquaginta, alijs etiam excelſior. Diſtinxit ipſum maximis turribus portum, quarũ vnam Druſion vocauit, & Druſi nomẽ, qui de Cæſaris maioribus fuit, inſignibus ſui operis intexeret. Gradus etiam breuiores locis interpoſuit frequentiorib', per quos ſine graui labore nauigia ſub-

ſubducerentur. Tribus etiã coloſsis ingẽtibus totã portus illius gratiã venuſtauit. Iterũ templũ Cæſaris editiori fundauit loco, & tẽpli medio coloſsũ conſtituit Auguſti nomine velut ſimulachrũ ipſius, quod nõ minoris magnitudinis foret ſimulachro Olympij Iouis aut Iunonis Argiuę. Neſcias pulchritudinẽ in tãtis difficultatib⁹, an validitatẽ operis, ac munimentũ in tanto decore pręſtare amplius putes, quandoquidem inſolubile maneat opus, & mari, & vetuſtati. Acceſsit itaque in eo opere multiplex gratia. Nam & vrbs maxima accreuerat Prouinciæ, & portus nauigantibus, & & honor Cæſari, cuius ex nomine Cæſarea in hoc tempore vocatur.

## Caput XXXVI.

HAnc Regis potentiam proſperis affluentem ſucceſsibus vnius mulieris expetita ſocietas inclinauit, mœſtisq; infregit doloribus, ex quo aduerſum ius fasq; cõiugum, dignitate potius generis, quàm charitate vſu quodam Regio metiendum exiſtimauit. Habuerat autem



autem in conſortio, Doſidem nomine, Hieroſolymitanam fœminam priuatò ſibi antè ſociatã, quæ gratior eò eſſe debuerat, quò fuerat felix marito, cũ qua regale fuerat adeptus faſtigium. Verùm immemor gratiæ proijcit Doſidem, ſociat Mariamnem Ariſtobuli neptẽ, Alexandri filiam. Itaque dum ſequitur nobilitatem, perturbationem incidit, qua ſibi domus propria non conueniret, cui diuerſarum Prouinciarũ multiplex obtemperaret populus, ac ne oculi nouæ nuptæ odio nouercali domi poſito eo, quem Doſis generauerat, offenderetur eiectus, non ſolùm paternis ædibus, ſed tota quoq; vrbe Antipater (id enim iuueni nomen) infauſtis nuptijs locũ fecit, quas pater vnici filij exilio concelebrauit, vixq; feſtorum dierum ſolennitatibus arceſſebatur: videns mulier morigerari ſibi maritum, etiam pietatis conuitio in ſuperbiam conuerſa, addita eſt etiã cauſa, qua iure eius animus inflammaretur: quia Hyrcanum auum ſuum, viri ſui inſidijs nouerat extinctum, falſò ſuſpectum propter regni cupiditatẽ: Ipſe

Doſidem Herodes habuit vxorem, de qua Antipatrũ ſuſcepit filium.

Ipſe eſt, de quo ſuprà memorauimus, quem Barzafarmanes, qui Perſis imperitabat, cùm occupaſſat Syriam, captiuũ abduxerat, atque in Parthia primò retẽtum, poſteà à Iudæis poſtulantibus, qui ſupra Euphraten inhabitabant, miſeratus ſortem inclinatam permiſerat: atq; vtinam vt conceſſus fuerat deprecantibus, ita etiã credidiſſet monentibus, nẽ more ingenij humani propinquorũ eũ potentia ſolicitaret, vt ad Herodẽ tranſitum faceret, eam illi periculo futuram, quòd nullos magis regni cupidos ſeruandi, quàm proximos exagitaret, atq; à propinquis caueret. Verùm ille tædio peregrinationis, & ſuorum deſiderio tranſiuit Euphraten, in Iudæam reuertit. Quod altiùs in pect⁹ Herodis, quàm quiſquã ratus erat, deſcẽdit, nõ quò ille regnũ affectauerit, ſed quia viro regij generis, & diu exercitatæ priuilegio poteſtatis, incertũ, an ab eo abſtinere ſe poſſet, æſtimabatur. Laqueus igitur mortis Hyrcano coniugium neptis fuit, cuius gratia properauit ad Herodẽ: neſcius, tutiùs apud hoſtẽ captiuos degere, q̃ apud Regem



Regem propinquos. Nulla itaque vel leui regnandi ſuſpicione hoc ſolo interemptus eſt, quòd ei competere regnum videbatur. Diligebat intereà Mariãnem impenſo amore, nec offenſam volebat: Cumulauerat mulieri gratiam numeroſior partus. Nam quinque ei generauerat filios, ſed ex tribus maribus iunior Romæ obierat, dum literis imbuitur liberalibus. Reliqui duo vltra priuatorum modum Regio cultu celebrabantur. Suffragio erat iuuenibus matris nobilitas, & ſuus ortus in regno, quòd imperante iã patre geniti forent, ſed amor maximè Mariãnes, quo Rex magis magiſque quotidiè accendebatur: vt cùm ipſi nulla viciſsitudo amoris à coniuge rependeretur, caueret tamen ne in aliquo mulieris animũ mœſtificaret. Aequa lance odium mulieris, & amor viri aduerſum ſe certabant. Iuſtiùs tamen Mariamne amantem ſe virum oderat, quàm Herodes Mariamnem amabat nõ amantem. Suppetebat mulieri odiũ de flagitio, fiducia de amore: quia alterum dolore nepotis auerſabatur, altero per

 obſequium

obſequium amantis extollebatur. Et ideo ne à conuitio quidem obijciendorum criminum temperauit, quòd auum ſibi Hyrcanum, & fratrem Ionatham per ſcelus eripuiſſet, cùm alter proſocer, alter affinis: ille propter ſenectutis infirmum ſeruari debuerit, hic ſaltem propter ętatem adoleſcentulum: facinus indignum, cui ſeptem & decem annorum adoleſcenti ſummum commiſerat ſacerdotium, huic continuò honorem contulit, & mortem intulit: nulla alia cauſa, vt accepimus, niſi quòd ſacerdotali amictu indutus, vbi acceſſit primùm ad altaria ſacrato & celebri die, ſubitò populus illachrymauit: quod ſuſpectum adeo Herodi fuit, vt præ gaudio crederet populum illachrymaſſe, atque eò erga ephebum prodidiſſet affectum ſuum, lachrymas illas voti indices, ſtudium populi ſui periculoſum, qui intimis viſceribus ſignificauit, quòd ſtudium erga cultum adoleſcentis haberet, & nobilem illum Regium nepotem impotentis mulieris filium fratem Reginę proteruioris, quę Regem



Regem virum dedignaretur proruptu-rum ad imperandum, niſi maturiùs ſublatus è medio foret, cui forma, cui decoris gratia ſuppeteret, vt iure præferendus omnibus æſtimaretur. Propoſuit itaque adoleſcentem occidere, exagitabat eum mater adoleſcentis, quæ & ad inueſtigandum acrior, & ad vlſciſcendum vehementior, nihil occultum, nihilque inultum patiebatur, eoque reuocare ſeſe ac reprimere delibe rabat. Rurſus exagitabat eum cumulatior indies erga adoleſcentem amor vniuerſorum & regni periculũ. Vnde prærupto furore excitatus, ſtatuit quouis modo ſibi conſulere.

## Caput XXXVII.

MIttitur adoleſcens nocturnis temporibus ad vrbem Hiericho, atq; ibi ſolitus delectari ſtudio natandi: à plurimis quaſi in ludum coeuntibus, dum ſine modo mergitur, in piſcina necatur. Id tacitum ſoror non tulit, ſed affectu germanitatis per cõuitium ꝓdidit, atq;

 obie-

obiectauit marito, iuſſu eius ſibi fratrẽ ereptum. Deſtitutam ſe omnibus, funeſtam ſibi domum coniugis, qui primò ſibi auum ademerit, poſteà germanum interemerit, miſerã ſe exitio ſuis fuiſſe: imprecari dira viro, ſocrui & Regis ſorori, commune omnium flagitium vltorem Deum poſcere, ne tantum facin' impunitum relinqueretur. Ferebat iſta Herodes quaſi amore captus & nutibus deditus: ſed furebat ira mulieris, & ferre non poterat maledicta execrantis, & indignantis arrogantiam maximè, quia victus *vernaculo eius Herodes inſurgere aduerſus dilectã nequibat, & ideo quo magis excitari quaſi amans poſſet, ſcena adulterij contexitur, atque in mulierem iſtiuſmodi crimen componitur, quòd imaginem ſuam Antonio in Aegyptum deſtinauiſſet. Quantæ iſtud intemperantiæ fuiſſe, vt abſenti & prompto in libidines viro, tum prætereà poten ti, qui poteſtate pro iure vteretur, formam venalẽ offerret, vt pulchritudine illiceretur, nouæ auctionis commercio ſe mulierẽ proſtituiſſe, vi ne amoris an odio

Aliàs miraculo.





odio mariti, cuius periculum pro mercede adulterij poſtulauiſſet. Hoc itaque commento mulierum, apud Herodem Mariamne quo magis amabatur, eo grauiùs appetebatur, nec tamen inſimulatio ipſa, quamuis indignantium fœminarum aliena veri penitus fuit, matrem enim Alexandram furentem, quòd alius filio ſuo Ariſtobulo in ſacerdotio præferebatur. Hoc enim nomine Ionatham filium ſuum, quo auum ſibi Regẽ fuiſſe in memoriam reduceret appellari malebat, ab Antonio per Muſurgã quẽdam literarum ſequeſtrum petijſſe filio ſuo ſacerdotium. Fides verò propior erat. Deinde adueniente in Iudæam Gellio Antonij amico, cognitum adoleſcentem miraculo fuiſſe propter excellentiſſimi decoris gratiam: Non minùs etiam Mariamnem, cuius quo dignitas clarior, eo fama illuſtrior, & fortè compertam more quodã ingenij humani, quo viri quoq; eo ſe interioribus amicis chariores cupiant declarare, ſi præſentibus quoque neceſsitudinibus ſuis in ſe hoſpitalitatis ſocietatẽ indulgeant: ibi quo-

que Alexandræ datam cum Soſio colloquendi copiam licet liberiori viduę, alia quoque cognoſcendi hoſpitis deeſſe copia non potuerit, cùm præſertim huiuſmodi & cauſas & perſonas requireret. Deinde collato vtrinq; conſilio id ſe dediſſe ſententiæ, vt vtriuſque imagines Antonio dirigerentur. Perſtrictũ illum ſplendore imaginum, & Soſij præcipuè teſtimonio, qui nihil tale ſe vnquam vidiſſe in terris aſſeueraret, & gratiam illis non hominũ, ſed diuinam ineſſe lenocinantem: vt excitaret viri minimè ſobrias cupiditates ſcripſiſſe Herodi, vt Ariſtobulum ad ſe ſine mora mitteret, de Mariamne, quòd ſibi coniuncta foret, prætermiſiſſe. Non cooperire libidines ſuas, vel in his, quæ nuptæ eſſent apud maritos ſoleret, cui ſine periculo vſus foret flagitiũ ſine pudore, ſed quò Cleopatræ caueret indignationem, quæ vtriuſque quidem ſexus riuali offenderetur, ſed ampliùs ſi ſociatam viro mulierem deprehendiſſet, quia ſe decore ſuper omnes excellere mulieres arbitrabatur. Perfectis itaque literis, Herodem ex cuſauiſſe,


cuſauiſſe, ꝙ ſine ſeditione populi & perturbatione totius gentis auellere à ſuis nobilẽ non poſſet adoleſcentẽ, atq; vt ſatisfaceret Alexandræ, ſpopondiſſe Ariſtobulo ſacerdotiũ: ſed cũ moris fieri ꝓmiſsis vidiſſet, & arte ſe ludi putaret, Alexandrã parauiſſe nauigiũ, ac in ipſo apparatu fugæ cognito per Sabionẽ, conſilio reuocatam eſſe cum filio. His motum Herodem diſsimulaſſe ad tempus iniuriam, & acceleraſſe Ariſtobulo ſacerdotij collationem, vt honoris ſpecie paratę necis inuidiam velaret: Qua peracta, vt diximus, quaſi fulmine ictus, exagitatus eſt, ſimul & affectati adulterij affi cto à ſuis crimine, ꝙ ſciret Antonium promptum ad libidines, & inuelatas, ex eo ꝙ plurimũ poterat inflammantẽ in omne genus amatoriũ cupiditates. Cleopatræ quoque inexpiabilem riualitatis præcipuè dolorem atque immanitatem, quæ plurimos virorũ, quos ſegniores circa vxorum reprimẽdam intemperantiam compererat, interemiſſet, imminere ſibi periculũ non ſolùm amittẽdę coniugis, ſed etiã ſubeũdę mortis perhorreſcebat.
 Propoſuit

Propoſuit itaque ipſe contendere in Aegyptum, vt Antonium vel Cleopatram, quam maximè metuebat, deflecteret. Euocatum alij ferunt M. Antonij literis eò tetendiſſe, vt necati adoleſcentis cauſas præſtaret. Profecturus tamen affini ſuo Ioſippo, cui Salome germana Regis in cõiugium conuenerat, ſecretò aperit ſuſpectam ſibi necem propter coniugalis formæ appetentiam, quam miſſa ſui decoris ſpecie prodidiſſe mulier argueretur, idque quaſi affini negotij committere, vt ſi ipſe ab Antonio extinctus foret, Mariamnẽ necaret, ne merces flagitij ſupereſſet. Ioſippus haudquaquã, vt arbitror, ſtudio proditionis, ſed quò mulieris erga virum ſopiret querelas, quibus ſe afflictam diceret ardere odijs viri mandatum exprimit, atque ad affectum amantis interpretatur, quod ne mortuus quidem pateretur Herodes ſeiungi ſe ab vxoris ſocietate. Sed mulier lõgè aliter quàm Ioſippus æſtimauerat, ad argumentum traxit implicatæ adhuc in ſe crudelitatis, cuius exercendæ poſt mortem quoque ſuam executionem affini



fini proprio mandauiſſet, infeſtum illũ ſibi iniuria, qui ſuſpiciones ſuas non argumento aliquo veritatis examinaret, ſed præruptæ mortis exitio vrgeret, nullum odijs finem fore, quæ vltra ipſum vitæ ac ſalutis defectum extenderentur. Sed Ioſippus domeſtici mali immemor, dum alienam coniugem viro reconciliare expetit, ſuæ coniugis aduerſum ſe inflammauit ſuſpiciones: quæ & colloquia viri proprij cum Mariamne, moraſque in aula Regia haud perfunctoriè ferendas arbitrabatur. Deniq; vbi frater reuertit, inſimulationes non diſtulit, iniuriam addens ſuam Regalibus contumelijs, quòd ſibi quoque Mariamne ademiſſet maritum: ſed Herodes prçſtrictus licet, tamẽ haudquaquàm grauiùs primò commotus eſt, nec infenſum ſe vxori præbuit, cùm etiam vi amoris infractus, quodam die mulieri iurare cœpit, quòd tanto eam diligeret affectu, vt nunquàm alterius mulieris flagrauerit cupiditate. Ita omnes ex animo abiecerit, vt vxori fidem ſeruaret. At illa: Satis, inquit, amorem erga me tuum mãdatis, quæ

Herodes vxori iurat.

quæ Ioſippo dederas, declaraſti, præcipiens vt me occideret. Quomodo poteſt amare, qui occidere poteſt: Amens illico Rex vbi audiuit ſecretum ſuum proditum, cogitare cœpit nunquam proditurum fuiſſe Ioſippum, niſi captus amore mulieris mercedem proditionis ſtupro quæſiſſet, manifeſtatum quod diu latebat in aperto crimen indubia corruptione: non fruſtrà excitatam ſororem, quæ domeſticam iniuriã præ cæteris deprehendiſſet. Itaque indignatione nimia furens animiq; impos exiliuit de lectulo, fugiens corruptelæ turpis contagia, nec furentem capiebat aula: audiuit ſoror vociferantem, continuoque rapiens tempus ad argumentum inſimulandi & occaſionem nocendi, confirmauit indignantis ſuſpiciones: impulſus itaque dolore iniuriæ inſimulatione germanę, iubet occidi vtrunque, nec multò pòſt ſecuta eſt factorum pœnitentia: & vbi ira cecidit, amor ſucceſsit, & paſsio reſuſcitata eſt, tantuſque incanduit feruor cupiditatis, vt defunctam non crederet, atque in exceſſu mentis poſitus, quaſi viuentem



viuentem alloqueretur. Et ſicut ad eam, quæ viueret, pueros dirigebat, rogans, vt depoſitis ſimultatibus, ad ſeſe veniret, & redderet ſe coniugali gratiæ. Vix denique multo edoctus interuallo temporis obijſſe credidit, quam pro amore tanquàm immortalis fœminam decoris mori non potuiſſe arbitrabatur. Tantus erat affectus erga defunctã. Denique efferus, poſteà atq; in multorum necem præſentium odio fertur exaſperatus, nec ſolùm morbo animi laboraſſe, ſed etiam graui corporis ægritudine, quam ex peſtilentia quoq; aeris contractam aiebât. Nam tractus cæli corruptior plurimis peſtem creauit. Vnde conſultis medicinæ peritis, ſyluarum ſecretis ſeſe abdit, & refuſo paulatim vigore, venatibus ſalubritatem corporis, pariter ac mentis ſalubritatem recepit.

Tract' cœli corruptior peſtilentiã creat.

## Caput XXXVIII.

HOc quoq; addebat miraculis ſuis, quibus defunctæ ſuſpiciebat gratiam, luiſſe ſe iniuſti pœnas flagitij, & elementorũ ægritudine expiatũ interitũ tanti

tanti decoris excidio mundi populorũ lue vnius mortem: ſorte tamen impari vindicatã, cùm fructus terra abnueret, fames augeret peſtilentiam. Hunc Mariamne exitum tulit, ſobriè viro pudica, ſed inſolens formę conſcientia. Cui magnanimitas ſuperfluebat, ſedulitas deerat, vt blanditias dedignaretur mariti, ſecura quòd nihil ab eo, qui ſupra modum diligeret, exitij perpeti poſſet: nec ſolùm ad præſens vltionem reperit, ſed etiam in reliquum hæreditaria odia tranſmiſit. Cui ſucceſſere filij materni doloris executores, pio erga matrem quidem affectu, ſed erga patrem impio: cùm vtrique parentum pari munere ius naturæ ſoluendum foret. Nec inexercitatos dolor reperit: Nam diu Romæ eruditi Latinis iuxtà & Gręcis literis, aſtutiam non mediocrem aſſumpſerant, & abſentes compererant necem matris, pleriſque in odium patris impulſoribus aſperabãtur. Regreſsis quoque ne conſpectus quidẽ paterni reuerentia ſedulitatem infuderat, creſcebat cũ ętate malitia. Acceſsit etiam

Vtriq; parenti pari munere naturę ius ſoluendũ eſt.



etiam ex cõiugij ſocietate præſumptio, quòd alteri Salomes filia neptis Herodis, alteri Archelao genita, qui Cappadociæ regnum tenebat, in ius copulæ nuptialis conuenerant, & nobilitas con iunctionis odiorum dederat autoritatẽ. Offendebatur igitur Herodes, vel tacito filiorum ingenio excitatiore, q̃ paterna pietas pati poſſet, quæ etiã vultu frequenter læditur. Addebantur & ſtimuli ab his, qui ab inſidijs filiorum cauendũ, quaſi ſoliciti crebrò denunciabant, aſſerentes, quòd vltrices materni exitij armarent manus, quibus perterritus Antipatrum Herodes Doſidis filium præferre fratribus, atq; ad ſui gratiam hube riore effectu cœpit laceſſere, ardere maioribus odijs aula Regia, & certamine fratrum concuti: dum illi indignantur, quòd priuatæ mulieris filius ſibi in regno ortis pręferebatur: ille verſutus adulandi, quò ſe inferiorem materno latere cernebat, eò ſtudioſiùs cõmendare ſeſe appetere germanos compoſitis inſimulationibus non quieſcebat, donec ipſe per ſe, ac per alios, quos ſibi adiunxerat, exclude-

excluderet ipſos ab affectu paterno. Denique regnandi his ſpem omnem ademit, ita vt publicè condito teſtamento, ſolus imperij ſucceſſor deſignaretur, miſſusq; ad Cæſarem Romam, præter inſigne diadematis omni ornatu cultuque Regio fulciebatur. Inde in Iudæam regreſſus, aucta erga ſe Cęſaris plurimorumq; illuſtrium virorum gratia, exigui propè temporis interuallo tantùm præualuit, vt etiam matrem coniugio patris adderet: geminisq; armis, adulandi arte, & ſimulandi verſutia, ita germanos vrgere apud patrem cœpit, vt pater filijs necem pararet. Denique furens animi Romam petit attracto ſecum Alexãdro, quem reum magici aduerſum ſe criminis ante Cæſarem ſtatuit. Ille data ſibi copia deplorandæ calamitatis, ærumnarumque omnium, cùm videret ſibi ſuppetere tanti iudicis autoritatẽ, qui nec ab Herode traduci per gratiam poſſet, nec ab Antipatro circumueniri, nihil prætereundum ratus, flagitia patris quadam perſtrinxit modeſtia, vt nec vrgere tanquàm accuſator videretur, nec occulta

Antipater Regio fulcitur cultu.



occulta eſſe ſineret, cùm plurimùm cauſam iuuaret, ſi ſe ob necis maternæ dolorẽ paternis peti odijs demõſtrauiſſet. In talibus enim iudicijs nihil tam magis liberos grauat, q̃ naturæ pietas & affectionis autoritas. Quę ſi aliquanto traducũtur flagitio, pręiudicium minuitur, prętogatiua excludit. Vbi verò ad obiecta patris ventũ, validis refellens aſſertionibus, alienũ ſceleris primò fratrẽ demonſtrauit, qui ſuorũ eſſet conſors periculorũ, quẽ innoxiũ in crimẽ vocari ingemiſcebat. Aſtipulabatur puræ conſcientiæ agendi ius & dicendi peritia, nihil ſibi ac fratri relictum honoris, ſublata omnia per ſcelus germani, patriſq; facilitatem. Amariſsimè deplorabat necem ſibi irrogari, quam pater eòuſq; expetit, vt crimẽ adijciat, flagitium adiungat. Quib⁹ dictis coegit in lachrymas vniuerſos, atque eò ſortẽ deduxit iudicij, vt Cæſari accuſatio non probaretur, pater reconciliationẽ amplecteretur. Id gratũ admodum & præcellentiſsimũ Romano Principi, non ſolùm Regi inclyto regnum donaſſe, ſed etiam liberos reddidiſſe. Itaque

Itaq; iuſto defunctum examine, vt ſic pa
terni iuris reuerētia inuiolata maneret,
& tuta filiorū innocentia patri, vt dice-
bat, obtēperarent liberi. Ipſe inoffenſum
naturæ affectum exhiberet filijs, cui vel-
let tamen, regnum relinqueret. Redit ex
vrbe Roma cū patre Alexander iudicio
magis quàm ſuſpicione abſolutus. Va-
care enim mentem Herodis ab odio fili-
orum Antipater non patiebatur: Ipſe e-
nim erat odiorum materia: premebat ta
men ſtudium ſuum contuitu reconcili-
ationis, ne appetitæ germanitatis ſcenā
proderet, inſidias manifeſtaret. Vbi ven
tū eſt in Ciliciā, & nauigātes in Eleuſiā
applicauerūt, ſuſcepit eos Archelaus o-
pimo conuiuio, gratias agens Antipa-
tro genero ſua cauſa, quòd exemptū pericu
lo reconciliatione etiā dignū æſtimaſſet.
Ipſe etiam literis per ſuos directis, amicos
rogauerat, vt genero defenſionis adiu-
mento forēt, & diſcedenti obtulit XXX.
talenta hoſpitalitatis munere, ac Zephy
rium adusque Regem perduxit. Regreſ-
ſus domum Rex, continuò populū aduo
cat, apud quem hoc modo diſſeruit.

Caput



## Caput XXXIX.

MOdò cauſa mihi Hebræi ciues & vtilis & fructuoſa fuit Romam petendi, profectò vt de filijs meis Cæſar iudicaret: ne ſolus ego, qui iraſcebar, cognoſcerem, perrexi ad Cæſarem: vt qui mihi regnum reddiderat, de ſucceſſore meo pronuntiaret. Adiecit beneficijs ſuis, vt quod difficile erat, propè amiſſos filios patri repræſentaret, fratribus, quod ſupra regnum eſt, cōcordiam redderet. Redeo igitur ditior quàm profectus ſum, didici eſſe melior pater, quia didicerunt filij mei eſſe meliores liberi Cæſaris beneficio. Statuit enim, vt ex meo arbitrio penderet filiorum ſucceſsio, ne prærogatiua ſucceſsiōis ſuperbiam gigneret. Ipſe mihi ſucceſſorem darem, quem elegiſſem: eum ſcilicet, qui meruiſſet, eum autem, qui patrē ampliùs honorauiſſet. Imitabor Cæſarē, ille enim abſoluendo iuniores filios meos, ſeniori filio pares fecit. Itaq; ſimul tres liberos hodie Reges conſtituo: illi ætas, iſtis nobilitas adſtipulatur: nec numerus moueat, magni

Hîc Herodes alloquitur populum.

I tudo

tudo regni & pluribus abundat. Arbiter primò ſententiæ meæ Deus: deinde etiam vos accedite, quos Cæſar coniunxit, conſtituit pater, vos honore cógruo proſequimini, vt neque immoderatus neque infimus honor ſit: Aliud inflat; aliud exaſperat. Quod cuique portionis ſuæ meritis ſuppetit, impartiatur. Non enim tantùm quis delectat eum, quem ſupra menſuram honorat, quantùm lædit eum, cui debitum negat. Et plerunq; vterq; eorum offenditur, vbi prælationis adulatio eſt. Sum certè omnibus pater. Honor filiorũ haud dubiè patris gloria eſt. Si tamẽ ſupra modũ q̃s liberos meos excolat, reus eſt mihi etiam pro liberis meis, quibus autor prolapſionis eſt: Nimius enim cultus audaciæ ſumptus eſt. Nũquid inuideo liberis meis? Abſit: ſed malo eos minus cum gratia poſſe, quàm plurimum cum ſeditione. Quod enim ſuperbiæ vel rapinæ eſt, citò labitᷓ: quod gratię, diu tenetur. Vnde curę erit mihi, vt ſponſores concordiæ adiungã liberis meis parentes amicoſque, quorum hortatu mutuæ dilectionis affectum induãt. Nam

Honor filiorum, patris gloria eſt.



Nã cùm omnis ſermo malus facilè mentem audientis inficiat, tum maximè aſsidua colloquia, & diuturnus vſus peſtem animis infundere ſoleant, quo contagio quodammodò in mores cohabitantium citò tranſeat: etſi tranquillitas morum ſit, tamen vt ſtagnum mite licet, ventis exagitantibus aſſurgere in æſtus valet, ita bona natura improbis monitoribus fluctuat. Arbitror itaque, quòd in me vnuſquiſque ſpem ſui potiſsimam deberet recondere, non enim quod accidit liberis meis, mihi deperit. Plus vnuſquiſque tribunorum vel militum reuereri debet patrem Imperatorũ. Ego ſum, ego ſum, qui mercedem vniuerſis repen dam, pro his etiam, quæ filijs meis detuleritis. Si recta aduertero ſtudia, factis remunerabor: maleuolẽtia pretiũ referet ſuum, vt apud eum quoque, quem putauerit adulandũ, fructu excidat. Vos autẽ boni filij, cõſiderate primũ naturæ religionẽ, cuiꝰ gratia & beſtias ligat, q̃ etiã feras cogit in amorẽ neceſsitudinis: manet inter indomitas pecudes mutuus amor, & periculis ꝓprijs redimunt ſuos beluę.

Malus ſermo mentẽ audientis inficit.

Maleuolẽtia ſuum recipit ꝓtium.

 Reue-

Reueremini etiam Cæſarem, qui vos ex inimicis amicos fecerit. Tertiò meipſũ, qui rogare malo, cùm poſsim iubere: manete fratres, nolite exurere quòd generati eſtis. Do vobis veſtem, & cultum imperialem, ſed pretioſus eſt quòd ſuadeo veſtri amoris intemeratum ſignaculum. Si pietas maneat, regnum delectat: Si deſit gratia, vile imperium eſt & plerunq; noxium. Ergo dum vos experiar, habebitis interim non regnum, ſed regni honorem. Si patrem dilexeritis, ius ſequetur, mei tamen amorem in vobis probate: omnibus, quibus delectare regnũ ſolet, vt principes potiemini. Onera imperij, & moles negotiorum me ſolum, etſi nolim, manebunt. Et ideo prodeſt mea velle: quia ego, quæ veſtra ſunt, & volo, & mea arbitror. His dictis oſculatus eſt filios, vt eos vno oſculo charitatis inuicem ſibi necteret. Quo facto, conuentum dimiſit.

Imperiũ ſine gratia vile & plerũque noxium.

## Caput XL.

DIſceſsêre plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis: ſed cum


cum fratribus reuertit diſſenſio, eoque grauior, quò dignitas potior, cui amplius inuideretur & nocẽdi ſuppeteret maior poteſtas. Dolebant filij Mariamnes æquatum ſibi priuatæ filium mulieris, qui regni neſciret proſapiam. Contrà Antipater diſtinctam ſibi à fratribus regni ſpẽ dedignabatur, & inuidebat germanis, quibus poſteriora pro primis vix reſeruarentur. Sed hic ſeſe tegebat & velabat, odio prætendens gratiam, illis cõſilium omne in ſermone obuium, etiam non quærentibus. Promptior lingua, & ſecretorum prodiga, quicquid locuti forent apud Alexandrũ, continuò apud Antipatrum erat, multa etiam, quæ nõ dixerant, ſimulabantur. Pleraque internuntius cũ incremento adijciebat. Architectus omniũ, quibus appeterentur fratres, Antipater erat, cuius vita nihil aliud erat, niſi quoddã verſutiarum conciliabulum, ſcena improbitatis, argumẽtum ſcelerum, flagitiorũ miniſterium. Subijciebat iudices, ſubornabat teſtes, ſimulabat defenſionem, quaſi in theatro perſonam fratris circumferens, vt leui-

ora excuteret obiecta, grauioribus cede ret, quò magis patrem falleret, & vehementiùs in fratres moueret, maximeq; acerbabat arte inuidiam paternæ necis paratæ, vt regnum eriperetur, quia Regibus metus periculi ſuſpectior: ſed ne ſine repulſore minus veriſimilia Regi viderentur, ipſe primò tentabat refellere, deinde conſtringi ſe manifeſtis rerum indicijs volebat videri, vt porata vtrinq; cauſa, quaſi nihil iudicio defuiſſet ampliùs, pater tanquàm in conuictos filios excitaretur: nulla enim res maiorē fidē aſſertis dabat, quàm quòd Antipater fratrum defenſor æſtimabatur. Hac fraude plurimorum captabat gratiam, ipſius quoq; patris in ſe mentem inclinabat. Quicq̄d quotidie fratribus minuebat̄, de affectu paterno in ipſum transfundebat̄. Abducebat amicos Regios, parentesq; & præcipuè fratrem Regis germanum Pheroram, & Salomen eius ſororem alienos à nepotibus fecerat, vt nō modò eos non defenderent, ſed etiam appeterent, atque odiſſent. Accedebat odiorum materia vxor Alexandri Glaphira, quæ

Glaphira Alexandri vxor.

mu-


muliebriter ſatis præſentium inſolens extollere ſeſe acceperat faſtu ſuperbo: eò q̄ omnibus præmineret proſapiæ claritudine. Itaq; quaſi dominā ſe omnibus, qui in aula erant Regia, præferebat, patrem, auumque Regem ſibi, & præcipué Darium Hydaſpem materni generis apicem ſolita iactare, contumelijſq; ignobilitatis afficere Salomen Regis ſororē, vel Doſidem coniugem: quòd illis dolori, ſibi odio foret. Cæteras quoque fœminas ſimiliter exaſperare, quę Regi ꝓpter decorē magis, quàm propter nobilitatem generis copulabātur. Plurimis etiam Herodes præter Regium morem, etiam Iudæorum vſu quaſi quadam erroris licentia delectabatur, qui figuras maiorum vitijs ſuis obtentui ducunt. Grauabatur ergo Alexander vxoris inſolentia: Ariſtobulus quoque ijſdem quibus Glaphira ſermonibus vxorem inceſſabat: deiecti illam ſtatus nec conferendam Regiæ proli, imparem Glaphiræ ſibiq; eſſe opprobrio, quòd frater regalis generis coniugio potiretur, ipſe priuatę vxoris cōtubernio degeneraſſet,

 de-

demens, qui conturbaret conuitio proprias neceſsitates. Quibus perſtricta cõtumelijs vxor Ariſtobuli, ad matrem cũ lachrimis omnia perferebat. Salome autem comperta per filiam Regi Herodi annũtiabat: At ille monere filios quàm perdere commodius ratus, vocatos partim imperatoriè terruit, partim affectu paterno hortatus eſt, vt fratrem amarẽt, neúe vt hoſtes diſsiderent, veniam tribuens ſuperioribus, denuntians correctionem futuris. At illi compoſiti ſeſe inſimulationibus peti pluribus deplorantes, orare ſimul & polliceri operibus ipſis, in reliquum propriæ fidem defenſioni daturos: tantummodò factum pater expectaret, ne temerè auditis crederet: non enim defuturos delatores improbos, quamdiu auditor credulus ſuppeditaret. His & talibus emollito patre, quàmuis eo tempore imminentem depulerint metum, mœſtitiam tamen coaceruarunt, quòd vrgeri ſeſe à Pherora & Salome videbant: quorũ alter patruus, altera ſoror patris, quibus defenſioni eſſe debuerant, inſidiabantur: accedebat



bat enim formido grauis, quòd plurimum poterant apud patrem. Nam accepto diademate, propè vniuerſam regni potentiam cum fratre ſuo Herodes participauerat, nec mediocres vtriq; contulerat opes, & maximè Pherorę. Deniq; his annua talenta centum recondebat, præter eam regionẽ, quæ vltra Euphratẽ ſita, redditũum copias multiplicabat. Tetrarches quoq; petitu Herodis à Cæſare fuerat conſtitutus, donatus etiam Regalis coniugis neceſsitudine, quia ſororẽ Regię coniugis in connubij ſui ſortẽ aſciuerat. Poſt cuius obitum deſponſata ſibi ſeniore Regis filia, in gratiã ſuc ceſſerat generi, niſi amore captus ancillulæ Regalis puellæ copulam declinauiſſet. Qua exaſperatus Herodes contumelia, ei filiũ tradidit, qui poſteà Parthico bello occidit: Inſimulatũ tamen apud ſe Pherorã, quòd venenis appetiuiſſet fratris ſalutem. Qua ſuſpicione ne viuente quidẽ caruerat vxore: plurimorũ primò, & ad poſtremum amicorum eius quæſtione exercita, vacuum eius, cuius arguebatur facinoris inuentum volens

 abſoluit:

abſoluit: dans etiam fugæ veniam, quòd rapta, quam diligebat ancilla, depoſitionis initę, vt ad Parthos confugeret, familiarium ſuorum cōfeſsionibus modum detegebat. Reſpirauerat aliquantulùm Alexander, dum Pheroras accuſatus inceſsitur, & ipſe inceſsit Salomē, quòd ſpopondiſſet nuptias ſuas Obodę Sylęo, qui erat Regis Arabiæ procurator, Herodi inimiciſsimus. Sed remiſſo vtrinq; crimine tempeſtas domus in Alexandrū incubuit, atq; ipſum graui periculo inuoluit: furebat enim ſæua peſtis, & procella totiùs aulæ Antipater. Omnibusq; modis & conuentu etiam propinquorū ingrauans fratrem, ita vt turbato mentis ſobrię ſtatu, inſtare ſibi Alexandrum cum gladio pater magnis vocibus proteſtaretur. Venerat in medium ſcena huiuſmodi, quòd eunuchos tres, quorum vnus pocula Regi miniſtrare ſolitus foret, alius fercula cœnæ inferre, tertius thorū obſeruare Regium, nec vnquàm diſcedere, cùm ſe Herodes lectulo cōpoſuiſſet, donis huberioribus illexiſſet Alexander ad ſui gratiam, & turpis flagitij ſocie-


ſocietatem. Quo prodito, ſupplicijs adacti ſpadones, obſcœnę ludibria libidinis manifeſtarunt, promiſſa etiam amatoria tegere nequeuntes, quibus ſermonibus ſolicitati huiuſmodi forent, & qua ſtupri mercede retexuerūt, vt inuolutum dedecore parricidium crederetur ineſſe ſibi iuuentæ gratiam, formæ decorem, robur ætatis, contra inualidum Herodem, & iam ſenecta grauem, qui capillum inficeret, ne ætatem proderet, à quo cùm vellet regnandi ius in ſe tranſfunderet, præmiaque polliceri ingentia: & ideo eos in iuuene ſpem ſuam conſtituere oportere, non in decrepito ſene, cui ipſa natura finem accelerarет. Quæ grauiter quidem Herodem mouebant: ſed illud præ cæteris, quòd conſpirare ei militarem manum, Duceſq; exercitus, & centuriones ſpadonum indicio compertū haberet: deniq; ita exagitatus eſt, vt nullū ſæuitiæ genus prætermittendū putaret, nulli crederet, oēs ſuſpectos haberet. Velociores erāt pœnæ q̃ interrogatiōes flagitiorū, & iudiciū p̄ueniebat reorū exitꝰ. Rapiebanť paſsim ad ſuppliciū, quos

quos aliqua inceſſebat ſuſpicio. Feruebant calumniæ: multi volẽtes Regi placere, deferebãt reos:ſed ilico etiam ipſi, qui alios detulerant,deferebantur,& cũ reis ſuis ducebantur ad locum pœnæ. Ita efferauerat Herodes in vniuerſos,vbi ſi aliquis eorum ſupereſſet,ſuſpectus foret. Aliter Rex non putans ſe eſſe ſecurum,niſi deficeret genus humanum. Inſimulatis irrecõciliabilis, amicis incredulus, familiaribus ſuperbus, immitis reis,pauidus ad oĩa, vt crebrò ſedes mutaret, noctes ſine ſomno duceret. Qui omnibus exaſperatus repentè Alexandrum alligatũ vinculis ſepſit cuſtodijs, & amicos eius in quæſtiones vocauit: Qui negabant,inter ſupplicia moriebãtur. Rurſus tacentes, quia nihil, quod eſſet ſuſpicionibus conſentaneum,confitebantur, vſq; ad mortem ſupremam exulcerati,tamen aliqui vi tormentorũ, & pœnarum victi acerbitate, propoſitũ adoleſcentibus aſſerebant, vt venationi intentum occiderent patrem, & ad vrbẽ Romam ſine mora pergerent, vt effugij pœna eluderetur. Quod etſi nullo argu

Herodes Alexandr. vinculis alligatum cuſtodijs ſepſit.

mento



mento fulciebatur, tamen ad ſolatium ſtudij ferocis deriuabat pater,volẽs vinculorum filij cauſas iuſtas habere. Conſiderans itaque Alexander obſeratas aures patris ad omnem ſui defenſionem, nec vllo modo rem poſſe deduci, vt de innocentia ſua præſumeret, qui tantis calumniarum molibus appeteretur, ſimili arte nequiſsimis delatoribus occurrendum putauit, vt fraudulentos & calumniæ machinatores dolis circumueniret,atque in calumniam reos vocaret, quorum ſe calumnijs vrgeri credidit.Scripſit igitur quatuor libellos,quibus commẽtum ſceleris, quo paternam ſalutẽ appetierit, confiteretur, atq; inſidiarum huiuſmodi conſcios plæroſque eorum,à quibus ipſe appeteretur, expoſuit:atque iiſdem inſcripſit libris, præcipuè Pherorã & Salomen:quòd ea quoq; intempeſta nocte rupto adoleſcentis, in quo habitaret,cubiculo,illexerit inuitũ, & reluctanti extorſerit, vt incœſtum patraret.Tranſmiſit ad Regem libellos,velut indices flagitiorum ſuorum, quibus potẽtiſsimos quoſq; inuoluerat Regis

Hîc ratiocinatur Archelaus.

comites

comites atque amicos. In tempore illo Archelaus in Iudæam properatò aduenit: vt ſi quid poſſet, genero ac filiæ opis auxilijque ferret. Sed præuidens apud infeſtiſsimum patrem obſtructos ſibi aditus, legitimę defenſionis arte cõmotionem eius repreſsit. Nam ſimul vt aulam ingreſſus Regiam eſt, magna voce cùm iam audiretur & videretur ab Herode, velut furens animi vociferari cœpit: Viuítne adhuc ille veneficus gener meus, & carpit hanc lucem, vbi quæſo eſt? Vbi parricidale illud reperiã caput, vt manibus excerpam meis? Parricidio perire debet, qui parricidium voluit implere. Quid facturus eſt ſocero, qui non pepercit patri? Quis demonſtrabit eum? Euiſcerabo primum ſceleſtum, adijciam filiam bono ſponſo, etſi ſceleris nõ fuit conſcia, non eſt tamen aliena contagij, quæ parricidæ coniugio potiebatur: Nõ agnoſco filiam meam, quę artes non deprehendit mariti, quæ ſe talem exhibuit ſocero nurum, vt ſubiectum filium patri redderet: Ego illam non ad ſceleris miniſteriũ iunxi, ſed ad cõſortiũ matrimo-


nij, vt cohæredem gratiæ præſtarem, non criminis adiutricem. Te miror Herodes, ſi adhuc viuit Alexander ille inſidiator patris. Putabam iuſtas illum iam pœnas dediſſe, quem differri non oportebat. Quid enim diutiùs ſeruatur confeſſor, animi parricida talis? Sed fortaſſe hoc quoque diuinę fuerit prouidentiæ, vt amborum parentum iudicio condemnaretur, qui in te læſit vtriuſque pietatem. Non me negabo vltorem, qui me vltionis exactæ prædicatorem parabam, ſed ne filiam excipio, quam infauſtis nuptijs ipſe deſpõdi, te ſponſorem ſecutus: non enim ego illam mariti moribus, ſed fidei tuæ tradidi. Reddat cauſas, quòd vadem ſuum diſsimulauit, maritum ſuum dilexit. De vtroque nũc vobis iudicium eſt, ſi firmus executor tãti doloris es, accingere pater, ſequeſtra pietatẽ, non optandum quidem officium patribus, ſed non diſsimulandum. Si te pietas mollit, inflectit natura, mutemus vices, vt ego in tuo filio, tu in meo pignore miniſterij mutui ſimus executores. Huiuſmodi orationẽ circũfremẽs traduxit Herodẽ, atque

atq; à furore animi paulatim intentionē eius emolliuit, vt quaſi compatiēti, atq; vnanimo ſeſe crederet, & daret ei libellos legendos, quos Alexander compoſu erat. At ille ſingula quæque aduertens, vbi intellexit magis dolo re congeſta, quàm fide ſuffulta, profundo cōſilio minuere paulatim inuidiā tentamēti parricidalis, atq; obiectorum cauſas in eos, qui deſcripti fuerant, & maximè in Pheroram cœpit transfundere. Itaq; vbi aduertit Regem à ſua ſententia non abhorrere: Conſiderandum, inquit, ne fortè adoleſcens magis tantorum improborū inſidijs appetitus apud te ſit, quàm tu ab adoleſcente. Quid enim cauſæ erat, vt tuam appeteret vitam, cui regni honorē conceſſeras, regnandi ius reſeruabas, & ſpē ſucceſsionis? Quid enim appeteret, quod habebat? aut quemadmodum tantis muneribus ingratus foret? Quidúe aliud ageret in tua nece, niſi vt ſuum affectaret periculū? quod te viuo metuere non poſſet, defuncto timeret? ab his vtique, à quibus etiam ſub patre poſitus, propriæ ſalutis excidium perhorreſceret.

Expurgat Alexandr. Archela⁹.



ret. Patet iſta ætas fallaciæ, facilè decipitur, & fraudulentorum inſidijs circumuenitur, vix reſiſtit dolis ętas ſenilis: plerunque tamen ſenum prudentia circunſcribentium verſutis inſidijs irretitur. Ergo ſi maturior vſus ſæpè labefactatus eſt, quid mirum, ſi ætas immaturior adeſſe non potuit ſibi, cùm inſidiantium cateruis perurgeretur? Illos igitur perturbatores Regiæ domus eſſe, illos incitatores adoleſcentium, ſeminatores diſcordiarum, qui in deſperationem ſalutis deduxerunt adoleſcentem, vt ſtomacho magis indulſerit, & vltioni potiùs quàm abſolutioni intendit. Quibus paulatim inflecti Herodes cœperat, & mollire indignationem circa Alexandrum. At verò in Pheroram commoueri vehementiùs, quòd illis quatuor libellis ipſe omnium flagitiorum miniſter, & totius ſcenæ architector exponebatur. Qui videns Regem Archelao mentem inclinauiſſe ſuam, atq; in eum præ cæteris præponderare gratiam interioris amicitiæ, ad ipſum ſe contulit, obſecrās, vt animū ſibi Regis conciliatum redderet. Verùm

 ille

ille innexum plurimis ſcelerum vinculis, quibus euidenter Regi paraſſe inſidias conuinceretur, atque appetiſſe adoleſcentem, nullum habere veniæ locum aiebat, niſi depoſita inficiandi verſutia, quæ obiecta ſibi fuerant, confiteri germano ſui amanti, atq; ab eodem poſcere ſibi indulgentiam non dubitauiſſet: Huiuſmodi ſeſe actioni, quibus poſſet ſtudijs, non defuturum. Mutata itaq; veſte, ſuffuſis lachrymis, ſpecie miſerabili fratris inhęrens veſtigijs, orare veniam, improbitatem fateri, omnia, de quibus argueretur, nō abnuere, ſed recognoſcere dementiam ſibi cauſam fuiſſe tantę prolapſionis, quòd nimius in eo furor amore ſibi dilectæ mulieris exæſtuaſſet. Statuto itaque Pherora ſuorum flagitiorum accerſitore pariter ac teſte, tanquàm pro mercede compoſiti, quòd in vſus ſuos cederet argumenti: Herodem Archelaus deprecabatur, vt naturæ contēplatione molliret iram, fratriq; ignoſceret, ſupra vindictam conſtituens ius naturæ. Nec mirum, ſi in maximis regnis, tanquàm in magnis corporibus ſæpè aliqua mēbra


bra ferueāt, quæ non incidenda, ſed mollioribus ſint curanda medicamentis. Sibi quoque multò grauiores compoſitas à germano inſidias: ſed remiſiſſe ſe neceſsitudini, quod debebatur dolori, vt quò magis pœnam leuaret ingrati, eò ampliùs cauſam grauaret. Cùm hæc atque huiuſmodi alia ſubtexeret, mitigauit quidem Herodē, vt germano remitteret, ſed ipſe tanquàm inexorabilis genero manebat. Denique minitabatur, quòd diuelleret ab eo filiam, tantisque fremebat indignationis ſuæ motibus, vt ipſe Herodes ſatis expiatum filij aduerſum ſe facinus arbitraretur, vltoremque ſuarum iniuriarum rogaret, atque ipſe pro reo ſuo apud ſocerum interueniret, quò de integro renouaret nuptias. Perſeuerabat Archelaus, cui vellet Herodes alij nurum ſuam iungeret, præter Alexandrum: cuius etiam cauſa vxor traduceretur, atque ea arte multò ampliùs impellebat Herodem, vt ille ſibi filium redditum putaret, ſi coniugium eius non ſolueretur: Quòd ille vxorem impenſe diligeret, ex qua etiam filios ſuſcepiſſet,

 dulces

dulces auo, gratos parentibus, hoc munus reſtituti ſibi filij fore, quia non mediocri ex parte bona vxor viri ſui reprimeret errores, aut compenſaret officijs inuidiam flagitiorum. Quæ ſi ab eo diuelleretur, nullum remedium viro futurum, quin præceps in omne rueret nefas. Molliores enim fieri ſolere ſcelerum præſumptiones, quæ domeſticis affectibus reuocarentur. Vix tandem Archelaus inflexus, reconciliatur ipſi genero, atque eidē reconciliat patrem. Hoc conſilio eripuit generum neci, vt pro mercede acciperet eius abſolutionem, dum condemnare ſe potiùs ſimulat, quàm interuenire. Pro quo ſi intercedendum putaſſet, haud dubiè nihil impetraſſet. Addidit oportere eum Romam pergere, purgatum ab his, quæ pater in eo ſuſpectauerat, quoniam omnia ipſe ſcripſiſſet Cæſari. Quod æquè compoſitum reor, vt hoc genere Alexander cùm ſe purgaſſet, Cæſari commendaretur, atq; Antipatri paratæ fratrib⁹ inſidiæ pateſceret.

## Caput XLI.

Hoc



HOc conſilio ſoluta factio & conuerſio facta in lætitiam, inſtauratur conuiuium initæ indicium reconciliationis, cuius autores Archelaus ſeptuaginta talenta, & ſedile aureum gemmis inſignitum: electi quoque Eunuchi Regali conferuntur magnificentia, & concubina (cui Panichis nomen erat) dono datur, atque accipitur. Similiter & propinqui monitu Regis clariſsimis donis Archelaum munerabātur, nec quiſquam familiarium eius exors muneris fuit: quibus omnibus Herodes pro vniuſcuiuſq; meritis plurima impartiebat. Proſecutus eſt etiā cum potentibus ſuis vſque ad vrbem Syrię ſplendidiſsimam, Antiochiam nomine, in regnum ſuum regredientem. Euaſerat Alexander, niſi ſe immerſiſſet in Iudæam vir Archelai artibus longè exercitatior, Lacon genere, Euricles nomine, nimis cupidus opum: earumque pro negotio contemptor, vbi maiora potiundi ſpes refulgebat. Denique non contentus facultatibus, in effuſiones Regias animum intenderat, venandique artifex Herodem antiquis,

Inſtauratur conuiuium.

 tiquis,

Liberato Alexãdro Archelaus muneratꝰ Tyro.

tiquis, opimis adorſus muneribus, remunerationi ampliſsimæ locũ parauit, longeq́; vberiora, ꝙ obtulerat adeptus: tamen non ſatiabitur, niſi cruentis atq; impijs factionibus gratiam ſibi Regis emercaretur. Itaq; more quodam vſuq; Græcis familiari Regem adulando precandisq; omnibus, eius non ſolùm quæ laudis aliena, ſed etiam inuoluta vitijs foret, in intimam eius amicitiam breui peruenit, vt inter primos ſecretorum arbitros eligeretur: aſtipulante etiam patriæ prærogatiua, quòd Spartiatas Iudęi cognato ſibi genere copulatos, pro fratribus habent. Is vbi Regiæ domus vitia cognouit, ſuſpectum animum patris, fratrumque inter ſe odia nouis artibus charum ſe omnibus ſimulans, quaſi fidus ſingulis habebatur: ſed pro ingenio Regis, aut munerum merito ſua ſtudia formabat, vt adiunctior eſſet Antipatro, Alexandrum dolis atque inſidijs circumueniret, familiari ſpecie vtrumque exaſperans: illum pręrogatiua ætatis regno debitum, iſtum materni generis præditum nobilitate iure ſuperiorem: neque cum

In ꝗbuſdã paſsim legitur Archelaus ꝓ Antipater



cũ viliſsimę corruptelę pignore æquale illi conſortium. Quibus captus Alexander, vtpote adoleſcentior, qui delectaretur his, quæ dicerentur ſibi, non perpenderet illa, quæ rurſus de ſe apud Antipatrum cõponerentur, effudit ſeſe Mercenario Antipatri & proditori ſuo, aperuitq́; mentem lubrico ingenio, affectuq́; incauto, patrem ſibi autorem malorum conquerens, qui matrem ſibi eripuerit, regnum decolorauerit, quod ſibi ab auo, veteriſque proſapię inſulis debitum cupiat auertere, fraudari legitimos iure ſucceſsionis, præferri ſpurium ſtupri mercede: ſed non quietura iudicia Dei, vt qui vxorem innocentem necauerat, non etiam ipſe properè parato per coniugem imperio defraudaretur. Quæ ſine mora Lacon ad Antipatrum deferebat, circumuento etiam Ariſtobulo, vt eiuſdem querimoniæ laqueis innecteretur, & pretio coaceruata Regi inſinuabat, dicens ſilentio ſe premere nequiuiſſe tam immane facinus, & pro hoſpitij munere gratiam ſe lucis repræſentare, quam ereptum ire filij pergerent,

 quos

quos niſi ipſe ſimulatione conſilij fidelioris reuocauiſſet, & iamdudum Alexandri gladio interfectum patrem, regnumque indignis hæredibus vacuefactum. Neque Alexandro religioni eſſe parricidalem atrocitatem, qui maximi ſceleris loco duceret, quòd adhuc aui matriſq; necem inultam haberet. Conueniri ſe ac perurgeri peréptorum querelis, vt tam atrox flagitiũ vlciſceretur. Deberi ſibi inferias interfectorũ exigi, ſucceſsionemque eorum non oportere contaminari, vt ab eo, qui maiores eorũ occiderat, regnum adipiſceretur, renouaturum ſe iudicia Cæſaris non ſimili, vt antè, reuerentia, ſed vt Cæſar ipſe cognoſceret omnia ſecreta Regis, quæſitas ſanguine opes, prouinciam labefactatã, reperturum ſe ab inferis auum, matriſque acerbiſsimam necem demonſtraturum, vt ſucceſſor alienus in regnum Regium ſubrogaretur. Excitauerat Regem Euricles, Antipater tamen parui æſtimans vnius ſuggeſtionem, alios quoq; accuſatores fratribus ſubornabat, qui dicerent cũ Ducibus quondam eque-





ſtris exercitus iocundo & tyranno ſermonem initum, compoſitas Regi inſidias dolore deceſsionis, in ceruicibus periculum, niſi maturè caueret. Deniq; non diſtulit Herodes, ilicoq; raptos ſeuerè interrogat, ſed nihil illi, de quibus arguebantur, confeſsi reperiuntur. Et quia impunè tam grauia ſimulabantur apud eum, qui criminum ſe vindicem profiteretur, & negligentem calumniarum, non deerant, qui huiuſmodi inſidias machinarẽtur, quas acceptiores fore patri crederent. Nam & epiſtola prolata eſt, quaſi ad caſtelli Præpoſitum ab Alexandro & Ariſtobulo data, vt occiſo Rege, confugiendi ſibi poteſtatem faceret, donec ſe armis aduerſum ſe inſectantes munirent, cæteriſq; ſubſidijs defenſionem pararent. Excruciatur caſtelli Prępoſitus, & nihil fatetur. Nihilo minùs tamen haud vllis affectati ſceleris indicijs extantibus, quaſi rei Alexander & Ariſtobulus dantur cuſtodiæ. Euricles quinquaginta donatus talentis autor ſalutis ac vitę habetur. Dignũ eſt, nec eum ſilere, qui Euriclis tempore in

Herodes raptos filios ſeuerè ĩterrogat.

Iudæã trãſmiſſus erat fidiſsimus amicorũ Alexãdri, quẽ Rex quaſi cõſcium tentamentorũ illius, ius interrogandũ putauit: vtrũne congruerent, quæ Spartiates de adoleſcentibus nunciauiſſet. Verũ ille nihil ſe de illis quicq̃ eiuſmodi cognouiſſe, ſacramẽto interpoſito fidẽ fecit: ſed adoleſcentibus nihil ꝓfuit. A ſe quęſtionẽ depulit, ne minueret delatiõis inuidiã, & euacuaret Euriclis fraudulentiã, ſi ſeueriùs interrogatꝰ negaret. Quaſi indignus igitur cui crederetur, ab Herode excluditur. Bonus enim pater accuſari filios libenter audiebat, non ſinebat defendi: Delectabatur, cùm appeteren̄t: offendebat, ſi purgaren̄t. Deniq; Spartes ditatꝰ regalibus p̄mijs, vbi tamẽ Achaiã attigit, calũniarũ pretiũ luit. Salome cũ purgare ſeſe neqret, ꝙ Sylęo Arabi pepegiſſet nuptias, vbi generi ſecretũ ꝓdidit, monẽtis vt cõſuleret ſibi, quò fratris cõmotionẽ euaderet, eò ꝙ ſpe futurę cõiunctionis conſilia Regis Arabis annũciare ſuſpecta accerſerēt, delicti gratiã meruit, & oẽm ſæuitiæ Regalis in adoleſcẽtes ꝓcellã intorſit, quo vltimo atq; ineuitabili naufragio demerſi pœnas dederũt.

Salome Sylæo Arabi nuptias pepigit.



Viciun̄t itaq;, & quod ipſis erat duriꝰ vinculis, à ſe fratres ſeparan̄t: miſsiſq; Volumnio militię magiſtro, atq; Olympio ex amicis Regis viro arguun̄t apud Cæſarẽ: at ille offenſus, licet qa filiorũ ſupplicia pater poſceret, negandũ tamẽ patri non arbitratꝰ poteſtatẽ in liberos ſuos dedit licentiã, ſed cõſiliũ adiũxit: aſſerẽs meliꝰ conſulturũ, ſi proximorũ Reges, eorũq; q̧ pręeſſent ꝓuincijs, conciliũ congregaret, & iudicio cõmuni ꝓcederet interrogatio: vtrũ ne aliquę patri inſidię paratę à filijs forẽt: Et ſi cõuincerentur intẽtati parricidij, ferirent: Sin verò fugæ aut leuioris culpę arguerẽt, eſſet vidicta moderatior. Hac p̄miſſa ſibi Herodes, nõ parricidij poteſtate, ſed iudicij cõditione: etiã moderatiõis admonitꝰ, ad vrbẽ ilico Berithõ ꝓperat, quã iudicio celebrando Cæſar præſcripſerat. Conueniunt Præſules Prouinciarũ ſecundũ ſcripta ad ſe data à Principe Romano Cæſare. Saturninus Legatiq; conſidũt, inter quos & Procurator Volumnius. Deinde cognati amiciq; Regis: Salome etiã & Pherora, & Sy-

Volumnius & Olympius mittuntur ad Cæſarem.

&Syriæ primores. Archelaus ſolus excipitur ex Cappadocia ſuſpectæ in generum accerſitus gratiæ, cùm accuſatores adoleſcentium, inſidiatoresq; iudicium repræſentarent. Sed quæ iudicij ſpecies, vbi rei adeſſe ſibi non permittebantur, & abſentes accuſabantur? Aduertebat enim Herodes, quoniam ſi tantummodò viderentur, prona hominum conditione ad miſericordiam ilicò abſoluerentur: maximè vbi naturalis eſſet gratiæ prærogatiua. Deinde ſi vlla copia defenſionis Alexandro permitteretur, ꝙ obiecta facilè diſſolueret. Itaq; relegatis illis in vicum Sidoniorum, quaſi in præſentes accuſatio dirigebat. Obijciebant à patre inſidiæ ſibi paratæ, nulla ꝓbatio deferebatur, nulla indicia tentatorũ: hærebat accuſator, quem nullus redarguebat. Destitutos vndique congregabat in inuidiam contumeliarum, iniuriarum genera, quæ grauiora morte ab his, qui conſiderant, æſtimarentur. Sed nemo diſcutiebat, nemo examinare audebat, ꝙ à patre arguebatur, à Rege imperabatur. Præiudicabat pietatis ſpecies, terrebat ius


ius poteſtatis, interrogabat ſententias ſecurus victoriæ, neſcius quòd in eiuſmodi iudicio ærumnoſior eſſet, qui vinceret, quàm illi, qui tam acerbè addicerentur. Saturninus cõdemnat adoleſcẽtes, quia aliud non licebat. Sed moderatur ſententiam, cauendum aſſerens, ne peremptis duobus ex tribus fratribus, tertio fratri adſcriberetur mors duorũ. Timidè quidem, ſed cauſam locutus eſt, quòd ille eſſet fratribus autor periculi. Secuti ſunt eum pauci ex pluribus. Volumnius autem funeſta immurmurat, & poſt eum omnes volente Rege tali autore pẽſantes mortis ſententiam, diuerſo quidem affectu, ſed pari ſorte expromunt, quibus hoc aut adulatio extorſerat, aut odiũ infuderat, vt aut Regis affectaretur gratia, aut parricidæ crudelitas grauiore pœna afficeretur, qui in victoria ſua tam amarum de ſe triumphum reportauiſſet. Nemo tamẽ quaſi factum horruit, & quaſi commotus pronunciauit. Scenæ enim ſpecies erat, non iudicij diſciplina condemnare abſentes, condẽnare ſine teſte, ſine indice, ſolo naturæ priuile-

priuilegio, quod ad ſalutē magis quàm ad periculum deriuari ſoleret. Stupebat omnis Syria, atque omnis Iudæa, & attonitis mentib⁹ tantę tragœdię finis expectabatur. Quàmuis etiam nota eſſet Herodis crudelitas, nemo tamē credere poterat, quòd vſque ad parricidium perſeueraret. At in illo effera vis animi, nec mari, nec terra cohibebatur. Itaque tanquàm vſu triumphantium, vt per diuerſa filios traderet, Tyrum vrbem inclytā petit, inde in Cæſaream tranſmittit, nauigio ſpectaculum miſerum parricidij circumferens, donec color vllus acerbiſſimæ necis filijs inueniretur. Mouebatur omnis exercitus, ſed metu indignationē premebat. Erat in exercitu Regio veteris militiæ vir Tyro nomine, filium habens coniunctum Alexandro, indulgentiſsimus pater, atque ob ea pignori charus, quoniam popularis quędam pietatis eſt gratia, & maximè in ſuos lex dilectionis. Circa adoleſcentes quoque filios Regis ſtudio propenſior, quòd ab his ſuus fili⁹ diligeretur. Qui ſupra modum concepta indignatione, turbatus animi


animi vociferari cœpit: opprimi iuſtitiam, veritatem excludi, aboleri religionem, confundi iura neceſsitudinum, naturæ gratiā ſuperfluere iniquitates. Ad poſtremum in os ipſius Regis progrediens, ingerebat miſerum eſſe illum, qui aduerſum filios ſuos credendum impro biſsimis arbitraretur: Pheroram & Salomem conſilij arbitros Regis. Quam fidē ab his referri poſſe, qui ſe condemnatos capitis à Rege frequentiſsimè recognoſcebant, aut quid eos aliud agere, niſi cōſulere vindictę, vt deſtitutus idoneis ſucceſſoribus, ad vnum inclinaret cæteris infirmiorem? Qui facilè ſubduceretur, quòd ipſe Regius exercitus odio perſecuturus eſſet eum, cui mors ſoluta eſſet fratrum duorum. Neminem eſſe, quem non innoxiæ ætatis tangeret miſericordia. Pleroſque autem Ducum indignationem ſuam non iam premere, ſed diuulgare. Quorum vocabula locutus, finem dicendi fecit. Quibus ilicò cum Tyrone correptis, Tryphō ex miniſtris aulæ Regiæ, cui tondendi ars atq; vſus ſuppeditaret, ſubitò quadā animi vanitate indicium

indicium ſui facit, compoſitum à Tyrone aſſerens, ſibique perſuaſum, vt cùm ex more barbam Herodi raderet, nouaculã gutturi eius imprimeret, quo perageret necem: idque ei maximo emolumento fore, quòd de muneribus Alexandri polliceretur. Statuitur Tyro cum filio, exercet deinde ſimul quæſtio. Negãtibus illis, iſto nihil ampliùs deferẽte, cũ deeſſet manifeſta rerum fides, nullum ſuppeteret argumentum, nullum indicium documentorum. Tyro iubetur vehementioribus tormentis excruciari. Tunc miſeratus filius ſupplicia patris, ſpondet aperturum ſe omnia, ſi patris ſalus ſibi condonaretur, atq; à Rege promiſſa venia ſuggerit, quòd impulſus ab Alexandro, pater necem Regi paraſſet. Idq; pleriq; ad tempus compoſitũ rati, vt tali pignoris indicio Tyroni conſuleretur: alij pro vero edictum loquebãtur. Sed Herodes dubia pro certis adiudicauit, tanquàm metuens, ne parricidij ſibi facultas periret. Conuocato itaque populo, & cõgregatis Ducibus, de inſidijs deprehenſis motu grauiſsimo promit querelam,

Tyro iubetur excruciari.



querelam, atque in mortem eorum plebem excitat: ibique Tyro cum filio pariter atque tonſore, ſaxis ac fuſtibus interficiuntur.

Tyro cum filio atq; tõſore ſaxis ac fuſtibus interficiunt

## Caput XLII.

ALexander quoque & Ariſtobulus miſsi ad vrbem Sebaſten, quæ nõ longè aberat ab vrbe Cæſarea, ſtrangulantur imperio patris. Hunc finem habuêre filij Mariamnes, quorum interitu non longùm lætatus, ſucceſsionem ſibi remotis illis Antipater haud dubiè blandiebatur: ſed in eum totius gentis mox nõ leue odiũ exarſit, quia apud oẽs patebat eius factione fratres occubuiſſe. Succeſsit etiam non mediocris timor conſiderãti, quàm multiplex indies adoleſceret interfectorum proſapia, cùm Alexander ex Glaphira genitos ſibi Tigranem & Alexãdrum filios dereliquiſſet, Ariſtobulo ex Beronice Salomes filia, Herodes & Agrippa atque Ariſtobulus ſuperſtites manerent: Herodias quoque & Mariamne filiæ, quas ſexus nõ impediret, & regni cupido exagitaret. Queîs

Alexãder & Ariſtobulus Herodis filij ſtrangulãtur.

 rebus

rebus perterritus Antipater, in fraude ac verſutia ſpem conſtituere, & donis & muneribus ſingulos ſibi magis magisq; oppignerare, etiam amicos & domeſticos Cæſaris illicere ad ſui gratiam precio tentabat. Sed contrà illi etiam, quæ domi erant, in aduerſum cedebãt. Nam Rex paulatim proceſſu temporis erga nepotes ſuos Alexandro & Ariſtobulo genitos molliebatur,& facti pœnitentiam prætendebat, cùm eorum, quorum parentes occiderat,miſereretur. Deniq; cõgregatis amicis & proximis ſuis,quadam die lachrymis ſuffuſus ora,dixit ad eos:Video mihi ætatem procedere, & ſine lachrymis aſpicere non poſſum paruulos hos infelicium germina patrum, quibus ego ſum autor doloris, ne peiore eos derelinquam cõditione,quàm parentes abſtuli: Sed illos mihi quædam eripuit ærumna,hos mihi magis magisq; commendat natura & miſericordia: Altera, quia nepotes, altera, quia deſtituti parentibus ſunt. Errauerunt in patrem filij,quid fecerũt auo nepotes? Satis infelix pater fui, auus eſſe debeo ſolicitior.

Hîc deplorat Herodes mortẽ nepotum.

Tentabo



Tentabo poſt me conſulere nepotibus, vtinam & in filijs mihi conſuluiſſem, verùm in illos communis hoſtis atque inimici obrepſerit fraudulentia. Cauendum eſt quoque, ne hos illorum inuoluant pericula, atque vno vulnere ſimul filios amiſerim, & nepotes perdiderim. Prouideamus his defenſores,quibus ademimus: deſponſabo itaq; ſeniori ex filijs Alexandri tuam mi Pherora filiam, & te ei conſtituam patrem. Tuo autem Antipater filio Ariſtobuli filiam,vt hoc modo fias pupillæ pater.Germanã quoque eius accipiet Herodes meus,ex Mariamne Hyrcani ſuſceptus filiam: hæc, inquit,eſt mea ſententia,vt inuicem ſibi coeunte copula iungantur poſteritatis meæ ſucceſsiones, quò nemo ſuſpectus alteri ſit, & ipſe tranquillioribus oculis videam nepotes meos, quàm vidi eorum parentes.Quibus dictis,iunxit memoratorum dexteras, & oſculatus ſingulos, illachrymauit. Quod Antipater lætantibus alijs ita grauiter accepit, vt ſtatim dolorẽ ſuum etiã vultu proderet, haud mediocri conſtrictus ſolicitudine,



quòd

quòd Alexandri filius Archelai Regis & Pheroræ, qui Tetrarchiam tenebat, ſuffragia ſuppetere cerneret cæteris validiora. Aduertebat odia ſui creſcere, nepotibus autem aſtipulari miſericordiam. Nec poterat Ariſtobuli filiam recipere domo, ne ſceleris indiciũ diuturnis eius aſpectibus offenderetur. Adire non audebat patrem, ne ad omnes mobilem ſuſpiciones exagitaret, ſi complacitarum fœdera nuptiarum ſoluẽda exiſtimaret. Subtiliter tamen præſumpſit orare, vt conſuleret ei pater, ne aduerſus duorum potentium opes Regis, & Tetrarchæ nudo regni nomine inualidus exponeretur. Foueret certè honorem, quem confœderandum filio indicaret, ne ſpecies regni ad eum, poteſtas ad illos perueniret. Neq; verò ſolos Alexandri atq; Ariſtobuli filios ſuſpectos habebat, ſed omnes obſtare ſibi arbitrabatur: quicunque ex diuerſis Herodis coniugibus competere, vel taciti videbantur regni ſucceſsionem, quorum frequens numerus erat. Nouẽ etenim mulieres Regali cõiugio potiebant, ex his duę tantũ ſine libe-


liberis erãt, cæteris ſoboles ſuppetebãt. Antipater Doſidem attollebat parentẽ, Herodes Mariamnẽ, Antipas & Archelaus Matehatis erant filij Samaritanæ, & filia Olympias, quæ Ioſippo iure connubij ſociebat. Cleopatra quoq; Hieroſolymitana Herodem & Philippũ genuerat Herodi: Pallas Phaſelũ. Erantquoq; etiã aliæ Regi filiæ, Roxane & Salome, quarum vni Phædra erat mater, Helpis alteri. Supererãt etiam Alexandri & Ariſtobuli germanę ſorores, quas Mariãne ex Herode ſuſceperat, ſicut ſuprà memorauimus. Multiplicem itaq; generationem Herodis metuens Antipater, ægrè licet atq; in primis tentamentis multũ Rege commoto, quòd deſtitutis paterno auxilio nepotibus inuideret diſpoſitas copularum ſocietates: ad poſtremũ tantũ effecit, vt ſibi Ariſtobuli filia, atq; ex ipſo genitus ſorore parẽtis ſui filiæ coniungeretur, tantum adulatione præualuit, vt pactas nuptias ſolueret. Contrà autem Salome, cùm vellet Sylęo nubere, ne ſuffragio quidem Lybiæ, quæ vxor erat Cæſaris, potuit de fratre impetrare:

Ioſephus antiq. lib. xvij. ca. ij. & bel. Iud. li. j. ca. viij circiter mediũ lõgè aliter hęc nomina vxorũ Herod. explicat. Quare ſi plura cupis, eundẽ legito.

 ſed

ſed inuita Alexandro cuidam ex amicis Regis in nuptias conuenit. Subuerſis itaque diſpoſitionibus Regis, Antipater quaſi is, qui voluerat ſibi conſuluiſſe, exultabat animo, & ſuperabat omnes verſutia. Odium tamen nullo modo cõprimere poterat, ſed accendebat, quoniã affectabat terrore ſibi munimentum parare. Coniunxerat ſibi cooperarium factionum ſuarum Pheroram patris germanum, quem Herodes non multò pòſt recuſantem, ab vxore propria diuellit, cui ob iniurias, quas ea mulier Doſidi coniugi eius intulerat, infeſtior habebatur, domoque expulit. Pheroras autem amplexatus iniuriam, in partes ſuas cõceſsit, quibus vt Tetrarcha præſidebat: ea ſanè mentis intentione, vt ad Herodem viuentem nunquàm reuerteretur. Denique nec tunc quidem, cùm eum ægritudine graui affectum comperiſſet, & frequenter orantem, vt ad ſeſe veniret, quòd ei quædam, quaſi moriturus, committenda arbitraretur, viſitandum exiſtimauerit. Qua perculſus licet iniuria, Rex vbi præter ſpem incommodum depulit,

depulit,



depulit, tamen fraterno affectu venit ad eũ, vbi ægrũ comperit, & ſedulò cõpatiebatur, & defunctum Hieroſolymã tranſtulit, & magno fletu celebrique pompa funus curauit. Nec tamẽ his indicijs ſedulæ credulitatis conceptam excluſit opinionem, quòd eum frater veneno appetiſſet. Ita erat etiam in ſuos crudelis, nec difficilis fides rerum, quòd potuerit fratrem occidere, qui filios interemiſſet.

Herodes defunctus Hieroſolymã transfertur.

## Caput XLIII.

HVnc itaque vnus de interfectoribus Alexandri & Ariſtobuli improbitatis ſuæ finem inuenit, à quo exordium ſumens, in Antipatrum pœna tranſiuit ſceleris autorem. Namque libertorum querelis, qui patronum ſuum veneno interfectum aſſererent, ſtimulatus Herodes, dum ſolicitiùs quærit cognito, quia ab vxore de ſuccis Arabiæ accepiſſet Pheroras poculum, quod amatorium putaretur, idque venenum fuiſſe, quòd Sylæi ſtudio traditum, & ilico in peſtẽ conuerſum, in plurimorũ

Poculũ amatoriũ Sylęi ſtudio traditum.

 quæſtio-

quæſtionem tetendit. Vnde quædam inter tormenta de ancillulis exclamauit, vt Deus omnipotens in matrem Antipatri omnia ſupplicia trāsferret, vniuerſorum arbitram flagitiorum, per ipſam occultos conuentus Antipatri ac Pheroræ diu noctuq; exercitas potationes, vſque ad temulentiam, vt à conuiuio Regis recipientibus ſeſe, totis noctibus biberetur. Quod non otioſum nec coniurationis vacuum tentamētorum, remotis præſertim ſeruulis & miniſtris in re ſuſpectabatur, magnumque vinculum connexionis & conſpirationis indicium tam diuturnę moræ, quæ Regibus ſuſpectior in ſolitudinis ſecreto, & noctis ſilentio ibi compoſitum, vt Antipater Romam peteret, Pheroras in Petram pergeret. Quod frequenter inter ſe conferre ſoliti prodebantur, eò quòd poſt Alexandrum & Ariſtobulum, in ipſorū necem ſeſe Herodes conuerſurus foret, miſeros ſe, qui putaſſent, quòd Herodes in illis parricidales cogitationes odiſſet, qui regni hæredes perſequebatur. Sublatos eſſe non poteſtatum æmulos, ſed conſortes



ſortes miſeriarum, in ſe periculum omnium & odia trāſiſſe, ne mulierum quidem parciturum ſexui, quò dilectæ ſibi Mariamnæ, atq; ex ea genitæ non peperciſſet. Nullum ſibi aliud remedium, niſi vt longiùs aliquò ſecederent, quò tantæ beſtiæ furore vel fuga eximerentur. Adijciebantur crebræ apud patrem Antipatri conqueſtiones deplorantis, ardere ſe inuidia Regalis ſucceſsionis, cùm ſæuitia regni ſuper ipſum præcipuè incubuerit: vt iam ſuſtinere non queat, vltimis deditus obſequijs, & poſtremis vrgeri periculis. Nec ſolùm regnandi ius ſibi periſſe, ſed viuendi quoque curricula conuoluta temporum. Aetatem ſibi maturiorem, incanuiſſe iam verticem, contrà autem iuueneſcere patrem, fruſtrà ſperari eius hæreditatem, qui fortaſſe etiam ſuperſtes hæredi tam diu reſeruaretur. Quod autē ſit emolumentū ſucceſsionis futurū longęuo hęredi, cui tā multiplex Alexandri atq; Ariſtobuli ſoboles, velut quædā hydra renatis, quę amputata fuerant, capitibus regerminaret. Ex teſtamento patris etiam iam ius

 commu-

commune ereptum, vt data ſpe regnandi, cuius ad tempus vicarius foret, non aliquem ex ſuis filijs in ſuum imperium ſuſtineret: ſed Herodi Mariamnes filio neceſſe haberet regnum refundere. Itaque non ad fructum ſibi regni ſpem datam, ſed ad periculum, vt eſſet deceſſori ſuſpectus, ſucceſſori grauis. Poſtremò ipſum Regem lõga ſenectute inuidum, & intentum cędibus ſuorum, ſui eſſe teſtamẽti executorem, vt nemo ſupereſſet, qui poſſet ſuccedere, ferri odio graui in filios, nec in fratrem minore, qui ſibi dederat centum talẽta, ne cum patruo ſuo ſermonem haberet, & reſpondente Pherora, In quo enim eum læſimus? Num etiam ipſe ſucceſſor ſum? retuliſſe Antipatrum, nonnullas habere eum cauſas offenſionis. Vtinam amiſsis omnibus, liceret res offenſionis ſeipſum componere: Ferã eſſe beſtiam, quę ne mortibus quidem ſatiaretur, nec poſſet perpeti vllam inter propinquos charitatem manere. Atq; vtinam amiſsis omnibus liceret, vt nudi eum tantummodò viuentes euaderemus, ſed impoſsibile. Ideoq; ſibi occulta

occulta



occulta ad tempus colloquia. Neceſſariũ autem fore tempus, quo vterentur virili mentis vigore, & conſilij viuacitate, dexteræ quoque vindicis miniſterio. Hæc à mancipijs in ſupplicio poſitis reſpondebantur, & mancipio credebat Herodes, maximè quia de centum talẽtis ſoli Antipatro dixerat, nec vllus ſermonis eius affuerat interpres. Succenſus itaq; indignatione, rapit ad ſupplicium pleroſq; & innoxios, ne quis de obnoxijs relinqueretur. Accerſitur ad ſupplicia Antipater Samaritanus, eò quòd eſſet Antipatri procurator, & diuerſis excruciatur modis. Prodit quæſtio, miſſum ex Aegypto venenum per Antiphili quendam contubernalem, idque ab illo datum Thendioni amico Antipatri, per ipſum Pheroræ redditum, cui Regis filius Antipater executionem commiſerat, vt dum ipſe in vrbe Roma degeret, pater eius Herodes extingueret. Quo tẽpore nulla de abſente paratę necis ſuſpicio foret: ſed Pherora cũ in tẽpore venenũ acceptũ vxori ꝓprię cõmẽdauiſſet, recurrit altera in vxorẽ Pherorę veneni inuidia: iubet

*Antipater Samaritanus diuerſis excruciatur modis.*

*Aliàs, Theodioni.*

iubet

iubet ilico Rex Pheroræ vxorē venire, venenū deferre. Egreditur mulier quaſi perlatura quod petebatur, & ſeſe de faſtigio præcipitat ædificiorū, quo gemini pondus criminis euitaret, atq; obitu pueniret indiciū rei, & quæſtionis acerbitatem. Sed quia maturabatur Antipatro feralis vltio parricidij, nō ſupra verticem capitis ruit, quo caſu facilè extingueretur, ſed in aliam partem corporis decidit, vt mors protelaretur: conſopita erat tamen atque attonita mulier, quia ex alto deciderat loco. Iubet eam pauliſper recreari Herodes, donec ad ſe rediret, ſpondet veniam, ſi ſimpliciter aperiret geſtorum ordinem. Non de nihilo eſſe, quòd ſeſe præcipitauerit, ſed magni criminis conſciam, compendium ſupplicij quæſiſſe. Impunita ſibi omnia flagitia confitenti fore: aut inficianti aceruanda ſupplicia, ipſam quoque ſepulturam negandam. At illa vbi ſe reſumpſit paululum: & cui, inquit, adhuc ego ſecretorum ſeruabo ſilentia Pherora mortuo? Illi enim debui fidem tacendi, pro quo ſupplicia non recuſarem, ſi neceſſaria forent:

Mulier de ędificiorū faſtigio ſe ſe præcipitat.


ria forent: Sed ille nunc liber à cruciatibus, & ſi veniabilis erroris correptio eſt, liber à culpa. Quid igitur inuoluere veritatem mendacijs cogitem, vt Antipatro morem geram? Parcam ergo illi, nō parcam mihi? Egregiam ergo mercedem debemus viro, qui nos omnes ſceleribus ſuis in hęc ſupplicia deduxit. Audi Rex, Deo Præſule, qui ſolus mihi veritatis arbiter eſt: propoſui enim nihil fallere, audi, inquam, ſed priùs repete, quemadmodum aſſederis lachrymās germano periclitanti, vt impleueris omnia circa Pheroram munia pia germanitatis: quibus ille inflexus, vbi deceſsiſti, continuò me ad ſeſe vocauit, & ait: Non exiguum ego mulier à fratris affectu & ſtudio deerraui, qui ſic oderam amantem mei, & volebam occidere tam impatientem doloris in periculis meis, ferre ille non poteſt fortuitum, quod ego vrgebam indebitum: circumuentus ſum fateor Antipatri dolis, ſed cogitationis eius ego pretium fero: tu quod habes ab eo venenū relictum, mihi citò perfer, & ſub meis oculis effunde, vt vel ad inferos non feram

ram animum parricidalem: pœnituiſſe correctionis ſit, quod criminoſum eſt præparauiſſe: Citò, inquam, mulier vt vel mortem præueniam, quoniam culpam nequiui. Tum ego detuli venenū, & in conſpectu eius exinaniui, parùm tamen ex eo reſeruaui, mihi, qui te metuerem, vt eſſet remedium, ſi proderetur paratum ad hos vſus venenum. His dictis, pyxidem cum eo quod receperat veneni, protulit: ſubijcitur quæſtioni mater Antiphili & fratres ipſius. Confitentur ex Aegypto Antiphilum detuliſſe pyxidem plenam veneno, quod ille accepiſſet à fratre, qui Alexandriæ commoraretur ſub medicinæ profeſsione. Deprehenditur etiam Mariamnes filia Pontificis inſidiarum conſcia, quæ pararentur marito, idque fratribus eius inter ſupplicia confitentibus manifeſtatur. Vnde Herodes iunior maternæ audaciæ pretium luit, quem in regni ſucceſsionem Antipatro ſubſtitutum, idem quem ſubrogauerat pater, de teſtamento delendum putauit. Et hic quidem nō mediocris error Herodis ſenioris, vt alterius

terius



terius flagitio depreheſo, alter mulctaretur: ſed etiam Herodis iunioris non iniuſta mutatio. Nam diuinitùs præcautum videtur, vt licet nondum facti ſui merito, tamen ob pretium futuræ improbitatis regno abdicaretur. Nam quis eum Regē perpeti potuiſſet, qui Tetrarcha tam inſolens fuit, vt tolerari nequiret. Adijcitur etiā aliud veneficij genus, quod Bathillus Antipatri libertus Pheroræ & eius vxori detulit, compoſitum ex ſuccis ſerpentum, & veneno aſpidū, vt ſi primùm non conualuiſſet ad mortē Herodis, ſecundò vterentur.

## Caput XLIIII.

Reperiuntur etiam literæ aduerſus Archelaum & Philippum fratres compoſitæ: hi Regis erant filij, qui Romæ inſtituebantur, quos Antipater ea vel maximè cauſa appetebat, quòd videbat non mediocri præditos ſapientia, ſuper quos Rex patrium animum reclinabat. Denique euocauerat eos literis, vt maturiùs domum regrederētur. Obſtare itaq; eos ſuis vtilitatibus

Antipa

Antipater arbitrabatur, atq; incumbere ſuis artibus, vt ſpe adoleſcentium ſimulata, omnia factionis ſuæ ſtudia obumbrarentur. Componit itaque epiſtolas nomine virorum potentium, quos Romæ poſitos in ſuam amicitiam illexerat, alijs quoque pretio extortum, vt ſcriberent, quòd adoleſcentes infeſtis patrem odijs vrgerent, & nimio queſtu mortem Alexandri & Ariſtobuli deploraret. Et cùm huiuſmodi epiſtolas clamdeſtinis artib⁹ per aulicos ſceleris ſui miniſtros, patri ingereret, eadem verſutia, qua ſuprà ſimulabat fratrum interceſſorem, vt prætento pietatis patrocinio, impietatis ſubtexeret parricidium. Quibus omnibus in medium deductis cũ queſtionibus, patris vita, epiſtolis, mors fratrũ appetita euidẽtiſsimè panderet: conſiliũ diffinit, de autore ſupplicium ſumendũ, qui poſteriora prodidiſſet calumnia, ꝗ germanos ſuos nõ quaſi parricidas, ſed quaſi legitimę ſucceſsionis ęmulos perſequeretur: nõ quò patrem defenderet, ſed ne conſortem regni haberet. Intereà cùm ſeptem menſium curricula inter


inter documenta flagitiorum, & reditũ Antipatri concluderentur, nulla innotuere Antipatro indicia rerum geſtarum, tanta circa eum vniuerſorum odia feruebant. Incertus igitur omnium, ſcribit ex vrbe Roma continuò ſe adfore, ſũmoque ſe honore dimiſſum à Cæſare: quibus literis lectis, reſcribit Herodes maturatò eum contendere oportere, ſecurum affectus paterni, cui non ſolùm nihil imminutum per abſentiam foret, verùmetiam tanta accederet gratia, vt eius contuitu matris offenſa minueretur. Nam iterum domo eam deprehenſam, in artes filij conſentire, conſortio exutam Regiæ liberalitatis compendijs eliminauerat, cui ſe remiſſurum indignationem ſcriptorum ſpecie manifeſtaret, metuens, ne comperta matris expulſione, ſuſpiciones ſuas Antipater ad cauendum exuſcitaret. Adueniens itaque, Tarenti primùm de Pheroræ obitu cognouit, ibiq; luctum magnum exercuit, quod à quibuſdam pietatis affectui datum, eò quòd patrui mortem impatienter doleret. Ille autem miniſtrum auum


parricidalis

parricidalis ſibi ſublatũ ingemiſcebat, nec ſolùm non proceſsiſſe ſceleris apparatum, verumetiam venenum ſe dediſſe terrori erat, ne quo modo ad cognitionem Regis perueniret, & ille ſcenam criminis publicaret. Tranſit itaque in portum Cæſareæ haudquaquã vacuus grauioris curæ ac ſolicitudinis, cùm ei etiã mater non mediocre præiudicium condemnatæ ſobolis daret. Sed vrgentibus amicis, qui patriæ cupiditate poſtponenda omnia, quæ Antipatro cõducerent arbitrarentur: denique expectato eius ingenio, quo vel auerſum patrem à ſui gratia facilè conſilijs ſuis flectere ſolitus erat, hortantibus vt ſeſe patri, & prædeſtinato ſibi regno ocyùs repræſentaret, quod nemo auderet eò præſente contra niti: ſed occaſio abſentiæ eius ſola arſerit, vt auerti poſſe ab eo Regis animus æſtimaretur. Et ideo præueniendũ maturè, ne demorando magis aut deſiderãtem offenderet, aut ſuſpectum exacerbaret, cùm diffidentiam ſui proderet. Credidit itaque magis volenda quã neceſsaria ſuadentibus. Verum vbi portũ ingreſſus


ingreſſus eſt, neque quenquam ſibi obuium circumſpectauit, & quaſi peſtem aliquam ſenſit ſuam præſentiam declinari, in ſumma locorũ frequentia maximam ſolitudinem, cùm occurrere nemo auderet: metuentibus alijs, alijs auerſantibus, etenim id tẽporis & odia quo minus ſe tegerent, autoritatem acceperant, reputare ſecum ſcelera ſua cœpit, & conſcientiæ ſtimulis exagitari, nullum fugæ locum, neque euadendi ſubſidium ſibi relictum. Circumuentum ſe velut quibuſdam retibus, & captum teneri, fidutiam omnem aſſumpſit ex impudentia, vt diſsimulatis omnibus improuiſum ſe patri offerret, in amplexum rueret, pietatis officia prætenderet. Verùm ille extenſis manibus ingerentem ſeſe repellens & reclinans caput, ne parricidæ oſculo contingeretur, exclamauit & hoc eſſe amentiæ parricidalis, vt amplexum petas, cui inuiſum te recognoſcis, vt horrore tui afficias patrem, & contactu noxij corporis viuendi ſuauitatem extorqueas. Ne igitur contigeris, ne attaminaueris,

 quem

quem ſcelere petiſti. Purga certè priùs ſi potes, deprehenſa dilue: iudicium nõ refugiam, nec audientiam tibi negari patiar, nec mihi ipſe aſſumam cognitionem, nec argumentandi tibi occaſionẽ relinquam. Opportunè adeſt Varus, apud quẽ defenſionem tui præpara. Nec differendi locus, craſtina die, quamuis dolis & fraudibus præditus, habes purgandi tui copiam. At ille obſtupefactus tantæ commotionis pauore, nihil eſt auſus referre, nec potuit: ſed egreſſus foras fluctuabat animo, quòd nihil omninò ex his, quæ geſta erãt & prodita, apud patrem compererat. Aduenientes autem ad eum mater & vxor aperuerũt omnia. Quibus cognitis, ſeſe colligere ac præparare animo cœpit, quibus modis criminationi occurreret, confeſsionem extenuaret. Sequenti die congregantur omnes Regis propinqui & amici Antipatri, interſunt examini vniuerſi, qui diuerſa de Antipatro prodiderant induci præcipiuntur. Leguntur etiam epiſtolæ matris Antipatri, in quibus illa ad filium ſcripſerat, vt cognoſceret proditam patri

Examẽ circa Antipatrum.

patri



patri ſuorum ſcenam flagitiorum, nequaquam eum debere adeſſe, niſi à Cæſare aliqua manus accerſeretur, cuius ſe præſidio circumuallaret, neque ſe iudicio committeret, qui tantorum confeſsionibus appetebatur, ſed armis muniret. His ad ſuperiora additis, ingreſſus Antipater & ſeſe ad veſtigia deijciens patris obſecrat, ne ſe prædamnatum haberet: confidere ſe, ſi deferatur audientia, vacuum criminis fore ſi pater vellet: iubet pater ſilere, atque eum iſtiuſmodi ſermone præuenit: Quòd nulli iuſto veniabilis nequitia Antipatri poſsit videri ſatis certũ eſt, ſed eò magis grauari me apud te Vare arbitror. Vereor enim, ne etiã me oderis, qui parricidas generaui filios, quibus non poſſet etiam parcere pater: licet hoc quoque miſerandus magis ſim ita, quòd & tales amaui. Sed de illis taceo, quos ipſe exaſperaui, & iuſtas aduerſus hunc allegationes eorum reſpui. Nullas enim hi aduerſum me habuerunt cauſas doloris, niſi quòd his Antipater præferebatur, & conſortij Regalis prærogatiuam acceperat, qui natus reg-

Accuſatio Herodis contra filium ſuum Antipatrũ

 nonon

no non erat: putabam tamen quòd ma
iorem natu minoribus ad tutelam ad-
ſciſcerem. Sed hoſtem induxi, qui inui-
deret nobilioribus, excitaret puerulos,
infirmos circumueniret, incautos pro-
deret. Lapſos non nego, ſed eos excuſa-
ri potiùs, quàm vrgeri oportuit. Anti-
pater hic mihi & illos abſtulit, hic mihi
& illos fieri inſidiatores compulit. Do-
lui fateor, quòd ij, quibus regni ſpem de
deram, quibus ſucceſsionem reſeruaue-
ram, aduerſum me improba machina
rentur: ſed nunc non patrem ſed Anti-
patrum oderant. Perierunt itaque ad
dolorem patri: Antipatro ad fructum.
Quæris Vare, quis eos occiderit? Cog-
noſce cui mors eorum profecerit. Va-
cua eſt domus, nouercæ filio patuit aula
vni ad ſuccedendum, quæ multos ſuc-
ceſſores habebat. Nec expletus eſt mor-
te fratrum cruentus animus & mens im
pia. Poſtquam non habuit fratres quos
odiſſet, patrem perſequebatur. Reputo
mecum quã huic munimentũ hæreditatis,
paraui: viſus ſum & ipſe diu viuere de-
ceſsionẽ faſtidiẽti. Docui quid vellet, cui
ſuc-



ſucceſsionis cõpetitores ademerã, morã
tẽ nõ paſſus eſt: nec expectauit regnũ, ni
ſi vt parricidio adipiſceretur. Reddidit mi-
hi vicẽ, quia proiectũ collegerã, & prætulerã
nobilioribus. Cui enim tantũ ex illis, quã
tũ huic contuli? cui ipſe viuẽs poteſtatẽ
ceſſerã, teſtamẽto apto hæredẽ deſigna-
uerã, quod ſolet eſſe periculoſum Regi-
bus, vt aliquis ſe ſucceſſurũ nouerit. Quin-
quaginta in fructibus talẽta cõceſsi, trecẽ-
ta Romã proficiſcenti dedi. Cõmendaui
Cæſari quaſi ſolũ filiũ, nihil mihi reſer-
uaui, quam deberẽ parricidã timere: ſed hoc
eũ magis ad parricidiũ armauit, quod ſe me
is beneficijs ſuperiorẽ videret. Quid tan
tũ ſceleris cõmiſerũt fratres eius, quos ad
mortẽ coegit? Aut quæ iſtiuſmodi aduerſũ
illos indicia detecta, qualia iſtius depre-
hẽdunt? Sed interrũpere atq; obſtrepere
audet parricida, & dolis tẽtat veritatẽ in
uoluere? Caueas Vare admoneo, caueas
ſimulatas eius lachrymas, & gemitus arte
cõpoſitos, nec vllo expreſſos dolore. Hic
eſt qui mihi pietatis affectũ abſtulit, cùm
afficto metu cauẽdũ admoneret Alexan-
drũ, cũ illo mẽtes plurimorũ cõuenire,

Pernicio-
ſum eſt Re
gibus, vt
aliquis ſe
ſucceſſu-
rũ nouerit

 aſſerens

aſſerens non temerè committendam vniuerſis præſentiam meam. Simulabat ſe circumſpectare omnia, vſque ad lectũ deducere, diſcutere atque examinare ſingulos. Hic erat ſomni diſpenſator & miniſter ſecuritatis, in quo ego ſolatium conſtituebam, atque eius officijs leuabã de interfectis dolorem: arbitrabar quòd & illos mihi redderet, mœrorem auferret, pietatem obtenderet. Hic erat protector meus, cui credebam corporis ſenilis cuſtodiam. Quomodo viuam neſcio, quomodo tantum inſidiatorem euaſerim, quibus me circũuenerat delinimẽtis, quibus fraudibus vinctum tenebat, vt ſoli huic me crederem, quem ſolum caueri oportuit. Incredibile mihi eſt quòd euaſi, nec viuere mihi videor, ſed ſomnium puto. Quis enim crederet, aut illum tã ingratum futurum, cui in me poteſtatem omnem commiſeram, aut me poſſe euadere, ſi Antiparer nollet? Tutiorem tamen gratiam & factum putabam. Sed quæ (malum) infelicitas me, aut aduerſum me eos faciat inſurgere, quos plus dilexerim? Deploro ærumnã domus


domus meæ Vare, defleo ſolitudinem, ingemiſco vim tanti doloris. Sed tamen tanta eſt acerbitas ſceleris parricidalis, vt neminem mihi patiar euadere, quicunque ſitierit ſanguinem meum, ſi etiam in omnes filios meos affectati parricidij indicia promantur. Cùm hæc diceret, indignatione pariter ac dolore intercepta vox eſt loquentis. Continuò Antipater eleuans caput, velut ictus enim & ſauci[9] graui vulnere iacebat ante pedes patris, nec aſſurgere audebat, exclamans, ait: Tu quidem pater vt iratus accuſas, ſed mihi nulla eſt maior defenſio, quàm teſtimoniũ accuſationis tuæ, quia ſemper fui cuſtos tuæ ſalutis. Defenſionem igitur pro me voto accuſantis adhibuiſti. Quomodo enim parricida ego, quem ipſe tuum protectorem fateris? Aut quomodo circumſpectus atq; aſtutus, quem commentatorem arguis parricidij? cùm extremæ inſipientiæ ſit cogitaſſe, quod & apud homines execrabile ſit, & apud Deum inultum eſſe non poſſit. Vel fratrum exemplo doceri potui, nullum tanti ſceleris effugium fore,

*Reſponſio Antipatri aduerſus accuſationẽ patris.*

 quod

quòd ſcelus iſtiuſmodi nec latebrā inue niat, nec pœnam euadat, quādoquidem & illi pro tanta in te maleuolentia pœnas dederunt: at illos inuidia quædam (vt dicis) impulerit ad parricidiū, quòd me ſibi præferri videbant, quibus materni generis nobilitas animos dabat, vt regnum quaſi ex materna ſucceſsione ſibi debitum vendicarent, & quaſi à te ereptum repoſcerent. Quid tale ego, qui neſciui regnum niſi de te ſperare, tuum iudiciū quærere, tibi ſoli placere? Quid autem erat, quod me aduerſum tuam ſalutē audere aliquid impelleret? An regni cupido? ſed regnabam: an odij ſuſpicio? ſed diligebar: an iniuriæ dolor? ſed præferebar. Si illos ſola formido prælationis meæ armauerit ad parricidium, ego abſoluar: quia neſciunt Prælati parricidium cogitare, ſed odiſſe. Niſi fortè aliquis ex te metus compulit. Verùm ego, vt mihi vox tua teſtis eſt, nihil ſciebā niſi pro te timere. Quid enim mihi timerem, qui miniſter eram tuæ ſecuritatis, & diſpenſator quietis? An verò inopia pecuniæ & egeſtas coegit, quæ ſolet indigenti-



digentibus ſuadere latrocinium? Sed de-deras, quod non ſolùm in præſens, ſed etiam in omne tempus abundaret, & diuitem Romam miſeras, vt Regum Reges pronuntiarent imperij apud ſe principatum eſſe, non diuitiarum. Deniq; Fabatum illum Romanæ rei moderatorem, & intimum Cęſaris tibi cœpi, & à Sylęo ingēti impulſus pecunia, vt te impugnaret, ita commutaui, vt fieret tuus defenſor, & ſolicitatoris ſui proditor. Per quē pater alium inſidiatores tuæ ſalutis detecti ſunt? Quomodo ergo parricida ego, qui cuſtodē tui corporis Corinthū latentem deprehēdi? inſidiantem remoui? ad confeſsiones negantē deduxi? Potui parricidium non cogitare, & parricidij fructū habere, ſi tacuiſſem. Sed mihi ſi beſtiarū immanitas, ſi atrocium ferarum ineſſet furor, tamē tantis beneficijs tuis manſueſcere potui, vt nullā opē niſi in tuæ ſalutis ſubſidio conſtituerē, vt ꝑ omnib⁹ tibi vel ſolā charitatē referrē, te meo corpore ꝓtegerē, te intimis, ſi fieri poſſet, viſcerib⁹ includerē: ꝓtuleras nobilioribus filijs materna ſtirpe min⁹ nobilē, matrem

Egeſtas ſuadet latrociniū.

matrem quoq; regni exulem in regnum
vocaueras, nec iam ſucceſſorem me im-
perij, ſed quaſi conſortem habebas. O
miſer ego, cui tantum liberalitas tua bo
norum effuderat, vt inuidia ſuccederet.
O ſtultiſsimus ego, qui te pater reliqui.
Sic datus eſt inuidiæ locus, & poteſtas
inſidiãtibus. Nanque dum ego pro tua
ſalute diu demoror, meam prodidi: &
tamẽ nihil habeo, quod mihi aſſcribam.
Tu me pater abire iuſsiſti, tibi ego pere-
grinabar pater, ne tuam ſenectutem Sy-
læus circumueniret, ne te viuentem re-
gno exueret, nec apud Cæſarem tuam ſa
lutem appeteret. Teſtis eſt mihi Roma
pietatis, Cęſar quoque Prçſul orbis ter-
rarum, & cenſor vniuerſorum atq; arbi
ter mei pectoris, qui me amãtem patris
appellare ſolitus erat. Teſtificare Cæſar,
q̃d ego de patre apud te loquebar, apud
quem ſolum nocere potuiſſem. Teſtifi-
care, inquam, mihi, qui de alijs pronun-
tiaueras. Nec diſsimulandum parrici-
dium, ſed inquirendum putaſti. O ſi mi-
hi aſpiraret præſentia tua: ſed abſens es,
& longè poſitus, & ego ſine te à patre
dijudi-

Antipater Cęſarem ſuper patris teſtat̃ amore.



dijudicor. Ades tamen, & in literis tuis
præſens es, tua ſcripta offero, quæ ſolent
parricidæ timere. Tuam epiſtolam por-
to, quam ſolent promere, qui cupiunt
parricidium non latere. Suſcipe pater li
teras Cæſaris, ipſe te inſtruat, qui dudũ
vindicauit. Suſcipe Cæſaris ſcripta, argu
mentis omnibus validiora. Quibus vſus
es dudum ad vltionem, vtere nunc ad ſa
lutem. Hos ego apices defero innocen-
tiæ meæ teſtes, illa dextera nunquàm te
fefellit, illa dextera Cæſaris diadema ti-
bi impoſuit, non ademit. Illa manus Cæ
ſaris regnum tibi, quod abieceras, repre
ſentauit. Potuit me priùs Cæſar odiſſe,
ſi fratrem ſimilem deprehendiſſet: ſed
cognouit & pronuntiauit pietatis inter-
pretem, qui niſi Romæ fuiſſem, Sylæus
vicerat. Illi ego hodie adiudicor, illi pœ-
nas miſer pendo. Memento pater, quia
non voluntarius nauigaui. Videbam mi
hi iam parari foueas inſidiatorum: ma-
lui tamen me potiùs pater, quàm te peri
clitari. Nec tamẽ exhorreſco ſalutis peri
culum, ſed apud te pater doleo, me quaſi
tuum hoſtẽ periclitari. Periclitor tamẽ,
ſi apud

ſi apud te & Cæſaris teſtimonia periclitantur. His ergo vtor indicijs meę defenſionis, Cæſarem non appello quaſi audiendus, ſed imploro, quaſi abſoluendus. Quod ſi iudicium exercendum exiſtimas, ecce me pater ad te veni poſt Cæſarem, ad te feſtinaui à Cæſare. Vtinã quidem nuſquàm à te abijſdem. Sed tu me pater neſciens periculis obieciſti iubens pergere. Præſtò ſum pater, nec perfunctoriè de leuioribus teſtibus requirendam pro ſalute tua veritatem æſtimo. Nõ præiudicent, qui poſſunt timere tormenta, nec qui poſſunt cõtemnere. Omnis homo mendax, dixit ſcriptura. Ego defero incorruptibilia elementorũ teſtimonia. Venio ad te per maria & per terras, nuſquàm aliquid paſſus. Parricida debui non euadere, ſi reus eſſem. Abſoluat me pater, apud te cœlum, quod non fulminauit, mare quod non demerſit, terra quæ non abſorbuit, per hæc ad te tutus venio pater: quæ non ſolent euadere, etiam qui non ſunt patrum genitalium parricidę. Dathã & Abirom hiatus vorauit terra, nec tamen genitalem

Oĩs homo mendax.

Dathan & Abirom abſorpti.

appetie-


appetierant patrem. Abſalon fugiẽtem arboris ſuæ ramis terra ſuſpendit, ne ad patrem perueniret, ad quem ſi perueniſſet, euaſerat. Ego ad te veni, & adhuc periclitor. Dauid parricidã ſuum quia ſeruare non potuit, vindicauit: ego de inimicis & calumniatoribus vindicari nõ expeto, vt eos ad tormenta vocem, lucrẽtur illi pœnam calũniæ. Vnum rogo pater, ne alienis credas tormentis, de me ipſo aduerſum me require ſupplicia. Suſpende reum tuum, in viſcera mea pergat interrogatio veritatis, in corpus meum, atq; in interiora penetralia deſcendant fidiculæ quæſtionum, profluat ſanguis, qui ſolet parricidium clamare, ferantur ignes in artus noxios. Quid dubitas pater? ſi parcis, innocentem pronũtias: ſi à cruciatu temperas, abſoluis crimine. Nõ eſt parricida, q̃ ſimplici morte dign⁹ putaẽ. Aut ſi vt filio parcis, & ex te genitis mẽbris cõpateris, nõ ſunt mẽbra tua, q̃ ſunt miniſteria crudelitatis. Hæc vbi locut⁹ eſt, magno fletu & gemitu lamẽtabili finẽ dicẽdi fecit, vlulatoq; maximo Varũ & oẽs ad miſerationẽ inflexit:

ſolus

ſolus Herodes nullis mouebatur lachrymis, atque ipſe à fletu temperabat intractabilis ad veniam, quæſtioni imminẽs, vindictam expetens.

## Caput XLV.

Nicolaus Antipatri reſpondet verſutijs.

SVcceſsit orationi Antipatri Nicolaus Regis mandato, qui aſtutè eius reſponderet verſutijs, & inflexos à miſeratione abduceret, referendo in Antipatrum fraternæ inuidiam necis, allegando, quòd ſi quos moueret miſericordia, illorum miſereri deceret, qui eius perempti fraudibus, vltionem requirerent: Si vnum abſoluerent, omnis domus Regia in periculum deduceretur, germani, affines, parentes, ipſe Rex, cuius ſaluti non peperciſſet. Itaque conuerſus ad Oratorum verſutias, velut * narrationẽ miſerationis, epilogo quodam excitabat ab inferis peremptorum animas, qui miſerabili queſtu replerent ſubſellia, inſontes ſe oppetiſſe, ſubornatis grauibus teſtibus, compoſitis epiſtolis, fraudulẽtis ſermonibus circumuentum patrem, credidiſſe filio, quem non putaret de fratribus


bus poſſe mentiri. Offert nuuc ſupplicia ſua, qui fratrum tormentis non crediſſet, quos onuſtos vinculis obligauerit, ne cognitioni intereſſent, in abſentes latam ſententiam, cùm longè poſiti eſſent: necatos, ne eorum pater miſereretur. Nullum itaq; reliquum futurum ſi iſte euaderet, doctus venena parricidalia ſuorum viſceribus infundere, mutare mentes hominum, qui etiam Pheroram ſemper amantiſsimum Herodis in necem eius parridio funeſto exuſcitauerit. Ad hæc, cùm plurima alia excitandæ cõmotionis gratia Nicolaus addidiſſet, vbi ſermonem abſoluit, interrogatus à Varo eſt Antipater, ſi reſpondere vellet. Nihil aliud retulit, niſi (Deus teſtis eſt) quia nihil læſi. Tum Varus venenum proferri, atque id dari iuſsit vni de his, qui iã rei mortis adiudicati eſſent. Quo epotato, ſtatim mortuus eſt. De quo relatum ad Cæſarem eſt, & in vincula Antipater imperio patris inducitur: nec tamen ab inſidijs vacuus erat. Nam tum maximè Salomes periculum dolis tentabat directis epiſtolis, quas Salomes nomine

mine Antipatri compoſuerat, plenis in Regem contumeliarum, atque ad Agmen ancillam Iuliæ, quæ vxor Cæſaris erat, per Antiphili ſeruulum perferri iuſſerat, quas Agmes ſibi redditas Regi tranſmitteret: ac penè in mulieris perniciem fraus cōualuerat, ni reperta eſſet epiſtola Agmes ad Antipatrum, quæ dolum prodidit, ſcripta in hunc modum: Sicut voluiſti, patri tuo ſcripſi, & epiſtolas illas direxi: nec dubito Regem in periculum ſororis inſurrecturum. Tū vicem reſtitue optato effectu potitus. His literis deprehenſis, Rex in ſuſpicionem deductus, quòd etiam Alexander pari arte compoſitis à fratre eſſet appetitus epiſtolis, & nimia commotione exaſperatus, ægritudinem grauē contraxit. Quo ſe videns vrgeri periculo Antipater, vnum ex filijs hæredem imperij ſcripſit, prælatum Archelao & Philippo ſenioribus liberis, cùm ipſos quoque Antipater dolis atque fallacijs ſuſpectos patri fecerat. Cæſari legauit mille talenta, donis muneribuſque additis. In vxorem & filios, libertos atque amicos quinquaginta

Literæ agmes ad Antipatrum.


ginta contulit: nec Salomen ſororem munerum ſuorum expertem reliquit. Procedebat in deterius ægritudo, atque acceſſu temporis exaſperabatur, quam imbecilla ſenectus ſuis incommoditatibus acerbabat quotidie. Siquidem non minùs ſeptuagenario grauatum annis corpus, crebro quoque mœrore animi afflictum gerebat, tot parricidijs vulneratus, quæ aut deprehendiſſe in filijs extremæ miſeriæ erat, aut intuliſſe. Immedicabilis tamē ægritudinis feruor, quòd ſuperſtes Antipater metuebatur. Contemptus quoque indies vilior, quòd imagines Cæſaris atque animalium ſimilitudines contra legem templo appoſitæ detrahebantur, autoribus maximè Iuda atque Matthia iuuentutis doctoribus, qui cognitis & conſpirantibus ſibi veniſſe tempus aiebant, quo violatæ legis iniuria vindicaretur. Dare pœnas ſacrilegum, qui putaret fas eſſe, quicquid poteſtati liceret: nec religione inclinatum, ſed elatum ſuperbia in penetralibus templi faciendi quod vellet, libidinem pro iure exercuiſſet.

Iudas & Matthias iuuētutis doctores.

 Et

Et quanquàm vis diuinam vltionem acceleraret, tamen pulchrum videri, ſi etiam templi ſacrati libertatẽ ſuam in defendẽdis paterni ritus obſeruationibus approbarent: nec periculi metu quenquã reuocari oportere, cùm & iam mori pro lege patria inſigne immortalitatis ſit: primique adorſi auream aquilam ſupra faſtigium portæ affixam detrahere comprehenſi, atque ad Regem perducti: cùm interrogarentur, cui obedientes tantum facinus adorſi forent, reſponderunt, legi paternæ. Iterum quærẽti, quo freti lętiores adeſſent, cùm ad mortis vocarentur periculum, reſponderunt: Pietatis & deuotionis præmijs, quorum remuneratio pro ritu patrio mortem expetentibus perſolueretur. Nec diutiùs ferre potuit reſponſionis conſtantiam, ſed indignatione ſuper ægritudinem facta, vt infirmitatem vinceret, in conuentum populi proceſsit, ibique tanquàm ſacrilegij reos ad plebem deferens, accuſare cœpit, quòd maiora de factis talibus ſuſpectarẽtur. Quæ etiã ſi nõ probarentur, tamen cuncti ſibi quiſque metuen

Pro patria lege mori inſigne eſt immortalitatis.



tuentes, autorum, qui comprehenſi forent, luenda ſupplicia deprecabantur. Nec pergendum in cæteros, ne quæſtio plures atque alienos & innoxios perturbaret: rogatus itaque in præſentes ſententiam tulit, vt viui exurerentur: vnde incommoditas aucta, & grauioris ægritudinis vis diuerſis totum corpus eius paſsionibus depaſcebatur. Febris erat vehemens, prurigo intolerabilis, continui ac ſine vlla intermiſsione interiorũ dolores viſcerum, colo medius vexabatur, hydrope grauabantur veſtigia, abſcondita corporis ſcatebant vermibus ſparſim, totius corporis anhelitus grauis, & ſuſpiria perniciosa: res indicio erat, quod iniuſti parricidij & ſacrilegæ damnationis pœna repoſceretur. Non cedebat tamen animo, & viuendi cupiditate paſſionibus reluctabatur. Petit trans Iordanem calores aquæ calidæ, ſed nihil profuerant. Aſphaltites lacus pleriſque medicabilis ſine vllo profectu ægrum tenebat. Vbi dum oleo plurimo foueretur, laxato reſolutus corpore, morientium ſpecie oculos inuertit, & vox defecerat,

Aegritudinis Herodianæ deſcriptio.

Aſphaltites lac' medicabilis.

 nec

nec ſenſus manebat:ſed excitatus ſtrepi tu conclamantium reſumpſit, & ad ſua regredi cupiens,vbi ad regionẽ loci,qui appellabatur Hiericho, aduenit,atro fel le exagitatus, & ipſi quodãmodo morti minitans immane facinus excogitauit: quò velut inferiæ ſibi populi mitterentur.Nanque ex omni Iudæa congregari iamdudum præcipiens quoſque nobiliores, vt ex ſingulis vicis in vnum conuenirent:vbi imperio obtemperatum eſt, claudi eos intra hippodromum iuſsit, & accerſita Salome atq; eius Alexa viro, legatum ſanguinis mandauit, aſſerens lætitiæ populis gentis Iudææ ſuam mortẽ futurã,& ideo commentũ ſe,quò pręclariſsimè ſuũ epitaphiũ celebraret, depoſcere à ſuis, vt cũ vltimũ exhalaſſet ſpiritũ,eos ſtatim omnes,qui clauſi tenebantur,necari iuberent: ita vt neminem futurum in vniuerſa Iudæa atque in omni domo,cui mors eſſet eius illachrymabilis,cùm vniuerſis domeſticis luctus hæreditatem dereliquiſſet, qui dum ſuorũ deplorant necem,iuſta Regi viderentur perſoluere, atque ita publicorum lætitia


votorum domeſticis doloribus impediretur, ac ne fortè ſceleſta imperia mandata executio deſtitueret,quinquagenas drachmas iuſsit militibus dari, vt tali ſceleris impoſita mercede, ferale miniſterium milites non recuſarent: compenſaturi executionis horrorẽ remunerationis emolumento. Cedebat propè iam tantæ incommoditatis ſupplicijs, ſed expectabat funeſta reſponſa legationis,quæ retulit de Agme ſupplicium ſumptum ad Herodis querelam: Antipatrum quoque conuictum parricidij morti adiudicatum, tamen repulſo patria & regno, pater fugæ poteſtatẽ tribuere,ſi vellet, Cæſar iuberet,ſententiam ſceleri ferens,conſilium pietati relinquens. Soluerat natura parricidij neceſsitatem: Nam recreatus pauliſper, permiſſa ſibi puniendi, vt vellet, poteſtate, dum de genere necis tractat, diſtentus doloribus properè,diem mortis peruenire deſiderauerat. Popoſcit itaque malum, pariterque gladium, vt eo pomum ſolitus incidere refectionis aliqd aſſumeret,& pauliſp ſeſe attollens, cu-

Cupiuit Herodes ſeſe ſuo ferire gladio.

cubitoq; adnixus, leuauit dexteram, cupiens ſeſe ferire, ſed occurrit Achiabus, & impediuit ictum, luctuq; tota concrepuit domus, vt obijſſe Herodes foris æſtimaretur. Exultauit Antipater ad ſonũ planctus, & à cuſtodibus adhibitis poſtulauit, vt vinculis reſolueret: ſed Præpoſitus ei muneri non ſolùm abnuit, quod rogabatur, ſed etiam Regi annuntiauit. Exclamans ille inſultare adhuc ſibi viuenti, percuſſores direxit, qui Antipatrum interficerent, cæſumq; ſepeliri iuſsit in Hyrcania, atque iterum mutauit teſtamentum, Regemq; Archelaũ inſtituit ſeniorem ex fratribus: Antipæ tetrarchiam reliquit. Quinque itaque diebus Antipatro ſuperſtes defecit: triginta & ſeptem annis, ex quo à Romanis imperitare iuſſus eſt, regno potitus: ex quo autem Antigonum ſuſtulit regni æmulũ, annos trigintaquatuor imperio exegit: vtinam tam domeſtico vſu, quàm publicis lætus ſucceſsibus. Nanq; ita foris ſecundæ ei res aſpirauerunt, vt priuatus in regnum aſciſceretur, eoque per multa vſus annorum curricula, ꝙ difficilè

De nece Antipatri Herodis filij

Herodes quinque diebus Antipatro ſuperſtes defecit



difficilè ſaluo poteſtatis vſu decederet, relinquens liberis imperij ſucceſsionẽ, quam ipſe à ſuis nõ acceperat. Sed intra domum infeliciſsimus, quam acerbo ſuorum ſanguine & luctu repleuit, nec tamen executionem inuenit vltimæ crudelitatis, hoc vno Salome obliterãte criminum ſuorum ludibria ſuperiora, ꝙ eos, quos percuti Rex iuſſerat, omnes dimiſit, dicens Regem præcepti feralis poſteà pœnituiſſe: reuocatiſque mandatis ſuperioribus, præcepiſſe, vt ad ſua omnes dimitterentur.

## Caput XLVI.

Dein poſteà facta in amphitheatro militũ & reliqui populi congregatione, de obitu Regis indicium factũ, proceſsit Ptolemæus, qui Regis amicitiæ inter fidiſsimos quoſque vſque in extremum adhæſerat, & annulum deferens, quem defuncti digito detraxit, collaudat Regem, & populũ admonet tranquillitatis, aperitq; ei epiſtolã, qua precatus, fideliſsimos ſibi milites hortabatur, vt ſucceſſu ſuo beneuolentiã exhiberent,

Ptolemæ' Herodis fideliſsimus amicus.

hiberent & gratiam. Et apertis etiam tabulis teſtamentum recitatur, Philippus Thraconitidis regionis, & finitimorum locorum hæres nuncupatus, Tetrarches Antipas, Rex Archelaus, ita tamen vt ad Cæſarem deferri annulum ſuum, atque ei arbitrium & firmamentum omnium diſpoſitionum ſuarum reſeruarent. Ac tum demùm ratũ eſſe teſtamentum ſuũ, ſi Cæſar probaſſet: reliqua ſecũdum priora ſua teſtamenta cuſtodiri præcepit. Continuò acclamatio facta militum Archelao plaudentium, circumuallabatur ilico ſtipatorum ambitu, promittunt beneuolentiam, ſpondent fidem. Poſt hæc competenter atque magnificè funus curatum, omni ambitu Regalium diuitiarum præmiſſo ad pompæ funebris celebritatem: lectus erat auro totus & gemmis inſignitus, ſtratum refulgens murice, corpus adapertum purpurea diploide, quam internectebat fibula, lapidibus pretioſis coruſcans, diadema adhærebat vertici, ſupraque corona aurea, ſceptrũ in dextra, vt viuentem putares. Præibat agmen Trachicum, Germaniq; & Galli ſtipa-

Milites Archelao plaudent.

Pompa funebris Herodis.



ſtipatores Regij militarem ſeruabant ordinem, pari modo ſuccincti armis, ac ſi in bellum prodirent: ſed ora mœſtitia plena, & dolẽtibus ſimiles proſequebantur. Reliqua manus proſequebatur ornatu ſolito, & cultu aſſueto, comitantibus pariter Ducibus & Centurionibus. Quingenti etiam ſeruorum & libertorum Regiæ domus aſpergebant aromata, vt ſuaui odore tota fragraret via, lectũm filij Regis, & propinquorum vis maxima circũfundebat. Sepultus eſt in Herodio (vt ipſe mandauit) quod aberat ducentis ſtadijs ab eo loco, in quo finem vitæ inuenit, magno obſequio, per tantum ſpatij deductus vniuerſorum, ſed non omnium pari affectu: Metus enim officium, non votum extorſerat, dolor intra ſe ſaltem liberam habebat ſententiam. Hunc finem habuit Herodes.

Aliàs quīquaginta.

Herodes ſepult⁹ in Herodio.

✲

Finis libri primi.

EGE-

# EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANAE vrbis, Hiſtoriæ Liber II.

## Caput I.

Libera in Herodem defunctũ vulgi iudicia.

SEpulto Herode libera, vt in defunctos ſolent, iudicia populi deꝓmebantur: grauem fuiſſe illum & intolerabilem, iniuſta imperia in ciues exercuiſſe, Tyrannum non Regem ſuorũ, parricidam domeſticum, expilatorem publicum, nemini quicquam dereliquiſſe, tributis exhauſta omnia, locupletatos alienigenas, Iudæos exinanitos, qui templo hoſtem induxerit, ſacrata omnia ſacrilegio contaminarit: beatos, qui defeciſſent, cùm tormenta viuentibus non deeſſent: plura malorum Iudæam poſt depulſam captiuitatem in paucis annis ſub Herodis imperio pertuliſſe, quàm in ipſa captiuitate ſub hoſte barbaro ſuſtinuerit, cùm ſibi Babyloniorum Reges

ges



ges imperitarent, ſub illis tolerabiliora exilia, quàm ſub Herode domeſticum domicilium: ab illis ad ſua remiſſos, ab hoc fugatos: immitiorem Dario, Artaxerxe ſuperbiorem, Medis rapaciorem. Superaſſe finẽ malorũ, vt ſi ſibi exire liceret exilio, ibi diẽ clauderet: ſed acceſsiſſe ad ſeruitutis miſeriam Archelaũ ſpontaneũ ſucceſſorem, qui & Herodem referret, & noua adderet: miſerum hoc in regnis eſſe, quòd Dominus eligeretur: miſerius, quòd inuitis imponeretur. Solatiũ ſeruitutis videri, ſi ipſi ſibi Dominũ eligãt, eò ꝙ fiat benignior, ſi deferat imperiũ: ſuperbior, ſi vſurpetur. Lõgè itaque Archelaum Herode intolerabiliorem futurum, cùm iſte aſſumpſerit regnum, ille acceperit. Ea non ſolùm crebrò in Iudæa conferebãtur, verùm etiam Romæ aſsiſtente Archelao, perorantibus accuſatoribus, in os obiecta apud Cæſarem, Senatumque: vbi de regno Archelai confirmando, abrogandoque diu decertatum. Deniq; cùm in templo Apollinis, quod Cæſar condiderat, multiſque ornatibus venuſtârat, locus eſſet cogni-

cognitioni datus, Salomes filius Antipater, illa, quæ ſuprà diximus, & multa alia dicendi validiùs proſequebatur, mirari ſe, quòd Archelaus quaſi petendũ à Cæſare regnum prætenderet, cùm vſurpatione temeraria iamdudum intra Iudæam inconſulto Cęſare Regem exercuiſſet. Quid enim ſella aurea, allatumque diadema, niſi regni forent inſignia? Quo ſpiritu præſumpſerit ſedere ſuper thronum Regium? de ſublimi ſolio ſalutare plebem circumfuſam, ſtipantibus armis militaribus, more quodam & vſu Imperatorum promi diadema, quod Cęſaris iudicio reſeruari oportuerat: non ſolùm poteſtate Romani imperij, ſed etiam pro iure teſtamenti? Herodem enim nec præripere potuiſſe Cæſari vel Senatui, quod ipſe vel à Senatu accepiſſet, vel à Cęſare recepiſſet, & ſuperiore teſtamẽto expreſsiſſe ſatis propriæ indicium voluntatis, quò Antipam ſuccedere ſibi in regnum ſenſu integro ac perpenſo conſilio declarauerit, & poſtremò omnia Cæſaris iudicio reſeruaſſe, quàmuis ſoluto iam corpore, anxius ſupremo periculo,

Aduerſus Archelaũ multa cõgeruntur.

Alij codices Antipatrum.



culo, nec vllius iam ſenſus aut conſilij capax, dictauerit, non quod arbitrabatur, ſed quod ingerebatur. Pręceptorem igitur imperij de ſeipſo pronunciaſſe, quòd non mereret tuo Cæſar iudicio in regnum ſubſtitui. Nam ſi meritorum ſuorum cõſcius foret, petere potiùs quàm vſurpare maturauiſſet. Non petendo autem, ſed vſurpando, quę in petitione cõſiſterent etiam in pecuniarijs (negotijs, nedum diuitiarum. Denique Fabatum illum Romanæ rei moderatorem & intimum Cæſaris tibi cepi, & à Sylæo ingenti ambitus pecunia, vt impugnarẽt) præiudicare ſolere, vt præpoſteri litigatores cadant cauſa: hîc verò non pecuniarum quæſtum in crimen vocari, ſed imperij Romani violatum ius, reuerentiã deſpectam, ſpretam poteſtatem, indignũ æſtimatum Romanę curię Senatum, qui ſoleret regnum dare atque eripere, & cũ Cæſare vetuſtam conferendi imperij ſeruare prærogatiuam. Quid facturũ eſſe, cùm legitimè regnare cœpiſſet, qui ante regnum inſolentiſsimus necaſſet plurimos, quia opẽ feſsis rebus & tributorũ alleua-

Hęc q̃ parẽtheſi interclusa vides, in ſcriptis codibus nõ habentur.

alleuamentum popoſcerant, remedium poſtulantibus bellũ irrogatum, interfecta IX. millia Iudæorũ in ipſa venerabili apud ſuos Paſchæ celebritate, pro pecudibus homines immolatos, ſacratorum, qui ad templi feſta conuenerant, ſanguinem fuſum, ſpectaculum miſerabile: ſi quis cæſorum ſtragem recenſeat, Babylonios reuertiſſe arbitraretur: quantò crudeliùs à ciue commiſſa, quæ in hoſte barbaro plena immanis ſæuitiæ atque impietatis æſtimarentur? Hanc ſportulam ciuibus datam, hoc ſacrificio Archelaum regni ſui primordio commendauiſſe. Debere miſereri Cæſarem, Senatumque reliquiarum Iudææ, quæ quondam liberis fulta populis ſeruitutẽ optaret, ſi modò tolerabilem liceret perpeti ſub Rege iuſto, longè illum abeſſe à iure imperitandi. Siquidẽ apud Iudæos nulli regnum competere, niſi ei, qui eſſet ex generatione Iudæ, ſicut lex diceret. At verò iſtum Idumæum genere, quẽ nulla proſapiæ Regalis origo contingeret, irrepſiſſe in honorem indebitum. Siquidẽ cùm Antipater ſibi atq; Archelao fuerit auus,



auus, præſtans diuitijs, cæteriſque artibus potens, & maximè Romanorum amicitia, Cęſariq; ſeniori bello ꝓbatus, cùm poſſet ſibi regnum aſciſcere, nunquam tamen affectauerit, quinetiam defendere alijs maluerit quàm ſibi parare, meritoque illum habitum vt parentem optimum, qui Iudæam in libertatẽ vindicauerit vulneribus ſuis, nec in ſeruitutem deduxerit Herodẽ Antonij teſtimonio, qui paternus ſibi hoſpes fuiſſet, in regnum aſpirauiſſe: ex illo Iudæorũ res imminutas, egiſſe vt hoſtem, non vt rectorem. Cùm igitur ipſe etiã adulter regni fuerit, quo modo potuiſſe ab eo legitimum Regem creari? non deprecari tamen, quò minus ſub regno ſint, ſe potiùs ſub Romano agere, cuiꝰ ſibi gratiam iam inde à Machabæis partam, tãtam per vſurpationem regni poſteà degenerauerunt, vt multò inferiores ſint his, aduerſum quos Romanam petierũt ſocietatem. Denique orare ſeſe, vt eadẽ condicione Iudæa, qua Syria præſidiale iudicium à vobis adipiſcatur, quo deuotionis noſtræ detur experimentum, v-

 trum

trùm qui ſeditioſi ac rebelles vocamur, poſsimus moderatis iudicibus obtemperare. Aduerſus ea Nicolaus pro Archelao reſpondens, inquietiſsimam nationẽ inſolentiæ ſuæ aſſeruit pœnas dediſſe, ne hinc potiſsimùm Archelaus inuidia inexcuſabilis criminis accerſeret̃, ſi per ſeditionem pacem turbarent, atq; à Romanorum ſocietate animis atque armis diſcederent: de teſtamenti autem prælatione quis dubitaret, cùm & poſterius præferri ſoleat ſuperioribus, & hoc multò validius cæteris videri debeat, in quo Cæſari confirmandi Regalis iudicij ſeruata ſit prærogatiua, quo cúmulata potiùs quàm imminuta Romani nominis reuerentia ſit, ſi & à vobis Cæſar non præripiatur Regibus, quòd priuatis licet, vt eorum valeant teſtamenta, & quem potiſsimùm ſibi cupiant ſuccedere, vltimo ſcribãt ſtylo, atq; ab illis iterũ ea vobis honorificẽtia reſeruetur, vt cõfirmatio iudicij à vobis petatur, & is ſuccedat, quem pater elegerit, vos probaueritis. Quando igitur magis ſapuit Herodes, cũ tibi Cæſar ſeruauerit p̃rogatiuã, an quan-

Nicolaus ſupradicta refellit.



an quando præterijt? Vbi Antipas ſubſtituitur, Cæſar præteritur. Vbi Archelaus ſubrogatur, Cæſar aſciſcitur: ſine firmamento nulla res ſtabilis. Diuino itaq; iudicio vbi iuſtitia deerat, vel ſimulationi vel voluntati firmamentum defuit. Vbi autem æquitas examini ſuppetebat, robur quæſitum vt iudicium confirmaretur. Conſidera igitur, vtrùm fecerit iniuriam, qui te elegit, aut ſi reſcindi debeat, quod te arbitro ſanciendũ reliquit rerũ omnium Domino: cui iure etiam Reges cedunt poteſtate. Qui enim ſciuit, quem elegerit ad confirmandum, ſciuit vtiq;, quẽ eligeret ad imperandũ, nec in ſucceſsore falli potuit, qui non eſt falſus in confirmatore. Nam qui arbitrum conſtituit te, cognouit itaque talem ſucceſſorem ſibi conſtituendum, qui tibi, quem conſtitueres, non diſpliceret. Auditis partibus Cæſar ſententiã diſtulit: deinde collato cum Senatu conſilio, Archelaum genti præpoſuit, vt fungeretur rectoris munere, non regni honore. Spopondit tamen & regnum daturum, ſi ſe ita gereret, vt probaretur.

Aliàs im̃p bandum.

Archelaus rectoris munere fungitur, non Regis honore.

 Iam

Iam enim tentamenta diſſenſionis Iſrae litici populi nuntiabantur. Tetrarchas duos conſtituit Herodis filios, Philippũ & Antipam, qui cum Archelao de regno certauerat, Herodis ſorori, cui nomẽ Salome, delegatum ſeruauit, etiam alia ipſe adiunxit. Duabus quoque filiabus Herodis mille talenta, quæ ſibi relicta erant, diſpertienda arbitratus: addidit etiam alia ſexcenta millia, & ea Pheroræ liberis ſociari cenſuit.

## Caput II.

INtereà quidã ex iuuenibus ſimulans ſe Alexandrum, & propter miſericordiam ab his, quibus necandi munus ab Herode patre mandatum foret, ſubrogatis alijs in locum ſuum cum fratre ſe Ariſtobulo dimiſſum Miletum petijt, & inde Romam, quò difficiliùs apud incognitos cognoſceretur. Vbi facilè Iudæos ad rerum nouitatem promptiſsimos excitauerat: niſi comperto eo Cęſar ad ſe eum perduci ocyùs per Geladum quendam, qui Alexandrum plenè nouerat præcipiſſet. Geladus vbi iuuenem vidit,



vidit, ſimilitudine decept⁹ hæſitauit. Sed reliqua perſpiciens indicia nõ conueniret, quæſiuit vbi erat Ariſtobulus: at ille in Cypro inſula degere aſſeruit, cauentem inſidias, eò quòd coniuncti inter ſe fratres faciliùs extinguerẽtur. Deinde ad Cæſarem deductus, aperuit ilico impunitate promiſſa fretum, ſe ſpecie ſimilitudinis quod eſſet Alexander ſimulaſſe, vt immunerabilia munera quaſi Regis filius à Iudæis conſequerẽtur. Cęſar dolum riſit, ſed & ipſum immunem dimitti iubet, & eos, qui vltra priuatum modum quaſi Regis filios detulerant, ſatis multatos eſſe pronuntiauit, quòd ſuperfluis ſumptibus infinita diſpendia tolerauiſſent. Archelaus autem profectus in Iudæã propter obſcœnitatẽ morum & inſolentiam accuſatus apud Cæſarem, cognita inter partes cauſa, Viennam relegatur, opeſque eius theſauris Cæſaris aſſociatæ: hoc meritò pretiũ luit, qui nec à fratris ſui germani coniuge ſuas conpreſſerat cupiditates. Nam vbi Alexander obijt, patris imperio neci traditus, Glaphira vxor eius Archelao Rege Cap-

Archelaus ꝑpter obſcœnitatẽ morum & inſolentiã apud Cęſarem accuſatus.

ge Cappadocum genita, quemadmodũ ſuprà memorauimus, Libyes Regi Tibæ ſecundis eſt copulata nuptijs. Quo defuncto, reuertit ad patrem: illic eam contemplatus Archelaus, quòd fratrem mariti filiorum patruum haudquaquã piè refugiendum arbitraretur, ita deperire cœpit, vt vxorem deijceret Mariamnem, & Glaphiram in locum illius ſubſtitueret. Nam multò pòſt vbi mulier in Iudæam redijt, vidit in ſomnis Alexandrum, & complecti deſiderauit. At ille indignanti ſimilis, à complexu refugus, viſus eſt dicere: Hæc eſt Glaphira promiſsi fides? Ita amores erga te ſeruaſti meos, quorum memorem te eſſe oportuit? Sed eſtò adoleſcentula ſecundas nuptias non refugeras, etiam ne tertias, etiam ne fratrẽ mariti appetere debueras? Ita te mea delectauit iniuria, vt in meam domum tertio nupta coniugi remeare non erubeſceres. Sed mihi curæ, ne diutiùs maneat contumelia mea, contagioque tua: nec longum lætabitur fratrum incœſt⁹ matrimonij. Exurrexit mulier, & familiaribus narrauit ſomnium, atq; ipſa



ipſa biduò pòſt defuncta, fidẽ fecit, ꝙ huiuſmodi coniugia nec viuorum legibus punita ſunt, nec mortuorũ voluntatib⁹.

## Caput III.

Somnium Archelai de nouem ſpicis à bobus voratis.

IPſe quoque Archelaus vidit in ſomnis ſpicas nouem, plenas & magnas à bobus vorari. Cui quærenti, reſpondit interpres: Nouem ſpicis nouem annos ſignari, quibus poteſtati vſus ſit maxima & ampliſsima. Nono itaq; anno imperij ſui mutationẽ eidem fore, eò quòd boues, qui arua aratro ſoleant interuertere, mutationem ſignent laborioſam, quæ deuoret atque abſorbeat merita ſuperiora. His itaque cognitis, quinto die venit à Cęſare, qui eum ad iudicium Romam deduceret. In quo condemnatus & actus in exilium, etiam morte impleuit ſomnium ſuum. Principatus gentis, qui ad Archelaum pertinebat, conuerſus eſt in nomen Prouinciæ, quo nomine Romani, cùm in ius ſuum vincendi redigerent procul poſitas regiones, Prouincias appellauerunt. Manſerũt tamẽ Tetrarchæ, vt erant Philipp⁹ & Herodes

Vnde ortum habuit nomen Prouincię

 mutato

mutato vocabulo, quia Antipas priùs nuncupabatur. Nam Salome moriens, loca, quę tenuerat, & poteſtatem ſuæ gẽtis Lybiæ vxori Cæſaris dereliquerat. Is ſtatus erat Iudeæ, quando Cæſar defunctus eſt: relinquens Tiberium priuignum ſuum Lybiæ vxoris filium ex ſuperiore genitum coniuge ſucceſſorẽ Romani imperij: cuius in honorem Tiberiadem Herodes condidit. Ppilippus quoque Lybiam vrbem matris ſuæ vocabulo nuncupandam putauit. Et quia propoſitũ nobis eſt aperire cauſas, quibus populus Iudæorum à Romano imperio deſciuerit, ſibiq; exitum accelerauerit, Pilatum prouinciæ præſidem initium ruinæ dediſſe res indicat: quandoquidẽ Cęſaris imagines Hieroſolymitanis ędibus inferri primus omnium non dubitauerit. Quo motus populus cùm reſiſteret, atq; ille recipiendas imagines cenſeret, plurimos in mortem coegit. Dum hæc in Iudæa geruntur, Agrippa Ariſtobuli filius Romam aduenit, cupiens aduerſus Herodem Tetrarcham apud Tiberium iudicio contendere, ſed deſpectus


deſpectus à Tyberio, cùm Romæ degeret, plurimos ſibi aſciuit ad amicitiam: & maximè Germanici filiũ Caium, quẽ ſiue paterni nominis gratia amabilem populo, ſeu Regij generis propinquitate proximum imperio ratus, an quodam præſagio ſtudioſiùs excolebat, quàm vel ætatis vel honoris eius ratio patiebatur, ita vt quodam die manus eleuãs deprecaretur, vt maturiùs, Tiberio mortuo, Caium videret Imperatorem. Quo prodito per Eutychum libertum ſuum, Agrippa iuſſu Tiberij in vincula ducitur, & grauibus modis excruciatur, non antè dimiſſus, quàm Tiberius diem clauderet. Cuius tempora fœda ludibrijs, cãprarumque ſeceſsus, ignauia intollerabilis: nullum tamen efficacis virum operis in necem eius excitauerũt, recentis, vt arbitror, Romani imperij reuerentia, ſiue terrore ſæuiſsimę crudelitatis, quia plerunque aſperitas quò grauior, eò tutior eſt.

## Caput IIII.

O v Eo

Ludibriũ Paulinę fœminę famoſum

EO imperitâte, famoſum ludibrium Paulinæ ſpectatiſsimi generis fœminę Romæ percelebratum eſt. Quæ cũ egregiam caſtitatis famam apud omnes haberet, eſſet etiam ſpectatiſsimi decoris & eminentis gratiæ, tentata Mundi equeſtiris militiæ Ducis interpellationibus, nec inflexa, vitio nimiæ ſuperſtitionis, patuit errori: Mundus nanq; ſubornatis Iſidis ſacerdotibus, qui velut Anubis ad eam mandata perferrent, ꝙ eam ad tẽmplum inuitaret, delectatum ſe eius ſedulitate & pudicitia: noctẽ poſceret, habere ſe, quod eidem ſecretò vellet committere. Quod illa accipiẽs læta ad maritum detulit, Deum ſuis adeſſe votis, ab eo ſuam poſci præſentiam, negare ſe non poſſe obedientiam. Itaque & ex ſua, & ex mariti ſententia pergit ad templum Iſidis, noctem exigit, remotiſque procul arbitris, quaſi ſacri cognitionẽ myſterij perceptura, ſeſe ſtratis compoſuit ſuis, æſtimans, quòd ad eam Deus ſuus in ſomnis veniret, & per viſionem ſeſe ei demonſtraret. Verùm vbi aliquid noctis proceſsit, quò faciliùs mulier plena



plena ſomnij deciperetur, Mundus aſſumpto vultu Anubis, habituque aduenit, veſtimenta alleuat, in oſcula ruit. Expergefactæ mulieri Anubem ſe eſſe dicit, vultum Anubis prætẽdit: illa Deum credidit, beatam ſe eſſe aſſerit, quòd eam dignatꝰ ſit viſitare Dominus Deus ſuus. Amplexum petenti non negat, refert tamen, vtrũ Deus poſsit homini miſceri. Ille promit exempla, quòd & Iouẽ ſummum Deorum Alcmena ſuſceperit, & Leda eiuſdem concubitu potita, & plurimæ aliæ, quæ ediderint Deos partu, de ſe quoq; ex illa Deũ eſſe generandũ perſuadet, mulieri cõcubitu miſcet, redit ad maritũ lætior, dicẽs ꝙ mixta Deo ſit mulier, & eius ꝓmiſſu Deũ eſſet generatura. Fit ingẽs in ſtupro mulieris & mariti gaudium. Poſteà occurrit Mũdus, & ait mulieri. Beata Paulina concubitu Dei, magnus Deus Anubis, cuius tu accepiſti myſteria. Sed diſce te ſicut Dijs, ita & hominibus non negare, quibus Dij tribuant, quod tu negaueras, quia nec formas ſuas dare nobis, nec nomina dedignantur. Ecce ad ſacra ſua Deus Anubis vocauit

Deos hominibus nuptos aſſerit.

Mundus Paulinæ ſub Anubis prętextu concubuit.

vocauit & Mundum, vt tibi iungeret, Quid tibi profuit duritia tua, niſi vt te viginti millium, quæ obtuleram, defraudares compendio? Imitare Deos indulgentiores, qui nobis ſine pretio tribuũt, quod abs te magno pretio impetrari nequitum eſt. Quòd ſi te humana offendũt vocabula, Anubem me vocari placuit, & nominis huius gratia effectum iuuit. Hoc perſtricta ſermone mulier, illuſam ſe intellexit, & dolens iniuriam pudicitiæ, confeſſa eſt fraudem marito. Ille nihil habens, quòd vxori indignaretur, cũ ipſe cubandi in templo poteſtatem permiſerat, & conſcius coniugalis caſtimoniæ, principi querelam detulit. Qui motus potentis viri contumelia, atque atrocis flagitij commento, ſacerdotes è templo rapit, quæſtioni ſubijcit, confeſſos necat, ſimulacrum Iſidis Tiberi demergit, Mundo fugiendi poteſtas conceſſa, eò quòd vi amoris & formæ ſuperatus gratia, leuioribus commiſſorum ſuorũ pretijs multatus æſtimaretur.

## Caput V.

Quod


QVod igitur ludibrium imperitante Tiberio acciderit, non putaui prætereundum, vt ex eo deformitas colligatur Imperatoris. Sicut enim boni Principis vita, probitatis quædam præſcriptio, & per vniuerſos viuendi forma eſt: ita Imperatoris colluuio, lex flagitiorum eſt. Ab eo miſſus Pilatus eſt in Iudæam vir improbus, atque in exiguo ponens mendacium, circumuenit Samaritanos, vt montem, cui nomen Gadir, peterent: erat enim illis ſacratus, eò quòd vellet eorum myſteria cognoſcere. Et aſcendẽs, populum præuenit equitatu, pedeſtrique exercitu ſtrauit, afflictoque crimine, quòd à Romanis diſcedere, & conciliabulũ ſibi quærere preparaſſent. Quid enim non auderet, qui etiam Chriſtum Dominum ad ſalutem humani generis aduenientem, multis & diuinis operibus profundentem in homines miſericordiæ ſuæ gratiam, nihilque aliud docentem, niſi quò primùm Deo, deinde Imperatoribus faceret populos obedientes, cruci ſuffixerit? Demensq́;, qui miniſter eſſet ſacrilegi furoris, vt interficeret

Pilatus vir improbus Chriſtum crucifixit.

*Ex Pilato Iudæorū genti exitium.*

ficeret autorem ſalutis. Ex illo itaque Iudæorum res perditæ, ex illo exitium genti, templo maturatum excidium. Nam ſi Herodes, qui Iohannē neci tradidit, perfidiæ & crudelitatis ſuæ pretiū luit, deiectus regno, atque exilio datus: quantò magis præcipitibus furijs actum intelligi datur eum, qui Chriſtum occiderit? Quæ cauſa autem fuerit mortis Iohannis, breuiter expediā: Philippum & Herodem, qui priùs Antipas dictus eſt, germanos fuiſſe ſuprà oſtēdimus. Vxorem Philippi Herodiadem, quam Herodes illicito ac nefando ſibi ſociauit iure matrimonij. Non tulit hoc Iohannes, & ait illi: Nō tibi licet vxorem habere fratris tui. Tum ille commotus, in carcerē detruſit Iohannem. Nec multò pòſt necauit virum iuſtum, & conſtantem diuinę legis executorē. Non ſolùm enim quaſi prædicator Euangelij, fraterni cubilis incœſtum reprehendebat, verùm etiam quaſi legis executor, præuaricatorem legis condemnauit, qui fratris vxorem viuentis eripuerat, præſertim habentem ſemen de germano ipſius. Hinc excitata

*De cauſa mortis Iohannis Baptiſtę.*

Iudæo-



Iudæorum ferè omnium in Herodem odia, & pœna accelerata: Cuius autor Herodias, videns Agrippam plurimùm præualuiſſe apud Cæſarem, cōpulit eum Romam pergere, quò ſibi Imperatoris gratiam conciliaret, obiectans deſidiæ contumeliam, quòd fugitans labores, dum moratur domi, indignos ſibi pateretur anteferri. Nam cùm Agrippa ex priuato Rex factus ſit, quantò magis ipſi iamdudum Tetrarchæ, quò regnum conferat, Cæſarem non dubitaturum. Itaque mulieris opprobria nequaquàm ſuſtinens, Romam profectus, dum Caij amicitiam petit, ab Agrippa accuſatus, etiam Tetrarchiam amiſit, quam à Iulio Auguſto acceperat, & fugitans in Hiſpaniam vnà cum vxore Herodiade mœrore animi conſumptus eſt. Mortuo quoque Tiberio, Caius ſucceſsit, qui Dominum ſe & Deum videri, atque appellari volens, cauſas dedit Iudæis grauiſsimæ ſeditionis, ac niſi properato fine imperium clauſiſſet, Iudæorum genti finem fecerat maturiorem.

Non

Non ſolùm enim ab illicitis non reuocabat ſuos, verùmetiam miſsis in Iudæã, vltima ſupplicia minitabatur, niſi omnia aduerſum ius & fas religionis armis patrarent. Plurimum enim potuit imperio Agrippa: ſed dum vellet muro ambire maximo Hieroſolymam, vt Romanis fieret inexpugnabilis (præuidebat enim imminentem ruinam) morte præuentus, opus imperfectum reliquit. Nec minorem potentiam exercuit imperitãte Claudio: ipſius quoque primitijs interfuit, cùm Caio perempto, ipſe à militibus aſſumptus, in imperium reſiſtente ſibi Senatu, regni tædio Agrippam legatũ direxit: quo interprete promiſſa moderatioris imperij fides, diffinita gratia, pax conuenit: in locum Agrippæ patris Agrippa filius eius à Claudio Cæſare Rex ſubrogatus eſt.

Agrippa filius in locũ Agrippę patris à Cęſare ſurrogatur.

## Caput VI.

Claudius deficiens Neronem Romano pręficit imperio.

IPſe quoque Claudius exactis tribus & decem annis, cùm deficeret, Neronem Romano imperio Principem dedit: captatus vxoris Agrippinæ perſuaſionibus,



bus, quæ tantum fraudibus valuit, vt filium Imperatoris Britannicum deſignatũ ſucceſſorem ipſo iure naturæ principatus exortem redderet. Cuius artis mox pœnituit eam: quia dum ex ſe genito conſuluit principi, ſuum negauit, ignara, quòd elatus imperio, nec matrem agnoſceret, atque in exitium eius beneficij mercedem inuerteret: idem tamen Octauiam Claudij filiam coniugio tenebat: præpoſtero ordine gener filio prælatus: quia mala Reipublicæ præponderabant, cui debebatur parricida ſacrilegus, inceſtus: vt in eo crimina non vlla bonæ artis merita regnarent. Tali Imperatore ſeu morum eius intuitu atque ignauiæ contemptu, ſiue quia Iudæis ob grauia ſacrilegia, auerſo præſidio Dei ſummi vltimum excidium præparabatur, erupit in ſeditiones graues, latrocinia, diſſenſiones eorum inſolentia, quos per viginti annos Eleazarus Princeps latronũ grauiſsimè depopulatus: aliquando tamen captus à Felice, qui Iudææ prę erat, Romam directus, graues pœnas dedit: Nec ſic quidem graui cæſorum nu-

P mero

mero infractus eſt populus Iudæam inhabitantium: ſed in ipſis Hieroſolymis aliud latronum pullulauit genus, qui vocabantur ſicarij, non iam ſecretis abditi, nec tenebris nocturnis inſidiantes ſine aliquo præſidio cōmeantibus, ſed luce diei atque in medio vrbis & turbæ ſtipamine percutiebant quoſcunq; propius acceſſerāt: breues manu gladios gerentes, conferto populo permixti, vbi adhærentem fixerant, cadebat imprudens cæco vulnere, vt querelā mors præueniret: funus in prōptu, ſed percuſſor latebat: & ſi quis commotus fuiſſet alieno vulnere, propior ſuo factus erat cæſorum portio. Ita vel periculi metu, vel diſsimulatione facinoris, ſicarius non deprehēdebatur. Tanta erat inſidiantiū velocitas & celandi ars. Occiditur ſacerdos Ionathas: addebantur multi quotidie, grauiorq; metus viuentium quàm interfectorum. Quaſi ad pugnam, ſic quotidie vnuſquiſque progrediebatur: grauiore tamen conditione, quia hoſtis præuidetur, ſicarius deliteſcebat, mors in oculis, in animis timor. Nemo


ſe regreſſurū credebat, nec amicis fides deferebatur, dum ſicarius metueretur. Quò plerique perterriti inſontes quidem à flagitio latrocinandi, vel ſicariorum contubernio, etſi manu innoxij, conſilio tamen infirmiores deſertum petiêre. Sed dum ſibi conſulunt, terrore fecerunt diſceſsiones: ex quo belli aduerſus Romanos ſuſpicio primò, deinde inuidia exarſit, quo metu prouinciæ Rector miſſo equitatu, & pedeſtri agmine maximam multitudinis ſtragem edidit.

## Capur VII.

Pſeudopropheta Aegypti.

AEgyptius quoque Pſeudopropheta aduenicns, & magicis imbutus artibus dum iactat ſe prophetico ſpiritu cœleſtia annuntiare oracula, triginta ferè millia Iudæorum aſſociauit ſibi, eosque ad montem Olíueti congregans, frequenti irruptione penetrabat Hieroſolymam, ita vt etiam Romanas incurſaret cuſtodias, quæ ne quid à populo moueretur, Hieroſolymis prætendebant. Vbi etiam hæc compreſſa eſt

 inſo-

inſolentia, quaſi in ægro corpore alia pars grauiùs inflammabatur. Plurimi enim palàm diſcedendum à Romanis, libertatem ſeruitio præferendam vociferabantur, progreſsiſq; in agros, quibus alimonia deerat, vi expetebatur.

## Caput VIII.

POſtremò in vrbe Cæſarea grauis inter Iudęos & gẽtiles ſeditio inceſsit, vendicantibus ſibi Iudæis vrbis totius quaſi ab Herode Iudæo conditæ poſſeſsionem, renitentibus gentilibus, quòd conditor quidem Iudæus fuerit, ſed Cæſaris eam nomine declarauerit. Denique & templum intra eam ſtruxerit, & ſtatuas appoſuerit, eoque videri gentilibus vſibus magis eam mancipatam: harum cõtentionum ſeditio in manus vertitur: quia neque primi Iudæorum ſuos ſeditioni deditos comprimere poterant, & gẽtiles opprobrio ducebant, ſi Iudæi ſibi cedendum arbitrarentur: itaque excitauerunt Felicem, vt dum vtriuſq; partis geſtit comprimere multitudinẽ non ac- Felix. quieſcentem, præſertim armis, quando aliter


aliter nequibat, conſuleretur. Cui ſucceſsit Feſtus, qui latronibus plurimis Feſtus. comprehenſis, haud exiguos vltimo exitio dedit. Albinus quoque eadem à Romanis poteſtate ſibi credita, nullum ne- Albinus. quitiæ genus prætermiſit, rapinarũ improbus prædo, vt qui non dediſſet pecuniã, in vincula raperetur, *quamuis innoxius: qui dediſſet, etiam reus abſoluetetur: auaritia gignebat ſuperbiam, vt pauperioribus ſe tyrannum præberet, mancipium ditioribus: idem tamen etſi prætergreſſus nequitiam ſuperiorũ: ita à ſucceſſore Floro, quaſi deſes ac lentus in flagitijs, longo ſed proximo interuallo præteritus ac derelictus: vt comparatione deterioris integer æſtimaretur. Et qui primò queſti fuerunt vt afflicti, poſteà Feſtum quaſi bonum iudicem deſiderabãt. Hic enim ſingulos exuerat Florus, vrbes diripiebat, inquinatiſsimus in obſcœnitatibus, in ſęuitia crudeliſsimus, armis omnia conturbans, & pręlia de prælijs ſerens, qui nec obſecratus ignoſceret, nec exaturatus parceret, in cõſpectu Beronices, quæ ſoror Agrippæ

 Re-

Regis ad templum religionis cauſa venerat, acerbiſsima cæde in populum deſæuiebat: nec obſecranti deferendam arbitratus, cùm inſeruientem religioni nudis pedibus aſtantem cerneret, & orantem faſtidio haberet, vnde ad Agrippam Regem & ipſa ſcripſit, & populus Iudæorum direxit precatum auxilia libertati. Cui egredienti ex Aegypto occurrerunt plerique vltra ſexaginta ſtadia Hieroſolymitanæ vrbis obuiam progredientes, & circunducti per vrbem cùm fidem querelarum probaret, inſiſtere cœperunt vt legatos ad Neronẽ mitterent. Verùm ille dolorem vt ciuium, & ipſe miſeratus, tentamenta tamen bel li aduerſum Romanos alta prudentia cernens moueri, ne & ſibi inuidia populoque vltimum gigneretur periculum, coacto in vnum populum, & loco, qui templo proximus & põte diuiſus, Sixtꝰ appellabat, huiuſmodi orationẽ habuit.

## Caput IX.

ETſi in pleriſque improuidus conſulendi moderandique impatiens, dolor



dolor grauibus aliquos faciat inæſtuare queremonijs, tamen vbi conſilium ſumitur, ſequeſtratur affectus doloris: nam ſi promptos ad vlſciſcendas iniurias & ad inferendum Romano bellum imperio, vniuerſos ex hoc populo comperiſſem, ac non melioris partis & tranquilioris ſententiæ, quod pacis eſt præoptare, & quod quietis præferre, nec ad vos venire auſus forem, nec conſilium dare. Superfluum eſt enim ſuadere quid fieri oporteat, cùm audientuim aſſenſus in deteriora ſit. Sed quia alijs inexpertus bellicorum vſus malorum, alijs perfunctoria ſpes libertatis prædulcis ad expetendum, ſed plerunque grauis ad adipiſcendum, multis enim dum libertas petitur, ſeruitus accumulatur, & frequenter totum eripitur, quibus vel nomen libertatis remanſerat, alios quibus præſentia vilitate ſui diſplicent, rerum nouitas inuitat, ac ſi turbetur negotia, lucrum putatur. Ideo vobiſcum conſilium conferendum putaui, ne aut prudentiorum ſobrietas præripiatur, inſolentiorum audacia:

Oratio Agrippę ad populum ſuadentis bellum aduerſũ Romanos moueri non debere.

aut q rectè ſapere neſciũt, noſtro ſaltem admoniti ſermone cognoſcant, acquieſcendum eſſe conſultioribus. Silentium igitur deferendum cenſeo, vt & nos quę cõducere vobis arbitramur aperiamus, & veſtrum nemo perturbetur, ſi aliqua præter ſuam voluntatem audiat. Nemo enim poterit æſtimare quale ſit quod dicitur, niſi audierit priùs, cuius ipſe futurus arbiter ſit: Probet aut reſpuat, fruſtrà conturbat, ne audiat: licet enim & poſt conſulationem vnicuique ſentire, quod ſentit: Et ſi diſceſsit, placet etiam monitus ſeruare inconſultæ voluntatis ſententiã. Sed dicet aliquis: Cur fruſtrà audiri velim, ſi non acquieſcant, qui audiunt. Quia ſi nolint acquieſcere cùm audierint, portio mihi concionis, non omnis populus periclitabitur. Si autem audire nolint, etiam cùm pars audiri cõturbat, vniuerſo populo eripiatur audiendi profectus. Itaque apud eos mihi orietur ſermo, qui audiri voluerint, ſi vel ex parte aliqua mihi ſilentium non deferatur: intercipitur enim ſermo omnis, & quaſi totus decidit, ſi concionalis fra-

goris



goris & inquieti ſtrepitus examinetur impedimento. Duo ſunt itaque, quibus reſpondendum arbitror: primò quæ in maximo ſunt querelarũ pondere. Quòd plerique vociferantur de iniurijs præſidum, & quòd plerique perijſſe ſibi libertatem gemant. Quarum propoſitionum ſeparanda mihi complexio videtur. Si enim præſides improbi, quid opus eſt libertatem attollere? ne videamini non eorum merito, ſed ſeruitutis faſtidio accuſare Præſides, quaſi dominationis miniſtros. Aut ſi intolerabilis ſeruitus, ſuperflua ergo de præſidibus querimonia. Nam etſi in illis moderatior ſit, nihilominus tamen turpis ſeruitus eſt. Conſideremus ergo, ne in vtroque eorum non perfunctoria bellorum materia ſit: quid enim ineptius, quàm de iniurijs queri, & bellum ſubtexere, ac periculis mutare cõtumelias? Dum iudicem refugias, hoſtẽ inducas: cùm iudex iniquus plerunque iuris interpres ſit, hoſtis autem etiã iuſtus ſemper ſit appetitor ſalutis. Temperari ergo nõ exaſperari iudicẽ decet, hoſtẽ caueri,

 ne

ne alterum acerbes, alterũ arceſſas: cùm & ille delinimento mitior fiat, & iſte declinari debeat, ne poſsit nocere. Cauendum igitur de iudicibus, ne maior querela quàm iniuria ſit. Grauior quoque obiectionum inuidia, quàm commiſſorum pretia. Sæpè etenim qui primò verecundiùs deliquerint, accuſati inſolentiores ſunt, & qui occultè antè furati ſunt, poſteà palàm latrocinantur. Nihil itaq; tam exaſperat feruorem vulneris, quàm ferendi impatientia. Denique impenſiùs in ipſis agreſtibus feris arctiſſima vincula, ſi ſe excitent, imprimuntur: ſi quieſcant, relaxãtur: grauis quoque febrium vis tolerando minuitur, inquietudine augetur. Quòd ſi norint ſibi conſulere agreſtia, vt naturæ obliuiſcantur, quò dolorem alleuent: quantò magis in hominibus frequens id docuit vſus, quòd eorum, qui læſi ſunt, toleranda lædentibus fuerit verecundia, vt ſine accuſatore correxerint, quod accuſati non emendaſſent. Sed eſtò, fuerit intolerabilis Romanorum iudicum inſolentia, quid igitur tolerabilius, vniuerſos



uerſos, an vnum perpeti? Quæ autem iuſtitia, cùm vnus læſerit, bellum inferre omnibus? Nunquid omnes Romani iniuriæ autores? Nunquid ipſe Cæſar aut ſtudioſe electus eſt improbus, qui ad vos mitteretur? Sed neque ſpeculari poſſunt transmarina, oculosque ad Orientem & Occidentem intendere, vt illic videant, quæ hîc geruntur: neque audire facilè, quod etſi ſolicitudo exigat, longinquitas negat probationum difficultatẽ. Vnius igitur culpa diſsidium pariet orbis Romani, cùm etiã ſine querelis veſtris propria correctio ſit nulla accuſationis inuidia, itineris nullo labore. Annuis enim vicibus Romani Magiſtratus mutantur. Quo fit, vt nec inſolens diu maneat, & moderatior citò ſuccedat. Nihil igitur oberit quieuiſſe, cùm remedium deferatur, etiam quieſcentibus. Cauſas belli autem intexere pernicioſum, quia dura belli aduerſum omnes conditio, aduerſum Romanos vltima. Quos ſi fugere velis, cùm ſuperare nequeas, orbis terrarum tibi derelinquendus eſt. Sed

Sed libertatis cupiditâtem prætenditis?
Sera iſta deliberatio: priùs certandum
fuit, ne amitteretis libertatem, quàm vt
amiſſam repoſceretis. Durus ſeruitutis
vſus, & ideo à principio non fuit ſube-
unda, aut ſuſcepta æquanimiter ferenda.
Tunc decuit reſtitiſſe, cùm ad ſeruitium
vocaremini. Illa iuſtior pugna: qui aūt
ſemel ſe dederit in ſeruitutē, etſi poſteà
ſubtrahere ſe velit, non ille tanquàm
amator libertatis aſſeritur, ſed tanquàm
ſeruus contumax adiudicatur. Vbi erat
iſta libertatis defenſio, cùm Pompeius
veſtris ingrueret regionibus: vrbem Do
minus intraret, vbi erant arma pro li-
bertate? Cur depoſita ſunt à patribus
noſtris? Et certè illi fortiores nobis fuê-
re, vigebant animis, abundabant ſubſi-
dijs, cupiebant repugnare: ſed exiguam
Romani exercitus non ſuſtinuêre por-
tionem; victi ſunt, ſed reſeruati agnoue-
runt iugum ſeruitutis, ne tolerarent pœ
nam captiuitatis. Quid recuſatis hære-
des, quod debetis iure ſucceſsionis? A-
ſtringunt vos negotia patrum, quomo-
do obedientiam refugitis, tantò inferio-
res



res obedientibus: aut quid vobis reliqui
erit, qui in vos Cæſarem & omnem vir-
tutem Romanam mouetis? Quomodo
poteſtis ſuſtinere eos, qui de omnibus
triumphârunt, atq; ab omnibus ſibi mi-
litantibus nunc adiuuantur? Et Atheni-
enſes quidem pro libertate totius Græ-
ciæ incendio patriam tradiderunt, exi-
lio mutantes domos, ne ſibi Xerxes do-
minaretur, quem in terris nauigantem,
in fluctibus gradientem, cùm eum nec
maria caperet, nec terra ſuſtineret, quòd
Europæ totius ſpatia tranſitus eius iti-
neris includeret, anguſtioribus terra-
rum finibus, quàm exercitus commea-
tu: ita perſequuti ſunt fugientem, vt
vix vna naue fugitans, auxilijque indi-
gens, ſe ſubtraheret captiuitati, verùm
ipſi illi viri, qui totam fregerunt Aſi-
am, propter exiguam Salaminam & im-
peritantem fluctibus Xerxem ſubigen-
tem maria, in eo ipſo, quod ſibi ſubie-
ctum putabat, elemento, glorioſiſsi-
mè debellatum fugârunt: nunc Roma-
nis ſeruiunt, & Principes totius Græ-
ciæ Italorum imperijs obtemperant: atq;
illæ

illæ Athenæ, quæ leges alijs dabant, nunc alienis legibus famulantur. Lacedæmonij quoque poſt Thermopylas & Leonidæ defuncti triumphos, poſt Ageſilaum ſeruatorem Aſiæ, nunc amant Dominos ſuos. Macedonia atque Africa, quæ per ſuos validiſsimos Duces totius orbis imperium in ſua iura & poſſeſsiones transfuderant, translatam à ſe potentiam non indignantur, tantaque rerum mutatione contentę, optant propitios Dominos, quos ad ſeruitutem petebant. Nec Philippi diuitijs Macedones, nec Alexandri excitantur triũphis, quos Duces omnium prudentiſsimos non immeritò inuictos arbitrabantur, quia alter ſe contra Græciam tenuit, alter fugiens arma Romana vſq; ad regna Caſpia, & extrema ſubactæ Perſidis, atque Indorum ſecreta victor peruenit: Magni nomen obtinuit, quia maximos omnium non laceſsiuit. Quem licet immatura mors triumpho Romanorum ſubtraxerit, ſeruit tamen & ipſe in poſteris ſuis, q̃bus Orientis ſpolia, nõ ad fulctrũ dominationis quæſita, ſed ad pretium



tium ſeruitutis, vt nobilitas famulantiũ ad victoris opes perueniret. Magna virtus in Alexandro. Quid tamen mirum? Ille vſque ad Oceanum victoriam extendit, Romani vltra Oceanum. Teſtis eſt Britannia extra orbem poſita, ſed Romanorum virtute in orbem redacta. Quos ætas ſuperior ignorauit, didicit Romanorum victoria. Seruiũt & ipſi, qui, quid eſſet ſeruitus, ignorabant: ſoli ſibi nati, & ſemper ſibi liberi, quia à ſuperiorum potentia, interfuſo Oceano ſecreti metuere non poterant, quos neſciebant. Plus itaque fuit tranſiſſe ad Britannos, quàm triumphaſſe de Britannis. Quid enim facerent, elementis Romanorũ imperio ſubiectis? Docuit illos Oceanus ſeruitutis patientiam, poſtquàm trãsfretantibus & ipſi Romanorum nauigijs, inſuetã ſibi ſeruitutem agnouerãt. Nam de Annibale quid retexã? qui tot regionũ victor, Romanis & ipſe militauit triumphis, quibus Alpes aperuit, viã ſtrauit, vrbes ſubegit, quæ victoribus acquirerentur. Et qui frequẽter ſuperior, ſpẽ tamen victoriæ victis nunq̃ intercluſit, ſemel

Alexãdes Magnus.

Annibal.

ſemel victus reparare ſe nequiuit. Ceſsit ſponte victoribus, quos victor non ſuſtinebat, abiectisque armis victricibus, ad Pruſiam ſeſe contulit Regem: ex Duce mercenarius, ex triumphatore fugitiuus. Veniamus ad Galliarum incolas populos natura feroces, & naturalibus muris ferociores, quos non cęmenta parietum, ſed iuga Alpium ab ortu Solis tuentur, ab occaſu Oceanus includit, à meridie prærupta Pyrenæi, à ſeptentrione Rheni fluenta, immanesque Germani inſuperabiles, & inacceſsibiles reddidiſſe ſe clauſtrorum beneficijs æſtimabantur: Romanis tamen ſupra nubes viantibus, & vltra columnas Herculis imperium propagantibus, nihil inuium fuit: tanta felicitate hoſtis, & qui latebat repertus, & qui reſiſtebat victus eſt: quorum improuiſo aduentu conſediſſe montes Germania credidit, Rhenum exaruiſſe, qui magnitudine corporum & contemptu mortis cæteris validiores, qui retinaculũ antè ſuũ Rhenũ putabant, nũc ſalutis defenſionem. Itaque iam non copijs Germanorum replentur,

Columnę Herculis.


plentur, ſed Romanorum liburnis, quæ pererrantes tot vſque ad mare bicornis amnis, quondam liberas gentes ſeruitio premunt, vt quæ ſibi antè totius orbis imperium præſumpſerant, nũc ſeruitutis propriæ mercedem exoluant. Quid Illyrijs erutum venis terrarum ſuarum aurum profuit, quibus non abundauit ad libertatis præmium? Quantò pretioſius Romanorum ferrum, cui ſeruit aurum Pannoniorum. Dat itaq; Pãnonius auri tributũ, & opes ſuas ad Romanum ærarium volens transfert, vt ſit tutior in ſeruitute, nec incolã ſuum auro turbida Pactoli vnda extulit in ſuperbiam, ſeruit libenter, quibus ſeruire imperia videt: nec miratur Indus gemmam ſuam, aut Seres lanam ſuam. Ad vſum Dominorum exercentur illa, non pretio mercium, ſed functionum munia. Perſarũ ſuperba audimus imperia, ſed eorum quoque obſides vidimus, & cùm ipſi imperent pluribus nationibus, tamen offerunt liberos ſuos & nobilitatem ſuam. Seruire Romanis gaudẽt pro fide pacis, ſimul vt ſeruiẽdo diſcant ſuis

Q impe-

imperare: offerunt veſtes, monilia, elephantos quoque Romanis, vnum tributum Reges imponere. Attexamus Aegyptum abundantem opibus ſuis, nec indigentem pluuiæ cœleſtis, quæ ſibi ipſa imbres generat, & pluuiarum hubertates creat. Denique cùm ſit feruentior omnibus regionibus, ſola non queritur de ſiccitate, & quod nulli alij loco ſuppetit, alit irriguo ſuas meſſes: Nauigat in arenis, nauigat per ſata, vbi pluuia neſcitur. Cuius tamen noua gratia & naturalis fœcunditas Romanis militat, vt quatuor mēſibus Dominos alat. Quid ipſam vrbē loquar cognomine Regis fortiſsimi, quæ ſepta fluminis muro, neſcit obſidionem? quòd vniuerſorum amnium maximus, diffuſo per ſpatia terrarum alueo, & obſidionis ſubmoueat impedimēta, & in vehēdis quæ neceſſaria ſunt ad vſum rerū miniſtret? Quæ magis poterat ad rebellandū quā Aegyptus excitari, quæ decies ſeptingēta & quinquaginta millia hominum, præter Alexandriæ incolas populos Romanis faſcibus numerat aſſcriptos? Et cùm

Aegyptus ſibi ipſa imbres generat.



cùm habeat tantam multitudinem, mauult tamen Romani imperij tributis ſe exercere, quàm ſuis militare ſtipendiis. Nō tranſiliā Cyrenēſes Lacedæmoniorum, qui quondam cum Carthaginenſibus de finibus atque imperio certarūt, finem certaminis mortem offerentes. Qua oblatione victi, ſed vlti tamen iniuriam fratribus Philineis victoriam conceſſere: nec Syrtes præteribo terribiles, etiam ſolo auditu, quòd omnia ad ſe trahant, & appropinquantia vadoſo mari hæreant, tertiam partem orbis totius ab Atlantico mari & columnis Herculis vſque ad mare rubrum, atque Aethiopas definiri rerū periti aſſeruere. Quis tot gentium populos numero recenſeat, quibus fulta Carthago Scipionis dextram non tulit, maluitque Romam duabus anni partibus aduerſum ſe paſcere, quàm aliorum opibus nixa aduerſum Romanos rebellare? Creta quoq; centū vrbibus nobilis, huberrima prēferēs regna, circūfuſa vndiq; mari, ex fluctibus tanq̄ mœnib⁹ ſolita hoſtē repellere, vnū conſularē vereretur, & plurimi populi

Cyrenenſei.

Syrtes.

Creta.

 ex

ex faſcium virgulis metu inclinantur. Aſia, Pontus, Eniochi, Scythæ Nomades, Taurici Scythæ, Mæotiaque regna, Boſphoranique omnes Romano imperio ſubijciuntur, & illud antè innauigabile pelagus, XL. naues ad pacem exercent. Nam de Armenia quid dicam, quæ nõ ſolũ limitis ſui ſeruat quietẽ, verùm etiam portarum intenta cuſtodiæ diligẽter explorat, ne pacẽ turbaturus aliquis irrepat. Omnes ergo Romanis ſeruire geſtiunt, vos ſoli dedignamini his eſſe ſubiecti, quibus ſubijciuntur vniuerſi? Quibus freti armis, quo ſuperbi milite, vbi eſt ſtolus nauium veſtrarũ, qui obſideat freta, percurrat maria Romanorũ? In ipſorum enim nomen elementa etiam tranſierunt, in quos etiam tranſiuit orbis terrarum, qui Romano imperio clauditur & definitur: denique à plериſque orbis Romanus appellatur. Nam ſi verum quęramus, vt ſuprà diximus, terra ipſa infra Romanorũ imperium eſt, ſuper quam progreſſa Romana virtus vltra Oceanum, alterum ſibi orbẽ quæſiuit, & in Britannia ſibi remota à confinio

Aſia.

Armenia.

ϛόλ☉ς.

Orbis Romanus appellatur orbis terrarum.



finio terrarum nouam ſibi inuenit poſſeſsionem. Denique quibus ius non ſolùm ciuitatis Romanæ, ſed etiam ipſius propè humanę conuerſationis negatur, illò diriguntur, vt illic habitent, quaſi mundi exules. Ceſsit Oceanus finibus ſuis, nouit Romanus interiora eius petere ſecreta, cum ipſis vobis erit bellum, aduerſum quos nec natura ſuũ ius poſſidet. Euphrates ille inacceſsibilis antè, niſi ſuis incolis, ex vtraque iam ripa Romanus eſt, & ſub imperio Romano totum ſignificat eſſe Orientem. Iſter in Septentrionalibus partibus inter ſæuas & innumeras profluens gentes, obſides ſuſcipit, hoſtes coercet. Meridiana plaga quouſq; habitabilis eſſe poteſt, arat Romanis, atque ipſis meſſem ſuam colligit in occaſu quodam vltima terrarum Gaditana ora, nouos ſuſcipit hoſpites, qui Romano imperio tributa ſua deferant. Habet & ipſa, quò dirigat merces ſuas, vbi antè ſolùm naufragium putabant, ibi nunc mutuatur commercium. Cùm igitur Romanorũ omnia ſint, vnde vobis aduerſum Romanos pręſidia quæritis?

Euphrates inacceſsibilis.

Iſter.

tis? Ex qua vobis inhabitabili parte ſocios poſtulabitis? Quicunque enim in orbe terrarum ſunt, Romani ſunt. An vltra Euphratem ad Adiabenos dirigetis legationem? ſed nec ipſis vacat ſua relinquere, nec Parthus ſinit petitam ſibi pacem interpellari, ne ipſe in finitimis reus ſit rebellionis, ne illud bellum ſimile putetis, ac ſi aduerſum Arabas & Aegyptios vobis gerenda prælia ſint: Alia Romana arma, aliæ opes ex toto quæſitæ orbe, nec Hieroſolymitana vobis blãdiantur præſidia murorum, validiorem Romani murum ruperunt: ſed de religionis auxilio præſumitis, cùm orbem iam Romanum Ieſu diſcipuli repleuerint? Aut ſiue nutu Dei putamus illam creſcere religionem, vrbemque Romã ſupra omnes regiones proferre imperium ſuum. Hæc noſtra nos iamdudum religio deſeruit, quia nos deſeruimus fidem, & frequenter interdicta mandatis cœleſtibus repetiuimus. Vnde in nos venit Aegyptius? quemadmodum captiui facti ſumus Aſſyriorum? Nónne ſcriptura dixit hæc euentura? Nónne ſcriptum



ſcriptum eſt profananda omnia templi ſacramenta? quæ iam ſæpiùs profanata vim ſuam atque omnem diuinorum myſteriorum gratiam non repræſentant. Contaminatũ eſt templum humano ſanguine, repleta ſunt puluinaria cadaueribus, perfuſæ aræ Romano cruore, pugnatũ eſt ſabbato: præuaricatio facta eſt, dum templum non ſua obſeruatione & feriarum ſolennitate, ſed cruento defenditur prælio. Et hoc vtiq; iterũ fiet. Ergo quomodo poſsimus tanquàm aduerſum hoſtes, & religioni aduerſarios diuinum auxilium mereri, cùm ipſi præuaricationem inferamus noſtræ religioni? Quod igitur remedium, cùm & humanæ opes non ſuffragentur, nec diuina non opituletur gratia? Alterũ horũ aliquos inuitare ſolet ad bellum, vobis vtrunque deeſt. Quid ergo ſupereſt niſi manifeſtum excidium? quod ſi non declinatis dum cauere licet, nihil aliud niſi vos ipſi veſtrã patriã concremabitis, templũq; exuretis, cõiuges quoq; & liberos dabitis neci, quibus autores eritis ſupremę amiſsionis. Cũ malorũ omniũ

 incre-

incrementum inconſolabile ſit, noſtræ culpæ aſſcribi debent, quæ ſuſtinemus: Accedit huc, quòd aliarum vrbium bella, ſuorũm incolarum excidijs determinantur, veſtra rebellio totius erit excidium religionis, quæ toto diffuſa orbe, populos vbique diſſeminabit, & in omnibus vrbibus noſtri portio eſt. Veſtro igitur prælio Iudæi omnes implicabuntur, nec erit vlla regio noſtri expers cruoris. Aut ſi tales ſunt Romani, vt Iudæos non perſequãtur, nec bello laceſsiti, quàm iniuſtum eſt bellum his inferri, quorum humanitatem ſperatis. Bonum eſt chariſsimi, bonum eſt, dum adhuc in portu nauis eſt, præuidere tempeſtatem futuram, nec imminentibus quenquam ſeſe obiectare periculis, ne cùm in altũ proceſſeris, iam naufragium non poſsis cauere. Et plerunque quidem repentina exurgit procella, & bellum excipitur, etiamſi non inferatur: ſed intereſt, laceſſere hoſtem, an excipere, magis parcit non laceſsitus, & neceſsitas excuſat inſolentiam: vbi verò in præruptum quiſquam ſeſe immergit periculum, oneratur



tur etiam opprobrio. Non is hoſtis eſt, quem fuga poſsitis vitare. Quòcunque ibitis, ſequetur periculum: immo vbiq; hoſtem reperietis. Omnes enim amici Romanorum ſunt, & quicunque prę̨ter Romanorum amicitiam eſt, hoſtis vniuerſorum eſt. Subeat vos patriæ amor: ſi non pignorum veſtrorum, non coniugum vos contemplatio reuocat, reuocet templi cõtuitus ſacratiſsimi, parcite ſaltẽ religioni, parcite ſaltem ſacratiſsimis ſacerdotibus, quibus iam non parcent Romani, neque ipſi templo, quos peperciſſe pœnitet: quoniam iamdudum volunt omnes gentes noſtram extinguere religionem, cui Pompeius, cùm extinguere poſſet, pepercit. Ego nihil prætermiſi, omnia monui, quæ ad veſtram ſpectant ſalutem: hoc vobis ſuadeo, quod mihi eligo: vos conſiderate, quid vobis & mihi vtile ſit, opto vobis & mihi pacẽ eſſe cum opulo Romano: ſi recuſatis, ipſi meam vobis eripitis ſocietatem: aut cõmunis erit gratia, aut ſine me periculũ. Hæc dicens, illachrymauit, Beroniceq; ſoror eius. Nam & ipſa inſtitit ſuperioribus,

ribus, & multum eos Agrippa ſuis lachrymis inflexerat, ita vt diceret Iudæi, non Romanis bellamus, ſed Floro, qui bello digna commiſit, bellum inferendũ arbitramur. Reſpondit Agrippa, ſed hoc eſt Romanis bellum inferre: facta veſtra Romanorum iniuriam petunt. Non Floro, ſed Romanis: non Floro, ſed Cæſari tributum negatur: Non Flori, ſed Romanorum miles in caſtro eſt, quod appellatur Antonia, à quo dirutis diuiſiſque porticibus templum ſeparaſtis, vt cuſtodia ſequeſtraretur. Reſtituite ſtatutum ſuperiorum tributum: quod Cæſari debetur, Cæſari ſoluatur, ne Florus hoc referat non ſe à vobis, ſed Cæſaris imperium repudiatum. Acquieuerat populus his dictis, ita vt cum Agrippa in templum aſcenderent, porticus vt fuerant inciperent ędificare, tributum cogerent. Deniq; breui miſsis in huiuſmodi munijs induſtrijs executoribus, cõgregata ſunt talẽta XL. quę deerant tributarię ſolutioni. Cõpreſſus fuerat omnis belli tumultus: ſed adiũgere his Agrippa volẽs vt Floro obtemperaret, donec ei à Cęſare ſucceſſor veniret, ita plebem exaſperauit, vt ne ab eius quidem contumelia temperaretur, ſed extruſum vrbe nonnullis iactis lapidibus, incertũ an percuſſerint. Qua motus iniuria Rex, autores eorum comprehẽſos ad Florum direxit. Ipſe autem in regnum ſuum conceſsit.



## Caput X.

EO diſcedente concitatores belli cõpoſitis inſidijs, Maſſada caſtellum occupauerunt, necatiſque Romanorum cuſtodibus, ſuos conſtituêre. Eleazarus quoque Principis Sacerdotum filius, præruptæ vir audaciæ ſuaſit, ne cuius alienigenæ donum vel ſacrificium reciperetur: quę tuba belli aduerſum Romanos fuit, vniuerſoſque in tumultum excitauit. Videntes itaq; potiſsimi quique, quòd ea res præſumptæ cauſa foret diſſenſionis, agebant cum populo non ſolùm Cæſari bellum irrogari, ſed violari etiam inſtituta religionis, templique imminui reuerentiam: argui & condemnari Patrum traditiones, qui ex muneri-

muneribus alienigenarum templum or nauerint, cui multò amplius acceſſerit diuitiarum ex collatione gentium, doniſq; diuerſarum & innumerabiliū nationum obliterari ſancta maiorum, ſacros ritus nouari. Quid futurum de his quæ antè collata ſunt, ſi ſimili modo cōferri in poſterum dona gentium prohibeantur? Aut ſi ſolis Romanis ſit interdictum quod omnibus liceat, quod incentiuum belli futurum? Poſtremū impium, ſi apud Iudęos tantùm nec ſacrificare, nec inferre munera alienis permitteretur. Conſiderare eos oportere, quia Cæſaris pax ſolueretur, quem huiuſmodi motum offenſione, haud dubiè facturum, vt eriperet Iudæis omnem vſum ſacrificiorum: vt nec pro ſe ſacrificarent, qui ſacrificiū Cæſaris refutauiſſent, prę ueniendum maturè. Nam talia conſulta ſi ad Florum, atq; inde haud dubiè ad Cęſarem peruenirent, Iudæorum genti peſtem factura: ſimul hęc aſtruere ſacerdotum teſtimonijs deſiderantes, interrogabant ſi vnquam à maioribus eſſet ſacrificijs gentilium renuntiatum: id cùm minùs



minùs liqueret, obſtrepebant ad ſeditionem parati, nec miniſtri quidem altaris audebant ſeſe tantæ diſcordantium inſerere contentioni: vnum remedium ſupereſſe viſum eſt, vt Florus atq; Agrippa Rex cum militari manu adeſſent, vt ſaltem metu deſiſterent, qui cōſilio nequaquam reuocarentur: ſed Florus, qui augeri vellet ſeditionem, ne vllus Iudæis eſſet veniæ locus, qui niſi inuoluti bello forent, vrgendi rapinas eius, & grauiora commiſſa facultas omnis extingueretur, paſſus eſt creſcere belli furorem, nihilq; Legatis reſponſi reddidit. Agrippa verò quā maximè ambiebat Scyli & Antipæ Cuſtobariq; propinquorum ſuorū legationem, in commune bonum, vt & Iudęos Romanis ſeruaret, & Iudęis religionem, patriæ tēplum, vrbem ciuibus, ſibique imperij decus, regni tranquillitatem, miſit tria millia equitum Dario & Philippo turmarum Ducibus, vt auxilio freti, bonarum conſultores partium promptiùs adniterētur. Hinc fidutia bonis orta, improbis indignatio, bellum adoleuit. Cùm hos cauſa iuſtior, quę nihil

hil tamen armorum conflictus iuuaret: illos furor & multitudinis numerus accẽderet, diuiſæ acies præliatorum: Principes Sacerdotum, & vulgi portio, quæ pacem optabant, cum Regijs equitibus partem ciuitatis ſuperiorem occupauêre: illi alij in inferioribus ſiti, templum & propinqua loca ſacris ſibi vendicabãt. Primò lapidibus & ſaxis & iactu telorũ vtrinque bellum laceſſunt, decernunt ſagittis. Poſteà vt ſeſe fortè obtulit præliandi neceſsitas, cõſertæ manus, peritia vſuq; Regij præſtabant, volentes arcere acceſſu belli excitatores, ne templum intaminarent. Contrà Eleazaro cũ ſuis etiam ſuperiorem vrbem, quæ vocabatur Sion, inuadere ſtudium erat, ſeptem diebus ſine intermiſsione aliqua bellatum eſt. Octauus ſolemnitatis dies, quo ligna omnes altaribus ſolebant imponere, ne quãdo ignis deficeret, quem oportebat inextinguibilem perſeuerare, furorem addidit, vt omnes à templo miniſtri excluderentur. Audaciùs ſolito ſicarijs ſeſe proripiẽtibus ceſſere Regij, nec in ſuperioribus partibus conſiſtere auſi:

*Ignis inextinguibilis.*



auſi: incenſæ ædes Agrippæ & Beronices, direptum omne inſtrumentum Regium, ignis circumferebatur: vt etiam chirographa debitorum, quæ recondita in tabularijs erant publicis, exurerentur: quò fœneratoribus ſuis inopes inſolentiùs inſurgerent, omni nexu ſeſe abſolutos arbitrati: incendebant vrbem manibus ſuis, exurebantur nerui ciuitatis, expugnatum eſt caſtrum, cui nomẽ Antonia, cæſi omnes cuſtodes reperti, incenſum poſteà. Maſſadam quoq; proripiens ſeſe Manaimus, Iudæ Galilæi filius, acer & peritus Sophiſta, & turbandis rebus exercitatus, armorum inuaſit officinas, & induit armis inermes. Regreſſusq; in Hieroſolymã, ſtipatoribus tanquàm Regio more comitantibus, immane quantum inſoleuerat, vt ſupergrediens vſum priuatum, nec ab illicitis quidem, quæ liberi populi ferre non poſſent, temperandum arbitraretur, inſurgentibus in eum pluribus, qui fultum Regali indumento, Tyrannum & Dominum incubuiſſe libertati ciuiũ increpitarẽt, graues pœnas dedit, vt

*Caſtrum Antonia.*

vt afflictus priùs cruciatibus immoreretur, nec tamē diſsidium remotum: nam multò grauior motus inſurrexit. Denique Metilius cum Romanis militibus orauit, vt ſibi diſcedere liceret: dataque fide & interpoſitis ſacramentis, vbi iuxta pactum arma depoſuêre, cùm ſine metu abirent, ab Eleazaro & ſocijs facti onis multi obtruncantur. Non reſiſtendum aduerſus vim, nec precandum rati, ſed tantummodo violatam fidem & periurium perfidorum vociferātes. Omnes itaq; interfecti: Metilius ipſe præfectus militum rogando & obſecrando, ſimul pollicens vſq; ad circunciſionem quoq; ſe Iudæum futurum, ſolus reſeruatur.

Metili⁹, q Mutili⁹ dicitur, ſol⁹ reſeruat.

## Caput XI.

ARdebat omnis Iudæa: Syria quoq; prouincia omnis in bellum excitata. Deniq; Cæſarienſes quoſcunq; habebant Iudæos interfecerunt: quo dolore excitati, plurimas Syriȩ vrbes Iudæi adorſi debellauerūt: nuſquàm ius, nuſquàm religio, nobilior erat, qui plura diripuerat, quaſi præmia congerens fortitudinis.

Nuſquàm ius, nuſq religio.



Erat ſpectaculum miſerabile, cū inhumata corpora paſsim iacerēt in vrbibus: pueris commixti ſenes, mulieres quoque: nec præter verecundiam ſpectantium monumentis, quibus pudenda tegerentur relictis: omnia fœda & plena ſpecie miſerabili, quæ cū tetrum horrorem excederent, grauis ac nefariæ crudelitatis, grauiora tamen adhuc ſibi inuicem minitabantur. Erat immane latrocinium inter Iudȩos ac Syros, cū ſpes nulla ſalutis eſſet, niſi vt inuicem ſe præuenirent. Quæ enim ciuitas, quȩ non Iudȩos ſimul & Syros permixtos haberet? Dies in ſanguine, noctes in formidine tranſigebantur: nec odijs, nec auaritiæ modus vllus. Nam præter ſectarum & cultus diuerſitatem, quæ in malum publicum eruperat, vt è diuerſo ſe perditos vellent, auaritia habendi & rapiendi cupido animum inuaſerat, vt nulli, quem prædȩ ſtudio deputaſſent neci, parcendū exiſtimarent. Quid de minore numero cȩſorum loquar? Nam prȩter Antiochenos & Sidonios & Apamenos, difficilè quiſquam populus inhabitans ſecū Iudæos

Latrocinium Iudæorum & Syrorum.

daeos non perſecutus eſt. Ceraſſem autẽ & volentes egredi, vſque ad fines proprios proſecuti ſunt, vt ſine vlla fraude abirent. Alexandriæ verò orta inter gentiles & Iudæos contentione, dum Hebræi vindictam repoſcerent, ac raptis facibus congregatũ in amphitheatro populum gentilium minitarẽtur exurere, alia curantem Alexandrum, Tiberium Præfectum loci in ſe conuertere, ac primò quidem concordiam publicam reformare pacificis tentabat ſermonibus. Vbi verò inuideri ab his, quæ ſedulò moneret, aduertit, nec vllo odio modò tolli poſſe tantam ſeditionem, inuadendi eos militibus poteſtatem dedit, qui circunfuſos adorſi, maximam per totã vrbem ſtragem fecẽre: cùm alios reſiſtentes, fugientes alios in domibus ſuis latitantes necarent, neque vlla ſubiaceret, vel paruulorum miſericordia, vel reuerentia ſenum vel mulierum verecundia. Cæſa itaque Iudæorum quinquaginta ferè millia, natabant plateę ſanguine: repleta erant omnia cadaueribus, crepitabant flammæ ſæuo per vrbem incendio, quæ

Cęſa ſunt Iudęorũ quinquaginta fecè millia.

Iudæorum



Iudæorum domibus inuectæ vicina ſimul depaſcebant: Infelix tamen Alexander tãdem milites abſtinere, & receptui canere iubet: vulgi tamen ira ſemel progreſſa in poteſtatem necandi, nequaquã mitigabatur.

## Caput XII.

LVebant enim ſcelerum ſuorum ſupplicia, qui poſtquàm Dominum Ieſum crucifixerant diuinorum arbitrũ, poſteà etiam Diſcipulos perſequebantur. Plerique tamen Iudæorum, gentilium plurimi crediderunt in eum, cùm præceptis moralibus operibuſque vltra humanam poteſtatem profluentibus inuitarentur. Quibus ne mors quidem eius vel fidei, vel gratiæ finem impoſuit, immo eam etiam cumulauit deuotionẽ. Intulerunt itaque parricidales manus, atque autorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxẽre, reluctantem cœperunt perurgere iudicem, in quo tamen nõ excuſabat Pilatus, ſed Iudæorũ amentia coaceruabat, quia nec ille adiudicare debuit, quẽ reum minimè dephenderat,

Ieſus diuinorum arbiter.

Ieſus ducitur ad Pilatum.

Pilatus reluctãs nõ excuſatur

 nec

[library stamp]

nec iſti ſacrilegium parricidio gemina-re, vt ab his, qui ad redimendos & ſanandos eos ſeſe obtulerat, obtruncaretur: de quo ipſi Iudæi quoque teſtantur, dicente Ioſepho hiſtoriarum ſcriptore, quòd fuerit illo in tempore vir ſapiens, ſi tamen oportet, inquit, virum dici: mirabilium patratorem operum: qui apparuerit diſcipulis ſuis poſt triduum mortis ſuæ viuens iterum, ſecũdum Prophetarum ſcripta: qui & hæc & alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetauerunt: ex quo cœpit congregatio Chriſtianorum, & in omne hominum penetrare genus, nec vlla natio Romani orbis remanſerit, quæ cultus eius expers relinqueretur. Si nobis non credunt Iudæi, vel ſuis credant: hoc dixit Ioſephus, quem ipſi maximum putant: & tamen ita in eo ipſo quòd verum locutus eſt, ita mente deuius fuit, vt nec ſermonibus ſuis crederet, ſed locutus eſt propter hiſtoriæ ſuæ fidem, quia fallere nefas putabat: nõ credidit propter duritiam cordis & perfidiæ intentionem: non tamen veritati præiudicabat, quòd non credidit,

Citat Ioſephi de Ieſu crucifixo teſtimonium. Antiq. lib. 18. ca. 6.

Ioſephus ſuis non credit ſermonibus.



dit, ſed plus addidit teſtimonio, quod nec incredulus & inuitus negauit: In quo Chriſti Ieſu claruit potentia æterna, quòd eum etiam Principes ſynagogæ, quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur. Et verè quaſi Deus ſine exceptione perſonarũ, haud vlla mortis formidine locutus, excidium quoque templi futurum annuntiauit: ſed non eos tẽpli iniuria commouit, ſed quia in flagitijs ab eo & ſacrilegijs corripiebantur, hinc ira exarſit vt interficerent eũ, quem nulla habuiſſent tempora. Nam cùm alij precando meruerint facere, quæ fecerũt, hic in poteſtate habebat, vt omnia, quæ fieri vellet, imperaret. Occiſus erat ante mortem Ieſu Baptiſta Iohannes vir ſanctus, qui nunquam in ſeculis ſalutis veritatem poſuerit. Deniq; ad omnia quæ plena iuſtitiæ docebat, quibus ad cultũ Dei inuitabat Iudæos, etiam Baptiſmum propter purificationem animæ & corporis inſtituerat. Cuius cauſa necis libertas, quòd perpeti nequiuit ab Herode fraterni violata connubij iura, germanoq; abductam coniugem. Nam cùm idẽ Herodes

De Iohanne baptiſta occiſo, cuius cauſa necis libertas erat.

rodes Romam pergeret, hoſpitij cauſâ fratris ingreſſus domum, cui erat vxor Herodias, Ariſtobuli filia Regis Agrippæ ſoror, auſus eſt eam naturæ immemor ſolicitare, vt relicto fratre, ſibi nuberet: cùm de vrbe Roma reuertiſſet, ex conſenſu mulieris inita inceſti pactio eſt. Cuius indicium rei peruenit ad Aretæ Regis filiam, in coniugio adhuc Herodis manentem. Ea riualem indignata redeunti marito inſinuauit, vt ad Macherunta oppidum dirigeretur, quod erat in confinio Petręi Regis & Herodis: ille qui nihil ſuſpicaretur, ſimul quia omnem circa eandem imminuerat affectum, quò faciliùs Herodiadi pactionis fidem præſtaret, ſi ablegaret coniugem, acquieuit eius ſuggeſtioni. At illa, vbi patrio regno appropinquauit, cognita patri Aretę ꝓdidit, qui per inſidias omnem exercitum Herodis bello laceſſitũ deleuit, proditione facta per eos, qui ex Philippi Tetrarchæ populo Herodi ſeſe aſſociauerant. Vnde Herodes Cæſari querelam detulit: ſed vindictam imperatam à Cæſare indignatio Dei ſuſtulit.

Herodias.

Nam


Nam in ipſo apparatu belli, Cæſaris mors nuntiata, idque à Iudæis æſtimatum comperimus & creditum (autore Ioſepho) aduerſum ſe idoneo, quòd non fraude hominum, ſed Dei commotione Herodes exercitum amiſerit, & iuſtè quidem propter vindictam Iohannis Baptiſtæ viri iuſti, qui dixerat ei: Non licet tibi fratris vxorem habere: ſed ita hæc contexi mus, quaſi vel in ſuis Iudæi legitima cuſtodierint, apud quos interierat ſummi ius ſacerdotij, aut auaritia interceptum, aut potiorum inſolentia, qui licere quod vellent, ius putabant. Nanque à principio Aaron ſummus ſacerdos fuit, qui ad filios ſuos ex voluntate Dei vnctione legitima tranſmiſit ſacerdotij prærogatiuam, à quibus per ordinem ſucceſſionis conſtituti ſunt, principatum ſacerdotij gerentes. Vnde patrio more conualuit neminem fieri Principem ſacerdotum, niſi qui eſſet ex ſanguine Aaron: cui primò ius iſtiuſmodi delatum eſt ſacerdotij. Alterius autem generis viro nec Regi quidem liceret

Aarõ ſummus ſacerdotum.

 ſucce-

Ozias perfuſus lepra quia ſacerdotij munus ſibi vſurpauit.

ſuccedere. Denique Ozias, quia vſurpauit ſacerdotij munus, perfuſus lepra, tēploque eiectus, reliquā ætatem ſine imperio exegit, & certè Rex optimus fuit, ſed vſurpare ei non licuit officium religionis.

## Caput XIII.

FVerunt itaque ex quo egreſsi ſunt ex Aegypto patres, vſque ad ædificationem templi, quod Salomō condidit, principes ſacerdotum XIII. qui fiunt anni ducenti XII. quoniam primò qui erat princeps ſacerdotum vſque ad mortem perſeuerabat, nec quiſquam in locum viuentium ſubſtituebatur. Poſteà etiam ea viuentibus ſubrogabantur. Ergo iſti tredecim per ſucceſsionem adepti ſunt ſacerdotiū, quibus temporibus & ariſtocratia fuit, & monarchia, iudicum & Regum poteſtas. Rurſus à Salomone vſq; ad tempora captiuitatis, quādo in Syriam populus demigrauit, vrbe capta temploq; exuſto, fuerunt ſacerdotum Principes XVIII. per annos quadringentos LX. & menſes VI. & dies X. LXX.



LXX. autē annis pòſt in captiuitate fuit populus. Poſteà Cyrus cùm dimitteret populum patrum de regione Aſſyriorum, & templi ædificandi poteſtatem daret, etiam ſacerdotum Principem Ioſedech, qui ſimul abductus erat, redire permiſit, vt ritus veteris ſolennitatis per aſſueti ſacerdotis ſcientiam reformaret. Ipſe igitur & poſteri eius quindecim numero viri, à reditu populi vſque ad Antiochum Eupatorē, officio functi ſunt per ordinem ſucceſsionis, & principatum ſacerdotij repræſentarūt annis CCCC.XIIII. Primus Antiochus, quem ſuprà memorauimus, & Dux eius Lyſias, occiſo Onia ſacerdotum Principe, in locum eius ſubſtituerunt Alchimum in ſacerdotium. Qui licet fuerit de Aaron genere, non tamē fuit de ipſa domo. Vnde Ananias frater Oniæ pergens in Aegyptū, petijt à Ptolemæo Philometore & Cleopatra cōiuge Philometoris, qui ritus obſeruationis ab Hieroſolymitanæ ſolennitatis ſimilitudine in Alexandrinæ vrbis cultibus inſeruerat, vt illic Princeps ſacerdotum ſubrogaretur, eò

quòd Alchimus legitimam non haberet ſacerdotij ſucceſsionem, atque idem tamen exacto triennio defunctus, nec ſucceſſorem habere meruit, qui abrogauerat legitimæ ſucceſsionis ſolennitatem: fuit itaque ſeptem annis ciuitas ſine Principe ſacerdotij. Vſque ad hoc tēpus regreſsio patrum de terris Aſſyriorum Democratiam tenuit, eò quòd per Regum iniquitates in captiuitatem ſeſe eſſe deductum Iudæorum populus recognoſceret: Aſamonæi poſteà nacti poteſtatem populo præſidendi, Ionatham ſacerdotum Principem conſtituêre, qui per ſeptem annos functus ſuſcepto munere, per inſidias Triphonis finem vitæ inuenit, in cuius locum Simon frater germanus tanquam iure hæreditario, per electionem tamen ſucceſsit, quem generi inſidijs inter epulas extinctum accepimus, à quo ad filium eius Hyrcanum, quem fuga periculo exemerat, prærogatiua ſacerdotij demigrauit. Hyrcano autem Ariſtobulus, qui etiam regnum memorato adiūxit muneri, vt vtriuſq; eſſet particeps, & Ariſtobulo Alexander ſubſtitutus eſt: Penes Alexandrum & regnum & ſacerdotium vſque ad dies vitæ eius manſit: ſupremum per ſeptem ſcilicet & XX annos, ſed plerunque dubio ſtatu: Nam & anceps inter ipſum & Demetrium victoria fuit, & odium immane à ciuibus. Idem moriens Alexander, qui periculo ſam filijs ſuis cerneret odiorum ſuorū hæreditatem, Alexandram coniugem ſuam exercitam vſu imperij, & communium aſſuetudine conſiliorum, gratiorem tamen populo, quòd & aduerſum viri ſæuitiam periclitantibus frequenter præſidio fuerit, & coniugi temperamento, Regali præeſſe voluit gubernaculo: arbitram ſimul ſtatuens, cui nam potiſsimùm filiorum ſummum ſacerdotium committeretur. Illa Hyrcanùm patri ſubſtituit in ſacerdotium, vel propter maioris ætatis prærogatiuam, vel quòd leniore quàm frater ingenio, nullas ſuper regni negotijs matri videretur moleſtias excitaturus. Ariſtobulo nihil publicorum commiſit officiorum: Sed ille etiam viuēte matre, ægri

ægritudinis tamen eius occaſione in remotis & munitioribus locis Regem agebat: quo offenſa mater, & Hyrcani querelis anxia, vim morbi aluit, nec vltra nouem annos progreſſa imperij omniũ hæredem Hyrcanum reliquit: non quò ſeruaturũ præſumeret, ſed ne indignũ iuuaret, aut vſurpatoris inſolentiam iudicio proſperiore accẽderet: verùm Alexandræ mors etiam Hyrcano ſacerdotiũ regnumque ademit. Nam bello victus, ad munitiora ſeſe contulit, retentiſque coniuge & filijs Ariſtobuli, quos in caſtro inuenerat, amplexatus eſt mutare condicionem, vt ad Ariſtobulum poteſtas omnis tranſiret, & ſacerdotium: ipſe priuatus in domum Ariſtobuli concederet. Nec tamen diu contentus fuit aulam Regiam priuatis mutaſſe ædibus. Nam excitatus ab Antipatro, primò in Arabiam contendit, velut conteſtatus pacti iniquitatem. Deinde vbi infirmũ ſibi aduerſum Romanos, quos in ſui ſocietatem per Scaurum Ariſtobulus illexerat, Arabi Regis auxilium aduertit, Pompeio venienti querimoniam detu-

lit,


lit, qui eludentem Ariſtobulum, anno iam tertio imperitantem bello pertulit, autoritate cepit, atque ante victoriam cuſtodiæ dedit, ſuperatoque eius populo, & capta vrbe, captiuum ipſum cum filijs Romam dirigi præcipiens, Hyrcano ſacerdotij dignitatem refudit, atque eum Præſidem ciuibus abſq; diademate tamen, regniq; inſulis ſtatuit. Largus quidem honoris, ſed conſultor quietis, ne fraternæ inſolentiæ ſpiritu pax turbaretur. Ita Ariſtobulus captus licet, Hyrcanum tamen regno exuit, qui quatuor & viginti annos poſteà maiore vſu quàm nomine in poteſtate exegit: nec tamen is finis vitæ Hyrcano, qui poteſtatis fuit. Nam reliquum tempus dedecori ceſsit, vt ſuprà memorauimus: Siquidẽ ſuperatis prælio Parthis Euphratem tranſgredientibus, captus, & Antigono Ariſtobuli filio in poteſtatem datus, truncatiſq; auribus: nec ſic quidem ærumnæ miſerabilis impleuit acerbitatem. Nam poſt illam in Parthiam quoq; abductus exul, debilis ſenex, ludibriũ de ſe Barbaris præbuit, & cognito

poſteà

poſteà, quòd Herodes imperitaret, cuius coniugio Mariamne neptis ſua potiebatur, in Iudæã reuertit: Vbi primò ſumma honoris ſpecie ſuſceptus, quò inſidiarum velamen obtenderetur, haud multò pòſt affictо crimine, quòd poteſtatem vellet repetere, interemptus eſt. Nactus igitur Herodes regnum, quod à Romanis pro oppugnatæ, vel proditæ patriæ mercede acceperat, in locum Antigoni, qui triennio & tribus menſibus tenuerat imperium, ſubſtituit ſucceſſores in ſacerdotium, non Aſamonæi generis, quos clariores fuiſſe proſapiæ accepimus, ſed ignobiles quoſque, quos aut libido aut caſus dediſſet: tamen fatigatis Alexandræ precibus ſocrus, vel in ſimulationibus territus, Ionatham coniugis ſuæ fratrem ſeptem decemque annos agentem ſacerdotem creauit, quem mox ipſe exitio dedit, ſuſpectum imperij, quòd circa eum ingentem populi totius gratiam indies videret adoleſcere. Poſthabito itaque Ananelo, quem iam ex ignobilibus ante Ionatham in ſacerdotium ſurrogauerat, reliquos per



per ordinem huiuſmodi elegit, de quibus nihil ſuſpectum haberet. Nã quod in affine perpeti non potuerat, quemadmodum non caueret in alienis ſimilia? In huiuſmodi ordinationibus Archelaus ſecutus paternæ ſpeciem conſuetudinis, anguſtioris animi tenuit ſententiam: more quodam inſito mortalibus, vt apud eos minùs ſuſpecta ſit ignauia hebetiorum, quàm gratia bonorum, cùm infirmus animus inſolentior ſit in rebus ſecundis, prudentior autem nouerit vicem referre de beneficijs. Igitur à regno Herodis, vſque ad Romanum imperium, quod Archelao deiecto, Iudæam reliquis prouincijs aſſociauerat, atque inde vſque ad templi excidium & triumphũ Titi fuerunt ſacerdotum Principes viginti & octo, per annos centum & ſeptuaginta. Sanè apud pleroſque eorum dignitatis ſola functio, penes paucos etiam ius poteſtatis fuit. Liquet igitur in ſacerdotum Principibus non perſeueraſſe legitimi generis ſucceſsionẽ: quia non omnes ex Aaron neque filijs eius, qui

Apud mortales min⁹ ſuſpecta eſt ignauia hebetiorum, q̃ gratię bonorum.

qui in eius ſubrogati locum, formam præſcriptæ ſucceſsionis cæteris dereliquêre. Itaque cùm auaritia aut perfidia ſuorum corrupta eſſent maiorum inſtituta, violata iura religionis, conuulſa æquitatis præſidia, non immeritò eos diuina deſeruit opitulatio, eoq; tanquã in vacuum populum omni iniuriarum genere proceſſum, vt ſeditionibus domeſticis in ſeipſos manus verterent: latrocinijs grauibus afflictarentur, teterrimos ſortirentur iudices, vt improbis nequiores ſuccederent: deniq; Albinus deterrimus habebatur ſuperiorum, ſed Floro ſucceſſore is inter bonos relatus, qui facem belli extulit, prælium inter Iudæos & Romanos accendit, quæ cauſa ſupremo templi & vrbis excidio fuit.

Florus.

## Caput XIIII.

Ceſtius in Syria rexit.

NAnq; Ceſtius vbi ardere Iudæos comperit belli furore, qui ſummã militiæ regendam in partibus Syriæ à Romanis ſuſceperat, duodecimo anno imperij Neronis mouit arma, vt militũ Romanorum, quibus erat cuſtodia cõmiſſa,



miſſa coercendæ inſolentiæ, & pacis tuẽdæ necem vlciſceretur. Congregatisq; etiam ſociorũ auxilijs, Iudæã ingreſſus, vrbem, cui nomen Zabulon, dilapſis metu incolis, plenam diuitiarum, quas ad ſuperiora montium confugientes domini ſecum auferre nequiuerant, diripi ab exercitu paſſus. Admiratus quoque publicorum operum pulchritudinem, incendi iuſsit: & quaſi hoc parum ad vindictam foret, Ioppen præmiſſo exercitu, ne quis fuga ſeſe exitio ſubduceret, terra marique irrumpentibus, qui deſtinati fuerant, occupauit: necatisq; octo millibus virorum & quadringentis fermè ampliùs, vbi præda rapinæ ceſsit, exuſta ciuitas eſt: vicina quoque Cæſareæ depopulatus, diripuit inuenta, vicos incẽdit. Cuius fregit impetum Sephoris, egredientibus cunctis obuiam Ceſtio, ciuium fauore & gratia delinitus, immunem cladis vrbem reliquit. Feruebat in his locis congregatio latronum, ſed aduenienſte exercitu, in montes conceſſerant. Qui conferentem ſigna Gallum Præpoſitum duodecimi ordinis adorſi

Zabulon

fortiter exgitauerunt, vt ducentos fermè Romanorum occideret. Verùm vbi ſuperiora locorum occupauêre, neque peditem cominùs potuerunt latrones pati, & fugientes ab equitibus facilè circumuenti necantur. Cæſi itaque ſupra duo milia, pauci fugati, qui in arduis montium potuerunt latere. Et omni à latrocinio regione purgata, Gallus in Cæſariam reuertitur: Ceſtius cum omni manu Antipatridẽ perrexit, quibus non mediocrem Iudæi coaceruarunt multitudinem. Sed priuſquàm conſererent manum, per diuerſa dilapſi, regionẽ & vicos direptioni & igni dereliquerunt. Lidda quoque vacua incolarum reperta, & incenſa Gabaon, quæ ab Hieroſolymis quinquaginta ſtadijs aberat, vbi Romanum exercitũ accepit in conſpectu poſita, armauit Iudæos: Qui poſthabita ſabbati celebritate (quod veteri cultu & ſolenni obſeruatione initiabãt) tanto impetu in Romanos proſiluêre, vt omnem exercitum auerterent, niſi equites ſubueniſſent peditibus laborantibus. Cæſi Romanorum quingenti, & quin-

Lidda. Gabaon.



quindecim viri, ſed omnes grauiter periclitati: de Iudæis autem duo & viginti bello amiſsi. Quo loco emicuit virtus Monobazi & Cedei, qui cognito, quòd à Iudęis in Romanas acies inſurgeretur, à fronte aggreſsi, repulêre pleroſque, & coegerunt in vrbem redire.

## Caput XV.

SImon quoque aſcendentes Romanos propinqua vrbis impedimentis exuit. Vnde & Ceſtius in regione ſeſe triduo tenuit. Qua mora circũfuſi hoſtes, & in ſuperioribus ſiti, ingreſſus ſpeculabatur vniuerſos, ne quis impunè irrumperet. Quod conſiderans, non ſine multa clade vtriuſque partis tentari nequire, miſit ſuos Rex Agrippa Lorcyum & Phœbam, qui diceret populo, veniabile, quicquid ab eis eſſet aduerſum Romanos flagitij commiſſum, ſi modò in reliquum poſitis armis, ſibi conſulerent: æſtimãs, quòd vel vniuerſis ſuadendum crederet, vt prælio renunciarent, vel partem cæteris auellendam. At contrà ſeditioſi metu, ne eorum

 alterum

alterum procederet, legatos adorſi Phœbam interficere, Lorcyus autem excepto vulnere, vix euadere potuit. Videns Ceſtius huiuſmodi in vrbe contentiones, quibus alij in legatos inſurgerent, alij Romanos vrbe ſuſcipiendos ſuaderent, irrumpere conatus, vſque Hieroſolymam reſiſtentes repulit: & ipſe ad tertium ſtadium memoratæ vrbis cum exercitu appropinquauit, atque illic exegit triduum. Quarto die impetu facto, ingreſſus Betheſdam ilico incendit, & Cenopolim. Qui conſcendens ad ſuperiora vrbis refugientibus in interiora ſeditioſis, ſi irrumpendum in vrbem putaſſet, haud dubiè omne bellum eſſet ſolutum. Denique pleroſque Ananus Ionathæ filius collocauerat, vt inuitarent Romanos vocibus ſuis, quaſi portas reſeraturi. Sed dum Ceſtius vel reuocatur à Priſco, vel pleriſque cēturionib⁹, qui corrupti à Floro bellum adoleſcere cupiebant, vel parum credit, Ananus cum ſuis muro deijcitur. Quibus ad ſua refugientibus, locum eorum ſeditioſi occupauêre, Romanique quinque diebus tētantes

Lorcyus vulnerat.




tantes diuerſos aditus, cùm impoſsibilem ſibi cernerent irruptionem, electis validioribus quibuſque, & ſagittarijs, à ſeptentrionali latere templum petebāt: Iudæi quoque non feriabantur prælian tes fortiter, & repulſis crebrò hoſtibus elatiores. Ad poſtremum tamen multitudine ſagittarum vulnerati alij, alij perculſi & territi, ceſſere: Romanis murū ſuffodere, & portam incendere tēpli adorſis. Magna ſeditioſos formido inceſſerat, & quædam mentium conſternatio: denique plurimi quaſi continuò perituræ vrbis excidio ſe ſubtrahebant fuga, nec conſiſtere auſi, dederant populo cōfidentiam, vt diſcedentibus eis, quorum circumuallatus fuerat multitudine, tanquam iam liber, & quadam exutus improborum obſidione, circa portas ſeſe infunderet, quibus apertis Ceſtium reciperet, quaſi non oppugnatum vrbem, ſed defenſum veniſſet: ſed ipſum quoq; Ceſtium ſubitò quidem inuaſit ſtupor, vt nec deſperationem improborum, nec ſtudium plebis intueretur. Qui ſi pauliſper cœptis incubuiſſet, bellum depu-

ſerat, vrbem ceperat. Sed aduerſa (quantum intelligi datur) Iudæis voluntas Dei, imminentem belli exitum comperendinauit, donec complures, ac penè vniuerſos Iudaicę gentis ruina inuolueret. Expectabatur (vt reor) vt omne nefas ſcelerum enormitasque creſceret, & impietatis incremẽto ſupremorum adæquaret menſuram flagitiorum. Quid fuit illud, quòd cùm perurgere debuerat Ceſtius, ſubitò exercitum reuocauit, ſoluitque obſidionem? Quia repentina contra expectatum commutatione rerum, fracti animi bonorum, & erecti latronum ſumpſere fidutiam, atque à fuga ad inſequendum regreſsi, inuadunt poſteriora agminis, multosque illic cõfuſe ruentes equitum & peditum obtrũcauêre. Et iam inclinauerat dies: vnde metuens Ceſtius noctis propinquitatem, & tenebrarum caliginem, quibus ampliùs fiderent gnari locorum, quò incertos regionis vndique vrgerent, vallum ante vrbem conſtituit, ſequentique die, cùm hoſtem relinqueret, in ſeſe armauit, vt diſceſsionis eius cauſam metum



metum arbitrarentur. Circumfuſi itaq; latrones à lateribus, à tergo, poſtremos cedere, incedentem iaculis exercitũ infeſtare, in cõfertos miſſa telorũ vis haud facilè fruſtrari. Si quis referire audebat, patere vulneri: ſi quis conuertere ſeſe ad infeſtantẽ à ſuis relinqui, ab hoſte claudi. Munitior enim ſemper eſt, qui ſequitur, q̃ qui præcedit: quia hic pect⁹ tegit, ille hoſti terga ſua detegit. Vehemẽter igitur Romani vrgebãtur, tanq̃ obſeſsi, qui obſeſſum venerãt: nec iam ſuſtinere aut perpeti poterãt, armorũ pondere ipſi graues, hoſtibus velocioribus, quos neque conſequi facile erat, & metus ſummus, ne acies interrumperetur: iniqua ergo certaminis conditione nocere hoſti nequibant, cùm ipſi grauiter afficerentur. Hærebat Ceſtius conſilij incertus, cùm per totũ iter ſuos conteri videret: Etiam pleriſq; afflictis militiæ primoribus, ſubſtitit biduo, quaſi feſſos reparaturus. Sed cùm magis ac magis augeri numerũ hoſtiũ cerneret, & omnia in circuitu referta aduerſarijs, ſibiq; officere, ꝙ moraretur, eò ꝙ plures congre-

Munitior qui ſeqtur quàm qui pręcedit.

 garen-

garentur, tertio die compendium quærens tranſitus facilioris, impedimenta agminis admoueri præcepit, cæſa iumēta, pleraque vehicula comminuta, aliaq; huiuſmodi, quę oneri magis quàm vſui in periculis erant, conſumpta, aut præcipitata, vt obſidionum inſtrumenta, aut genera telorum, quibus rebus ampliùs conterrebantur, ne aduerſum ſe hoſtem ſuis ſubſidijs armarent. Quod vbi animaduertêre Iudæi, fugam potiùs à Romanis quàm bellum parari, occupauêre itineris anguſtiora, diffuſioribus locis minùs inſtare, prohibere à fronte, à lateribus coarctare, vrgere à tergo, cogere in præcipitium, in quod vndique cōcluſi, aut lapſi deijciebantur: pleriq; obtexere cœlum iaculis, operire agmen ſagittis, nunquam remiſſo officio, ſed ſola aduerſariorum pernicię: Iam nec ipſi pedites ſubſiſtere poterant. Equitibus verò maius periculum, qui per prærupta ſaxorum ac lubrica labētibus equis deuoluebantur, nec ordinem ſeruare poterant anguſto impediti tramite: Ex altera parte rupes, ex altera parte præcipitia &




tia & fugæ locum, & defenſionis negabant. Iudæi contrà ſpe victoriæ ampliùs accendebantur, imminebant feſsis, inſtabant hærentibus, inſultabant deſperantibus, & propè omnes Romani exercit⁹ deleſſent copias, niſi nox ſubueniſſet: cuius tenebris bellum impeditum, quam Romani in proximo loco (cui Bethorō nomen) egerunt, ita vt Iudæi circunfuſi vndique ſpecularentur locorum exitus, ne Romani dilaberentur. Ceſtius aperto itinere diffidens, dolo fugam tentauit. Quadraginta itaq; elegit viros, quibus euadendi deſperatio contemptum mortis infuderat: eos conſtituit in munitionibus præcepto, vt tota nocte cum ſtrepitu maximo officia prætendentium vallo circunſonarent, ne Iudæis proficiſcentis exercitus apparatus, aliquibus ſolitis indicijs manifeſtaretur: quibus ſeſe ipſi quicunque turbantur, prodere ſolent: ſilentio autem egrederentur vniuerſi, nihil ſuſpectantibus Iudæis: qui ſolennes cuſtodiarum ſtrepitus audirēt, ex quibus omnes in loco manere Romanos arbitrarentur: hac fraude eduxit ex-

ercitum Ceſtius: & iam confecerat ſtadia triginta, vſus paucorum in rebus dubijs fide, qui perituri gratis præſtare ſocijs pericula ſua, quàm perdere malebant. Et quidẽ nox dolũ texerat, ſed dies ꝓdidit. Nã vbi luce diffuſa res aptæ ſunt, & oĩs locus, in quo habitauerant Romani, vacuus apparuit, impetu facto Iudæi in eos primum, quorum ſimulatis officijs decepti fuerant, irruunt, leuique negotio deletis quadraginta viris, exercitum ſequuntur, qui & nocte plurimum ſpatij confecerant, & per diem properantiùs iter vrgebant, ne noctis iam periculis inuoluerẽtur. Plena erat via impedimentorum, quæ fugientes Romani derelinquebãt, ne iniuſto quiſquam ſub faſce remoraretur: paſsim iacebant vaſa vtenſilia, vel etiam bello neceſſaria, arcubaliſtæ, arietes, cæteraque inſtrumenta in excisionem vrbis adducta, quæ ſequentes Iudæi præteribant, ne eſſent moræ: reuertentes colligebant, vt his aduerſum eos vterentur, quorum ſocij dimiſiſſent. Secuti enim vſq; ad vrbem Antipatridẽ, poſteaq̃ prętergreſſũ omnem



omnem offendere exercitum Romanũ, & comprehendendi ſpes lapſa, retorquent veſtigium, captantesque ſpolia cæſorum, cũ triumpho & hymnis Hieroſolymam regrediuntur. Quibus tantum lætitiæ ceſſerat, vt paucis ſuorum amiſsis, quinque millia peditum de exercitu Romano, & trecenti equites extinguerentur. Quod geſtum eſt duodecimo anno imperij Neronis, vt ſuprà memorauimus.

## Caput XVI.

SEd non omnium Iudæorum illa exultatio erat. Nam fuêre, qui ſe poſt illam non pugnam Ceſtij ſed ærumnam quaſi de ſupremo periculo nauigij emergentis eripere geſtirent, atque enatare de ciuitatis naufragio, ac præ cæteris Cuſtobarus & Saulus frater cum Philippo Principe militiæ Regis Agrippæ: hi fugientes ad Ceſtium ſeſe contulêre, petentes, vt ad Neronem in Achaiam dirigerentur. Quod Ceſtius volens accepit, nec poſtulata abnuit, vt per ipſos Cæſar edoceretur, cauſam

cauſam belli Florũ fuiſſe, ſibi vim maximè neceſsitatis bello incubuiſſe, vt inopinata conſpirantium multitudine exercitus circumueniretur: quem magis conſilio Ducis ereptum periculo, quàm implicatum linqueret. Tentaſſe Ceſtiũ excitata in Florum odia ſedare, ſed nequiuiſſe. Itaque incidiſſe bellum, non intuliſſe. Hæc enim mandata erãt, vt commotione omni Cæſaris in Florum excitata, minui circa ſe ſperaret Cæſaris offẽſionem, quam malæ geſtæ rei conſcientia pertimeſcebat. Ita autem pleriq; perterriti ſunt Romani clade exercitus, vt Damaſceni metuentes ſuſpectæ ſocietatis contagia, propter habitationis conſortiũ interficerent Iudęos in gymnaſio congregatòs, qui ſecum vrbem incolebant, quod illi vel ſuſpicione, vel dolo iamdudum procurauerant, vt à gentilibus cœtibus ſegregarentur, ne quid per noctem nouarent, vel vt exitio ſoli paterẽt. Sũmo ſanè myſterio ſilẽtij, vt ne ad vxores quidẽ ſuas conat⁹ iſtiuſmodi tractus mearet. Quoniã ipſę quoq; ex parte maxima Iudęorũ cultibus admiſcebant.

Caput



# Caput XVII.

Anguſto itaque in loco omnes adorſi, peremerũt Iudæorum decẽ millia. Quod facile fuit, vt præuenti ab armatis inermes perirent. Et quidem eius immanitatis exemplum recens, Scythopoli etiam in maius proceſſerat, quo incitatos Damaſcenos reor. Nam cùm Iudæi finitima quæque popularentur, venerunt Scythopolim, atque illic inhabitãtes Iudæos tanta re adorſi, aduerſarios expti ſunt, quos ſibi fidos arbitrabant, quoniam more ingenij humani præpõderatur apud eos ſalutis cura neceſsitudini: in ſecundis igitur conſtituentes tribule collegium, præferunt inhabitantium ſocietatem, tribulibus cladem minantur. Quod ſuſpectũ gentilibus, quia promptioribus ſtudijs odiorum in ſuos executio prætendebatur: ne ſimulationis ſpecie dolus adornaretur, atq; vrbem incautioribus accolis noctu adorirentur, proſtratisq; omnibus gẽtibus apud Iudæos ſibi gratiam reconciliarent: ac per hoc ſi vellent fidem ſuam circa gentiles

tiles probare, cum omni generatione ſua vrbe excederent, vicinumque peteret nemus. Quo facto, per biduum quieuerunt Scythopolitæ, vt portio Iudæorum ſuſpicionem deponeret, indueret ſecuritatem. Tertia nocte cùm iam præſumpta *fides gentilibus remouiſſet ſolicitudinem, incautis & dormientibus vis illata, decem & tribus millibus hominum necatis: quæcunque etiam habuerunt, direpta ſunt.

Alij, fides gratiæ remouiſſet cuſtodiæ, &c,

## Caput XVIII.

Paſsio Simonis acerba.

EXpoſitionem exegit Simonis acerba paſsio, viſu & auditu miſeranda: ſed nouitate rei memorabilis. Is erat in populo Iudæorum, Saule haud ignobili genitus patre, animi audacia præditus, & corporis fortitudine. Quarum vtramque in exitium tribulium ſuorũ exercuit, qui plurimos ex populo aduẽtitio Iudæorum crebro incurſu peremit, ac ſi fortè conſpirati adeſſent, ſolus ſuſtentaret aciem, & conglobatos ſolitus auertere, totius erat nodus ac mora belli: & plerunq; deſperatis rebus conuer-



conuerſio. Exhibeant hanc ciuibus aduerſum ſuos Scytopolitani incolatus militiam: ſed non diutiùs cognato debita ſanguini defuit vindicta. Nanque vbi fracta fides, & Scythopolitæ circumuentis, qui ex compoſito ſe ad nemus contulerant, inſtare bello, atque ingruere cœperunt: Et iam filios ac parentes Simonis deleta multitudine cęterorum, eminùs licet miſsilibus ac telis petebãt. Videns Simon innumerabilem multitudinem facili negotio ſuperiorem, vt diutiùs tolerari nequiret, gladium extraxit, atque in hoſtem conuerſus clamabat dicẽs: Digna Scythopolitæ factis recipio meis, qui cognatorum necem, quam vobis impenderem, beneuolentia teſtificatus ſum, & fratrum ſanguinem vobis obſidem dedi gratiæ, quibus iuſtiùs perfidia tribueretur. Nũc dum alienigenis fidem defero, in domeſticos amiſi: prodidi etiam liberos, parentesq;, quos à vobis tamen necari oportebat, ſi mercedem ſceleris æſtimaretis. Moriar igiť, ſi iratus omnib⁹, nulli amicus, q̃ circũuenerim meos, & proprijs manib⁹ vltionẽ de me

de me priùs expetam, peremi ſocios religionis & fidei cõſortes, recognoſco ſceleris mei debita. Soluam tanto dignum ſacrilegio parricidiũ, vt ea ſit & pro flagitio pœna, & ad virtutẽ gloria: ne quis ſe iactet alius meo vulnere, in me ipſum poſteà conuertetur dextra mea: vt videatur furoris eſſe quòd morior, non imbecillitatis: ne quis inſultet cadẽti, *ſit vindex parricidij clementia, parricidium ſacrilegij. Hæc locutus, conuertit obtutũ in liberos parentesque & indignantibus oculis, cum iam miſericordia mixta iræ ſuccederet, abreptum è medio patrem gladio tranſuerberat, poſt eum mater attrahitur, ne eſſet, qui pro nepotibus interueniret. Offert ſe per ordinem volens vxor, ne tanto deiecta coniuge ſuperuiueret. Occurrunt filij, ne degeneres tanto patre in ipſa morte iudicarentur. Feſtinabat ipſe ictu celeri hoſtẽ perimere. Omni itaque perempta familia, ſtetit in medio funerum ſuorum. Et tanquam triumphans domeſticis paſsionibus, quòd neminem ſuorum alieno gladio vidit perire, eleuauit dextrã, vt omnes

Quidã habebant, ſit iudex parricidij clementia.



nes viderent, ac formidabilem ſibi cunctis ſubijciens mortem, proprio victor ſeſe transfixit mucrone. Memorabilis iuuenis ob egregiam fortitudinem corporis, & animi magnitudinẽ: ſed quia fidẽ alienigenis potiùs, q̃ ſuis detulit, tali dignus exitu fuit.

# EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ VRBIS, HISTORIÆ LIBER III.

## Caput I.

EA poſtq̃ Neroni nuntiata ſunt in Achaiæ partibus ſito, qui tragicorũ carminum meditatione contẽderat, vt de pluribus ſcenicam coronam referret: neſcias, quò magis turpis, vtrũ quòd in ſcenam Imperator prodiret, an quòd ſcenam ſuis flagitijs impleret, qui tur-

turparet Oreſtem canendo, & parricidio repræſentaret, grauis eum inuaſit metus: Non illa ludorum ſimilia, ſed bellorum ſuprema pertimeſcentē, vt aliquando à theatralium voluptatum obſcœnitate & parricidalis amentiæ furore reſipiſceret, atque ad curas Reipublicæ cōuerſus, intra ſe fremeret & deſæuiret, ꝙ incuria Ducis potiùs, quàm virtute aduerſariorum tantam cladem Reſpublicā Romana acceperit. Tentabat quidem ſimulare audaciā, ſed redarguebat timor, & quaſi ſpeciem magnanimitatis prætexere, vt ſupra ærumnam negotiorū mentem haberet: Sed diſtringebatur animi ſolicitudine, quē demendæ ignominiæ belloque conficiendo legeret Ducē. Vrgebant Iudæam vltimæ labis futura excidia, vt Nero Regalem perſonam indueret, & prouidi conſultoris voce, ſalubrē exprimeret ſententiam. Veſpaſianum ſolum eſſe, cui ſumma militiæ Orientis in partibus iure committeretur, virum ab adoleſcentia militiæ triumphalis inueteratum ſtipendijs, qui impacatas Gallias Germanorum tumultu, & ferocia geminæ



geminæ temeritatis in bellum relapſas, pace diuturna cōpoſuerat. Britanniam quoq; inter vndas adhuc latentē Romano imperio armis acquiſiuerat: cuius triumphatę opibus Roma ditior, Claudius cōſultior, Nero fortior æſtimabaẗ. Itaq; quarum gentium bella non viderant, ſubiugatarum trophæa celebrauerant. Sub hoc Duce iterum dico, Nero terribilis erat, Nero metuendus, potens foris, tutus domi: æquatis inter ſe Veſpaſiani fide ac fortitudine. Quātus iſte vir, cuius armis vitia Neronis apud exteras gentes abſcondebantur, vt ludibriū rerū humanarū, & euiratę impuritatis opprobriū, triumphis quoque illuſtraretur. Cùm pręliandū itaq; in vltimis Romani orbis eſſet cōfinijs, Veſpaſianus ex omnibus eligebaẗ. Cū bellū depoſitū foret, Veſpaſianus p̄ cęteris ſociebaẗ, ne vel publicus ſupeſſet hoſtis, vel domeſticus obreperet inſidiator. Dignus ꝙ ſtipēdijs militis regnū præueniret. Docebat fidē, p̄ferebat virtutē. Inuitus miſit hūc Nero, qui ſibi auferebat pręſidiū: ſed artabatur futuris ſcelerū ſuorū pœnis, vt ſe tāto diſſociatū

comitatu Ducis, inermem relinqueret? Nunquàm profectò Galba aſpirandi ad imperium ſtudia vſurpaſſet, niſi Veſpaſianum abſentem comperiſſet. Sed procurauit hoc Deus, vt in Syriam dirigeretur vir, qui & Iudæorum inſolentiam ſupremo gentis excidio, captiuitatisque dedecore labefactaret, & Neronem auxilio deſtitueret: licet nullius virtus, ſtatutis afferre poſsit cæleſtibus impedimentum. Demens tamen Nero cùm Iudæorum bello afflictam Romani exercitus validam manum cognouiſſet, aduerſus Chriſtianos inſurrexit, vt ei debitus finis appropinquaret.

## Caput II.

Nero aduerſus Chriſtianos inſurgit. Simon Magus.

ERant tunc temporis Romæ Petrus & Paulus, doctores Chriſtianorũ, ſublimes operibus, clari magiſterio, qui virtute ſuorum operum Neronem aduerſum fecerant: captum Magi Simonis delinimentis, qui ſibi animum eius cõciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, ſubiectiones gentium, vitæ longæuitatem, ſalutis cuſtodiam feralibus artibus polliceba



pollicebatur, atq; ille credebat, qui vim rerum neſciret examinare. Deniq; ſummum apud eum tenebat amicitiæ locũ: quandoquidem etiam præſulem ſuæ ſalutis, vitæq; cuſtodem arbitrabatur. Sed vbi Petrus eius vanitates & flagitia detexit, & ſpecies illum rerum mentiri, nõ ſolidum aliquid aut verum efficere demonſtrauit, ludibrio habitus, & digno eſt conſumptus mœrore. Et quàmuis in alijs terrarum partibus Petri eſſet expertus potentiam: tamẽ præueniens Romã, auſus eſt iactare, quòd mortuos reſuſcitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adoleſcens nobilis, propinquus Cæſaris, cum vniuerſorum dolore. Admonuêre plerique experiendum, vtrũ poſſet reſuſcitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: ſed apud gentiles nulla facti huiuſmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium, perrectum eſt ad Petrum. Fuêre, qui etiam Simonẽ accerſendum putarẽt: vterq; affuerunt, Ait Petrus Simoni: qui ſe de ſua iactaret potentia, priores ſeſe partes dare: vt ſi poſſet, mortuum reſuſcitaret. Si ille non

De Petro & Paulo.

 reſuſci-

reſuſcitaret, ſe nõ defuturũ, vt Christus opem ferret defuncto, quo poſſet reſurgere. Simon, qui putaret apud vrbẽ gentilium plurimùm ſuas valituras artes, conditionem propoſuit: vt ſi ipſe reſuſcitaſſet mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potentiam (ſic enim appellabatur) laceſſendo iniurias irrogauiſſet: ſin verò præualuiſſet Petrus in Simonem, pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus, adorſus eſt Simon, acceſsit ad lectulum defuncti, incantare atq; immurmurare dira carmina, vt cœpit, viſus eſt caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quòd iam viueret, ꝙ loqueretur cum Simone. Ira & indignatio in Petrum, quòd auſus eſſet conferre ſeſe tantæ poteſtati. Sanctus Apoſtolus popoſcit ſilentiũ, & dixit: Si viuit defunctus, loquatur: ſi reſuſcitatus eſt, ſurgat, ambulet, fabuletur. Phantaſma illud eſſe, non veritatem, quòd videatur caput mouiſſe. Denique ſeparetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id quidẽ oſtentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet ſine ſpecie motus alicuius



ius, qui mortuus erat. Aſtitit Petrus lõgiùs, & intra ſe pauliſper orationi intentus, cum magna voce ait: Adoleſcẽs, ſurge, ſanet te Dominus Ieſus. Et ſtatim ſurrexit adoleſcens, & locutus eſt, & ambulauit, & cibum ſumpſit, & dedit eum Petrus matri ſuæ. Qui cùm rogaretur, vt ab eo non diſcederet, ait: Non derelinquetur ab eo, qui eũ fecit reſurgere, cuius nos ſerui ſumus. Secura eſto mater de filio, non verearis, habet cuſtodem ſuum. Et cùm populus in Simonem inſurgeret, vt lapidaretur, ait Petrus: Satis eſt ad pœnam eius, quòd cognoſcit ſuas artes nihil valere: viuat, & Chriſti regnum creſcere videat vel inuitus. Torquebatur Magus Apoſtoli gloria. Colligit ſeſe, atque omnem excitans carminum ſuorum potentiam, congregat populum, offenſumque ſe dicit à Galilæis, relicturum ſe vrbem, quam tueri ſoleret. Diem ſtatuit, pollicetur volatũ, quo ſupernis ſedibus inueheretur: cui, quando vellet, cœlum pateret. Conſcendit ſtatuto die montem Capitolinum, ac ſe de rupe deijciens, volare cœpit.

Petr⁹ mortuum exuſcitat.

Simon lapidatur.

Simon volitat.

Mirari potiùs & venerari: plerique dicentes Dei eſſe potētiam, non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale feciſſe Chriſtum. Tunc Petrus in medio ſtans, ait: Ieſu Domine, oſtende ei vanas artes ſuas eſſe, ne hac ſpecie popul⁹ iſte, qui crediturus eſt, decipiatur. Decidat Domine, ſic tamen, vt nihil ſe potuiſſe viuens recognoſcat. Et ſtatim in voce Petri, implicatis remigijs alarum, quas ſumpſerat, corruit, nec exanimatus eſt, ſed fracto debilitatoque crure, Aritiam conceſsit, atque ibi mortuus eſt. Quo comperto, deceptum ſe Nero & deſtitutum, dolens tanti caſum amici, ſublatūque ſibi virum vtilem & neceſſariū Reipublicæ, indignatus, quærere cœpit cauſas, quibus Petrum occideret. Et iam tēpus aderat, quo ſancti vocarentur Apoſtoli Petrus & Paulus. Denique dato, vt comprehenderetur precepto, rogabatur Petrus, vt ſeſe aliò conferret. Reſiſtebat ille dicens, nequaquàm ſe facturum, vt tanquàm metu mortis territus cederet, bonū eſſe pro Chriſto pati, qui pro omnibus ſe morti obtuliſſet: non mortem illam

Magna Petri conſtātia.



illam, ſed immortalitatem futuram, tanquàm indignum, vt ipſe fugeret paſsionem ſui corporis, qui multos doctrina ſua compulerit ſe hoſtias pro Chriſto offerre, deberi ſibi ſecundum Domini vocem, vt & ipſe in paſsione ſua Chriſto gloriam atque honorem daret. Hæc & alia Petrus obtexere, ſed plebs lachrymis querens, ne ſe relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium deſtitueret: victus fletibus Petrus, ceſsit: promiſit ſe vrbem egreſſurum. Proxima nocte ſalutatis fratribus, & celebrata oratione, proficiſci ſolus cœpit. Vbi ventū eſt ad portam, videt ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine, quò vadis? Dicit ei Chriſtus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de ſua dictū paſsione, quòd in ea Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur in ſingulis: non vtique corporis dolore, ſed quadam miſericordiæ compaſsione, aut gloriæ celebritate. Et conuerſus in vrbem redit, captusque à perſecutoribus, cruci adiudicatus, popoſcit, vt inuerſis veſtigijs cruci affigeretur, quòd indignus eſſet, qui ſimili

Chriſt⁹ occurrit Petro vrbem egreſſuro.

Petrus inuerſis veſtigijs crucifigitur.

ſimili modo crucifigeretur, vt paſſus eſt Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Chriſtus prædixerat, vel quia perſecutor non inuitus indulget pœnarum incremēta, & ipſe & Paulus, alter cruce, alter gladio necatus eſt.

Petrus cru ce, Paulus gladio ne cati ſunt.

## Caput III.

SEd vt ad propoſitum redeamus, turbatus graui nuntio Nero, rebus in Iudæa minùs proſperè geſtis, Veſpaſianum expertū virum belli, omni militię, quæ in Syria erat, præfecit. Ille properè, neque differendi tempus dabatur, miſſo Alexādriā filio Tito, vt inde militū, qui prætendebant partem aliquam deduceret, ipſe transmiſſo Helleſpontiaco freto, pedes in Syriam contendit. Intereà Iudæi rebus elati ſecundis, Principes militiæ bello legunt. Diſtribuunt loca, quibus quiſque præeſſet, quæ munia ſinguli, quos ordines, quid muneris exequerentur, Ioſephum Curione genitū, & Ananum Principē Sacerdotum, Hieroſolymitanæ vrbis negotijs, & præcipuè inſtaurandis muris præficiunt. Ardebat



debat Eleazarus Simonis aliquid ſibi publicorum committi munerum. Et licet omnem prædam, quam de Romano exercitu ceperāt, ſub poteſtatem ſuam redegiſſet, ditem præſertim atque opimā auaritia Ceſtij, atque immodicis rapinis coaceruatam, tamen parandæ magis ſibi potentiæ intentum, quàm communi vſui pronum arbitrati, declinandum æſtimauêre. Sed paulatim ambiendo ſingulos, dando & largiendo efficit, vt rerū omnium ſumma eius arbitrio committeretur: Idumæam quoque Ieſus vnus de Sacerdotibus, & Eleazarus Sacerdotis filius militiæ prępoſiti, tuendam receperunt. Principi tamen totius Idumææ Nigro de ſummis rebus pręrogatiuam omnem reſeruantes, Ioſepho Simonis Hiericho obuenit. Manaſſe Petræa regio commiſſa, trans Euphratem ſita. Cui ab eo inditum nomen, quòd Euphrates, ad eam partem pergentibus tranſmitteretur Iohannes Eſſæus, alius quoque Iohannes Ananiæ filius, cęteríque aduerſis attributi partibus, quas ſua tuerētur ſolicitudine. Itaq; ſinguli cōmiſſa ſibi

ſibi munia non deſerere, inſtruere muros, manum legere bellatoriam: ex quibus Ioſephus in Galilæam deſcendens, munire caſtella, inſtaurare propugnacula, validiſsimos quoſque, & bello promptiſsimos aſciſcere ſibi impigrè curabat: prohibere latrocinia, prætendere quotidie in caſtris, militem Romanę militię more exercitare, diuidere ordines, diſtribuere Cēturiones, plurimos præficere, quò faciliùs diſciplina ab omnibus exigeretur: ne quiſquam lateret, quicunq; propria munia dereliquiſſet. Inſtituebat etiam, vt agnoſcerēt inſtitutiones tubarum, & repreſsiones, ſequerentur ordinem, aciem dirigerent, clypeos intexerent, vt murali vice, ſi fortè magna hoſtiū vis ingrueret, ſeſe aduerſum incurſantes defenſarent, ſubuenire laborantibus, feſsis compati, pericula aliorum in ſe transfundere, nec ſolùm belli artes ad inſtar Romanæ docere militiæ, ſed etiam ante bellum, qui ampliùs bellantes iuuarent, denunciare, vt miles cibū ſibi & arma portaret, vallo & foſſa ſeſe muniret, caſtriſq; ponendis pręueniret hoſtē, obtempe-

Nota ordinem, quē Ioſephus poſuit.



obtemperaret pręceptis, furto ac rapinis abſtinere aſſueſceret, lucrum proprium putaret, ſi nihil diſpendij ruralibus cultoribus irrogaretur. Quid enim diſtet ab hoſtibus, ſi ipſe hoſtili modo auferat? niſi quod grauius eſt, ſua quàm aliena inceſſere, & ſocios, quàm aduerſarios ſpoliare. Plurimùm valere in bello bonā conſcientiam, eò quòd ampliùs de diuino auxilio præſumeret, qui ſe nulli affinem crimini recognoſceret. Sed his rebus citiùs ſibi apud improbos expertus eſt nocuiſſe inuidiam, quàm apud bonos profuiſſe gratiam. Nam cùm ad LX. millia peditum, paucisſimos equitum congregauiſſet: eos verò, qui bella mercede tractarent ad quatuor millia viros, ſexcentos quoq; electos cuſtodes ſui corporis, tanta à Iudæis pertulit, vt plus ante bellum à ſuis, quàm in ipſo à Romanis perhorreſceret. Omitto quidem ſeditionis excitatū: quia latrocinio erepta reddere his, qui amiſerāt, ſuſpectabatur: ac maximè Agrippæ & Beronicæ, quibus redibenda iuſtè forēt, ne Regem facerēt infeſtiorem. Et tamen ille, quò populi molliret

Grauiꝰ eſt ſua ꝙ aliena inceſſere.

Bona conſcientia in bello valet pluſimum.

mollirèt impetum, ad conſtructionē potiùs murorum, quàm ad Dominorū indemnitatem ſeruatā pecuniam: Omniaq; ille aiebat, quæ erepta Ptolemæo, forent, qui Regium aurum, veſtes, cæteraque munera portauiſſet, æſtimare debere Tharicheatas: apud eos enim res gerebatur, vtrum id inſtaurationi ſuorū murorum reſeruandum putarent, an diripiendum latronibus depromeretur. Indignum certè videri, vt eò pœnam exciperet, quia meliùs conſuluiſſet. Itaque conuerſis illis in ſui gratiam, inuidiam ſimul & periculum euaſit. Iterum cùm gratiam Regis Agrippæ Tiberias ſocietatemque depoſceret, proripiens ſe Ioſephus de memorata vrbe, Tharicheatarū clauſit portas, ne quis nūtius ad vrbem Tiberiadem pergeret, & deeſſe Ioſepho auxilia militaria ſignificaret. Ipſe autē congregauit de lacu nauigia piſcatoria, quæ in tempore potuit inueſtigare, & Tiberiadem remigijs petijt. Sed vbi ad eum locum venit, in quo cōſpicua quidem in vrbe poſitis foret ſpecies nauigiorum, deprehendi tamen nequiret, vtrū

eſſent


eſſent vacua præliatorū: iuſsit ea diſpgi per totū ſpaciū lacus, vt maior numerus æſtimaret: ne qſquā vacua potiùs, q̄ referta bellatoribus æſtimaret. Quo territi, qꝫ aduerſus tantā multitudinē infirmos ſeſe arbitrarent, ꝓiecerūt arma, portisq; reſeratis, effuderūt ſe ſupplices Ioſepho, qui veluti Dux agminis militaris ꝓpiùs acceſſerat. Quęſitū, qua tandē veſania diſceſsionē animis induiſſent, qbus autoribus impulſi ſeſe aduerſarijs traditurí forent, & ſimul occurrentes ſibi iubebat gubernatorib⁹, vt Taricheas deduceret, atq; illic trecētos fermè curiales pleroſque in vincula de plebe rapit. Clytum quoq; eius facinoris accerſitū Principē, manibus amputatis pœnas luere iubet, atq; illo rogante, vt vna ſaltē ſibi manus relinqueret, ꝑcepit Ioſephus, vt ipſe ſibi, quā vellet, demeret. Tū ille arripiens dextra gladiū, lęuā abſcidit. Ita recepta Tiberias eſt. Sed etiā Sephoris tētata diſceſſione, Ioſephi tamen viuacitate inter Iudæorum vrbes ſocias attinebatur. Tranquillioribus enim concilijs ſua defendere, quàm aliena incurſare malebat.

Clyt⁹ ſibi ipſi lęuam abſcidit.

Caput

## Caput IIII.

Omne ęs, q̄d erat in Iudęa, publicum.

AT verò Petates Niger, & Babylonius Sylas, & Iohannes Eſſæus, *omne quod erat in Iudæa pubis validæ congregantes, Aſcalonem petunt, amplam quidem & muris ſubnixam validis vrbem, ſed opis ſubſidijque indigã, quæ ſeptingentis viginti ſtadijs ab Hieroſolymitana vrbe diſcernebatur, & odijs indigentibus. Propterea Iudæi inimicã ſibi vrbem diruere cupientes, collecta manu inuolauêre. Præerat vrbi Antonius minore numero Romani exercitus, quàm quò reſiſti poſſe Iudæis æſtimaretur. Sed vir acrioris ingenij, & ex æquo prudens bellator, diffuſos & numero magis quàm virtute fidentes, eductis equitibus tranſire ad vrbem ſinit: deinde incurſat progreſſos, fatigat ſequentes, conſertos diſsipat, turbatos fugat, totoque campo inſectatur palantes: alij verſa vice vrgentur ad muros, intercluſa fugæ copia, alij diuerſa petunt, ſed circumuenti ab equitibus obtruncantur. Multi ſupra ſe ruunt, & ſe inuicem impetu ſuo



ſuo ſternunt, itaque vſque ad veſperum cæſi, amiſere ex ſuis decem millia virorum, Iohanne & Syla ducibus pariter extinctis. Pauci autem Romanorum eo vulnerati prælio: nec tamen repreſſa eſt Iudæorum temeritas, ſed incanduit: nã dolor audaciam accendit, & labes vlciſcendi cupidinem. Armantur itaq; maiore longe furore, necdum ſauciorum ſanatis vulneribus, & congregatis pluribus quàm vice priore irruunt, ſed eos diſpoſitis inſidijs exceptos, priuſquam in manus venirent, clauſit circunfuſo equitatu Antonius, & circumuentos præcepit ſterni: cæſi iterum nouem millia, reliqui fugati. Niger ipſe elapſus in munimentum ſe contulit. Turris erat ſepta vndique valido ſaxo, quam Romani, quia excidere non poterant, appoſitis ignibus circundedêre. Ea incenſa in ſpelæum quoddam de turre trãſgreſſus, hoſtem latuit, ignem euaſit: Romanisq; ſecuris, quòd ipſe ſimul incendio conſumptus foret, poſt tertium diem quærẽtibus ſuis corpus eius, ad ſepulturam viuens, & vigens redditur. Atque ita cũ

magno gaudio Iudæis ſeruatus, ab hoſte repræſentatur.

## Caput V.

VEſpaſianus intereà ſuperato Helleſponto, Bythiniam Ciliciamque tranſmittens, vbi Syriã attigit, legiones cæteraſque militares copias, quas in ea reperit, Antiochiam deduxit. Vrbs ea Syriæ ſine retractatione prima, ideoq; metropolis habetur: condita ab his, qui Alexandro Magno bellanti adhæſere, cõditoris ſui nuncupata vocabulo. Situs vrbis porrectus in immenſam longitudinem: in alto anguſtior, quia prærupto montis à læua arctat, vt extendi vlteriùs metandæ vrbis ſpatia nequirent. Neceſſitas locum ſignauit, quia per occulta & deuia irrumpentibus Parthis, mons celſior latibulum daret, ex quo ſe inopinato aduentu & promptiore impetu in imparatam Syriam effunderent: niſi ciuitas monti velut clauſtrum obiaceret, exituſq; obſtrueret aduenĩetibus, vt ſi quis Barbarorum aſcenderet, ſtatim è medio

Antiochia Metropolis Syriæ.


medio vrbis ſinu ꝓſpectaretur. Deniq; cùm ludi ſcenici in ea celebrarentur vrbe, ferũt quendam autorem mimorum eleuatis oculis ad montem Perſas vidiſſe aduenientes, & dixiſſe continuò: Aut ſomnium video, aut magnum periculũ: Ecce Perſæ. Ita mons vrbi præeminet, vt nec theatri altitudo ad proſpiciendum montem impedimento ſit. Fluuius eam medius interſecat, qui à Solis ortu oriens, non longè ab vrbe in mare conditur: quem de originis ſuæ tractu Orientem veteres appellauêre, vt vulgò putetur locis nomen dediſſe, cùm inde acceperit. Cuius fluentis ipſo impetu, frigidioribus & Zephyris aſsiduo per ea locorum ſpirantibus, tota ciuitas momentis propè omnibus refrigeratur, vt orientis in partibus Orientem abſcondat. Intus dulces aquæ, foris finitimum nemus intextum cupreſsis crebris, fontes aquis huberes, Daphnem vocant, quòd nunquã deponat viriditatem: frequens & lætior populus, vt pleraq; oriẽtis, facetiorq; ꝓpè omnibus, ſed ꝓpitior laſciuię. Vrbs tertio loco antè ex omnibus, q̃ in orbe

Alij propior.

orbe Romano ſunt ciuitatib⁹ æſtimata; nunc quartò poſtquam Conſtantinopolis excreuit ciuitas Byzantiorum, Perſarum quondam caput nunc repulſorũ: prima enim Roma, ſecunda Alexãdria, tertia Antiochia, quarta Conſtantinopolis. De ſitu vrbis ſatis dictum puto. Neque enim deſcribendis eius ædificijs immorandum videtur, cuius à tergo cũ Orientem dixerim, ſatis liquet à leua ad Meridiem iacere, à fronte Europam occurrere, in dextra ſeptentrionales gentes degere: Caſpiaque regna haberi, quæ antè promptiſsima ad incurſandam Syriam erant. Sed poſtquam Alexander Magnus Caſpiam portam Tauri montis prærupto impoſuit, atque omne interioribus gentibus intercluſit iter, memoratam vrbem quietam reddidit, niſi fortè motus Perſicos ſuſpectantem. In ea vrbe Agrippa Rex cum omni virtute ſua expectabat Veſpaſianum aduenientem, nec diutius eò morante, comitatui adhæſit: coniuncto itinere Ptolemaidẽ petere cœperunt. Ad eam vrbem occurrêre inhabitãtes Sephorim, pacem cum

Ceſentio


Ceſentio Gallo iamdudum initam, firmari à Veſpaſiano petentes. Quorũ laudata prudentia, quòd ſaluti propriæ cõſuluerint non laceſſendo Romanos, atque accepta fide, & in amicitiam recepit eos, & additis peditum equeſtribusque auxilijs, fouit ſecuritate, ne fortè deſtitutionis commoti dolore, inſurgerent in eos belli excitatores: cùm velut clauſtrũ quoddam Iudeæ, Sephoritanis ſeſe Romano imperio offerentibus reſolueret, vt in eam peruiũ iter hoſti pateret, quæ ad cuſtodiam totius gentis opportuno quodam in hoſtem obiectu occurreret. Erat enim præter opinionem loci munitioris etiam vrbs Galilææ maxima, quæ res admonuit, vt cùm duæ ſint Galileæ, vna ſuperior, altera inferior connexæ & coniunctæ ſibi, alteram ab altera diſtinguamus. Sed priùs de vtraque dicendũ.

De duab⁹ Galilæis.

## Caput VI.

VTrique Galileæ Syria & Phœnice adhærent, diſterminantque eam à Solis occaſu Ptolomais territorij ſui finibus, & mons Carmelus, qui erat antè

 Galilæis,

Galilæis, nũc verò Tyriorũ finibus aſſociatus, cui connectit Gabaa ciuitas, quę quondã Iudæis cauſa grauis exitij fuit: ab Oriẽte eã Hyppenę & Gadara ſuis finibus reſecant. Eadẽ autẽ & Gaulanitidi regioni & regno Agrippę confinia, pſcripta veteri æuo fuêre: à meridiano latere Scythopolis & Samaria ſuis vtraq; excipiunt regionibus, nec vltra fluẽta Iordanis patiunt extendi. Septẽtrionalia eius à dextro latere Tyrus claudit, omniſque regio Tyriorum, cuius obiectu Galilææ ſpatia definiuntur. Ipſę autem inter ſeſe hoc diſtinguuntur modo, vt quæ inferior Galilæa dicitur, ab vrbe Tyberiade vſque ad vrbem, cui nomen Zabulon, ſupra maritima Ptolemaidis extenta longitudine diffundatur. Latitudo autem eius à vico Zaloth, qui eſt in campo maximo, vſque ad Berſaben haud dubiè deducitur. Vnde etiam ſuperiori Galilęæ aperitur exordium, quo ad vici Bathatę fines attingat. Ipſo autem vico etiam Tyriæ terræ fines determinantur, longitudinis quoq; eius initium vicus eſt Thalla, finis eſt Rothala Iordani finitimus. Hinc

Alii Ioppẽ

Deſcriptio Galilęæ.



Hinc intelligi datur, quantum ſe porrigant ſpatia Galilęæ ſuperioris, cuius initium Iordanis eſt, vel eius confinia. Hac igitur ſuæ magnitudinis æſtimatione vtraque Galilæa diſtinguitur. Terra autem pinguis, herboſa, diuerſo culturæ genere nitens, diſtincta arboribus, vt quemuis alliciat ad ſui gratiam, & fugitantem labores ad ſtudia culturæ inuitet atque excitet. Denique nulla illic vel exigua terræ portio vacat, frequentatur pleriſque inhabitantibus: crebræ vrbes, vici frequẽtes, multitudo hominum innumerabilis, vt exiguus vicus in ſuo tractu habeat viginti millia inhabitãtium. Circumfuſis quoque nationibus alienigenis vtraque Galilæa circundatur, & ideo genus hominum bellicoſum, à prima ætate exercitũ pręliaribus tentamentis, abũdans numero, audacia promptũ, atq; ad oẽs belli artes paratũ. Præſtat tamẽ magnitudine Pærea regio, quæ vnde vocabulũ acceperit, ſuprà diximus. Maior hæc, ſed vtilior Galilęa, quia tota exercet, nec vlla pars ei⁹ fructib⁹ infœcũda eſt: ſed vniuerſa terra ei⁹ opima & ferax.

Maior Peræa, vilior Galilęa.

Peræa autem diffuſior, ſed ex maiore parte deſerta ac rigida, quę manſueſcere arando neſciat, nec aſperiores facilis ſuccos domare. Sed rurſus portio eius mollis ad cultum, fertilis ad vſum, grata ad aſpectum, mitis ad exercitium, inſitiuis vtilis pomis, omnia ferens, vt campos eius diſtinctæ in fronte prætexant arbores, in medio venuſtent: & plerunque à nimio ſole vel frigore defendant ſata: maximeque olea veſtitus ager, aut vitibus intextus, aut palmis inſignitus. Inenarrabile, quanto decori ſit, cùm vento impulſi palmarum ordines concrepant, & ſuauiores ſolito funduntur dactilorum odores. Nec mirum ſi omnis illic gratia viriditatis eſt, vbi amœnis fluuiorum meatibus, ex ſuperiore decurrentium iugo montium, ſuperfuſus ager rigatur, & niueis fontibus ſcatens poſsideatur cũ inuidia, deſideretur cum gratia. Longitudo eius à Macherunte vſque ad Pellam, id eſt, à latere meridiano vſque in ſeptentrionem. Latitudo autem à Philadelphia vſque ad flumen Iordanem, hoc eſt, ab ortu Solis vrbe Arabię, protexitur.



xitur. In occaſum autem vſque ad Iordanem flumine extendi manifeſtatur. Samaritana quoque regio inter Iudæam atque Galilæam media iacet: incipiens à vico, cui nomen Eleas, deficiens in terra Acrabathenorum natura conſimili, nec vllo differens à Iudæa. Vtraq; enim montoſa atque campeſtris eſt, pro locorum diuerſitate, neque tota campis diffunditur, neque in locis omnibus montium rupibus ſcinditur, ſed vtriuſque qualitatis habet gratiam, ad exercitium culturæ ſolubilis terra, & mollior, eoque frumentis vtilis, & propè circa fertilitatem ſoli nulli ſecunda, maturitate certè fructuum prior omnibus. Nam cùm adhuc alibi ſerantur frumenta, iſtic metuntur. Species quoque atque ipſa frumenti natura haud vſquam præſtantior habetur. Aqua dulcis, decora ad ſpeciem, ſuauis ad potum, vt ſecundum elementorum gratiã, æſtimauerint Iudæi eã promiſſã patribus terram fluentem lac & mel, cũ ſpoponderit illis reſurrectionis prærogatiuam. Et vtrunque quidem diuina pietas contulerat, ſi fidem ſeruaſſent: ſed

Samaritanę regionis deſcriptio.

 infide-

infidelibus animis vtrũq; ereptũ:Hîc iu go captiuitatis:Illic vinculo peccati.Nemoroſa regio,& ideo diues pecoris,& abundãs lactis.Deniq; nuſquã ſic lacte diſtẽta pec⁹ hubera gerit. Poma ſylueſtria vel inſitiua ſuper omniũ regionũ copias. Referta aũt vtraq; vel Iudęa vel Samaria hominũ multitudine,vt mihi videantur hinc illud interpretati Iudęi, quod ſcriptũ eſt:quia nulla erat in his locis ſterilis & infœcũda,cũ hoc lex de meritorũ fœcũditate præſcripſerit,& virtutũ fertilitate.Principiũ Samarię de Arabię finibus à vico,cui nomẽ Iordani, finis ad aquilonẽ vico Borceo.Latitudo aũt Iudęę à fluuio Iordane vſq; Ioppẽ.Incipit enim à fontibus Iordanis, & à mõte Lybano, & vſq; ad Tyberiadis lacum dilatatur. A vico quoq; Artha initium longitudinis eius, quæ vſq; ad vicum extenditur Iuliadem, in quo Iudæorum pariter & Tyriorum communis habitatio.In medio autem Iudææ ciuitas Hieroſolyma, quaſi vmbilicus regionis totius,vt prudentibus placuit, nuncupatur: abundãs regio mediterraneis copijs,nec fraudata mariti-


maritimis, quia prætendit vſque ad Ptolemaidem, & totum illud mare prætexit littoribus ſuis. Multæ vrbes, ſed inter omnes Hieroſolyma eminet:ita vt quaſi caput in corpore non obumbret ſua membra,ſed regat,atque eis tuitioni ſit, & pulchritudini. De Iudæa itaque & finitimis regionibus, opportuno licet compendio,ea quæ ſignificanda fuerãt, non prætermiſimus. Hieroſolyma caput Iudęę.

## Caput VII.

SEphoritani quoq; & tributa & ſubſidia militaria regiones finitimas incurſabant, autoritatem latrocinandi liberã ſibi belli ſpecie vendicantes, quod imperio Romano à Iudæis inferebatur. Vnde Ioſephus acceptæ acerbitatis iniuriam vlciſci geſtiens, irruere in vrbem Sephorim, ſociato ſibi plurimorum numero contendit, vt eos aut reuocaret in ſocietatem Iudææ, aut reſiſtentes ſupremo (ſi poſſet) excidio labefactaret. Sed vtriuſque conatus effectu excidit: quia nec diſſuadere potuit Romanæ coniunctionis electionem, nec

nec vrbem euertere, quam ipſe talibus munimentis firmauerat, vt à Romanis quoq; longè præſtantioribus expugnari nequiret. Cecinit itaque claſsicum, tentata irruptione ſine vllo profectu, atque in totam regionem bellum excitauit. Vaſtabant omnia, die noctuq; exurentes ædificia, diripientes patrimonia, perimentes, quoſcunque bello habiles comprehendiſſent, infirmos ſeruituti ſubijciẽtes. Repleta erat Galilæa omnis incendio, ſanguine, latrocinio, nullius immunis miſeriæ, & deformi rerũ omnium ſpecie, cùm ſi quid igni aut neci ſuperfuiſſet, captiuitati reſeruaretur. Cuius mali illa, quæ paulò antè acerbiora æſtimata ſunt, præferebantur.

## Caput VIII.

Titus Veſpaſianuſque atrox & memorabile cœperunt bellum.

HAec prælusio quædam belli facta, antequàm Titus veniret, qui ſimul ex Achaia Alexandriam tranſmiſit, perductis militib' ſecundũ mandatũ patris, ad vrbẽ occurrit Ptolemaidẽ, ibiq; connexis ordinibus quinto & decimo, addito etiam quintodecimo, qui erant præcellentiſsimi, congregatoque vel Romano, vel ſociorum exercitu, atrox, & memorabile bellum cœptarunt. Nam vbi primis initijs placido Duci proſperè geſtis, ſecunda in aduerſum ceſſere, profectus infenſior Veſpaſianus cum filio de Ptolemaidis finibus, in Galilæam ſeſe immerſit: Cognitoq; quòd pacem abnuerent, quibus obtulerat condemnandæ diſſenſionis copiam, ſi ſibi conſulẽdum putarent, Gadaram funditùs euertit, vacuam bellatoribus offendens, quòd omnes validiores diffidentes infirmioribus munimentis, ad munitiora ſeſe contulerant. Repertis itaq; non pepercit, ſed omnes necari iuſsit, nulla ętatis contemplatione, nulla infirmitatis miſericordia, quod non tam iure belli, quàm Ceſtianæ pugnæ dolore, & effuſis in Iudæos exequebatur. Deniq; nõ ſolùm vrbem, ſed etiã vicos & municipia exuri præcepit. Nec iniuſta erat cõmotio: quia poſt tantam inſolentiam emendandi erroris facultatem dederat, nec obtemperatum. Tranſierat ex ea vrbe Ioſephus in Tiberiadem, priuſquàm Romanus exercitus appro-

appropinquaret: ſed plus formidinis ex fuga, quàm fiduciæ dederat ex pręſentia: hoc ipſo enim territi ſunt, quòd bello aduerſus Romanos gerendo imparem ſe Ioſephus arbitrabatur. Neque verò aliundè præſumpſit, niſi fortè Iudæi ſtudia belli deponerent. Ea erat illi prior ſententia: Si bellum eligerent, malle ſe ſubeũdo periculo fidem ciuibus, quàm declinando præſtare proditorem. Nihil enim magis cauere, quàm ne commiſſũ ipſum ſibi honorem militiæ turparet. Itaq; ſcripſit ad vrbem Hieroſolymam bellum incubuiſſe, propereque reſcriberent pacem an prælium mallent, conſulendum maturè. Hæc ſtrictim ſignificauit, nihil propenſe in alteram partem, ne aut bellator meticuloſus, aut pertinax rebellio iudicaretur.

## Caput IX.

RVrſus de vrbe Tiberiade Iotapatam petit, ſiue quòd munitior cæteris eſſet, & propterea in eandem plurimi ſe contuliſſent bello promptiores: ſiue quòd eò Veſpaſianus pleroſq; ex ſuis



ex ſuis direxerat, qui muniret iter, quod per montes difficile ſaxoſumque, aſperum peditibus, equitibus autẽ inuium atque inſuperabile foret. Denique diebus quatuor, ne anguſtiæ officerent, reſerata ſunt viarum ſtrata: compoſitum iter, quò faciliùs omnis exercitus tranſmitteretur. Quinto die tranſiuit eò Ioſephus, deiectosque Iudæorum animos erexit. Veſpaſiano quoque vbi factum indicium eò Ioſephum commeaſſe, incentiuũ celerãdi itineris acceſsit, quòd conficiendi belli compendium putaret, ſi Dux & populus bello promptior interciperetur. Aduenit itaque cum exercitu, & primo die curãdis cibo militibus, ne ex itinere fatigatos cura belli inceſſeret, tempus dedit. Sequenti die duplici acie vallauit vrbem, & tertio equeſtri ordine. Quod videntes Iudæi incluſos ſe, & obſeſſos vndique, nec vllum refugij locum, ipſa deſperatione audaciam ſumpſere. Nulla enim res promptiorem bello militem reddit, quàm neceſsitas præliandi, & præruptum periculum. Vrgebat Veſpaſianus iaculis, vrgebat

Neceſsitas pręliandi promptiores bello reddit milites.

vrgebat ſagittis, miſsilibus quoque plurimi Iudæorum vltra muros progreſsi, deſtinata feriendi arte vulnerabantur, manebant tamen impauidi. Tentabat omnia virtus Romana, & maximè vbi infirmiora aduerterat murorum ſubſidia, illic maiore incumbebat manu: Pudor hos, illos armabat ſpes vltima, ferro ſibi aperire viam ſalutis deſiderantes: Grauia tolerabãt Iudęi, nec minora referebant tentamenta audaciæ. Peritia à Romanis cum virtute, furor à Iudæis cũ temeritate certabat. Feſsis itaq; tota die illis pro ſalute, iſtis pro triumpho dimicantibus, nox prælium ſoluit. Sequenti quoque die & tertio quartoque conſimiliter, & quinto præliatum acriter: ſed vt ſolet fieri in talibus prælijs, plura vulnera quàm neces inferebantur, licet ſæpè & excurſus à Iudæis, & Romanis tentarentur eruptiones, quos in iram accẽdebat pudor, eò quòd victores Annibalis & Antiochi, omniumque gentium, Iudaicis prælijs immorabantur. Tanta erat Romanæ virtutis conſtantia, vt nõ citò vincere pars victi æſtimaretur: ſed aduerſus


aduerſus naturam magis erant illis, q̃ in hoſtẽ certamina. Nam ciuitas præruptis vndique propè erat intercluſa rupibus, non vallo & foſſa, vt aliæ vrbes, ſed profundis erat circumuallata præcipitijs, quæ nec viſus hominum comprehenderet, nec vſus inueſtigaret, & horror ſolicitus intuentem magis magisque inuolueret: tantum ab aquilone in montis de ſectu vnus ad vrbem acceſſus, arduo tamẽ aſcenſu ſuppetebat. Quem Ioſephus muro interclusit, propugnatoribus ſepſit, vt inter murum inferiorem, & vrbẽ ſuperiorem periculoſa eruptio fieret ob ſidentibus, & intuenti eſſet inæſtimabilis cognitio ſuperiorum. Ciuitas enim ipſa in mõtis ſupercilio ſita, in circuitu finitimorum montium velut quodam naturali vallo circundabatur, ſepro genitali abſcondita, vt nemo priùs illic vrbem eſſe intelligat, quàm in vrbẽ ipſam fuerit ingreſſus.

## Caput X.

VEſpaſianus cùm vincere naturam nequiret, eam ſibi ipſe in adiumẽ-

tum accerſiuit, vt obſidione diuturna per inopiam cibi & potus cogeret obſeſſos ad deditionem: ſed frumenti copia, multò antè congeſta, propulſabat periculum famis. Aquæ erat difficultas maxima, quia neque vllus in vrbe fons, & ſolennis ſiccitas raris per ea locorum imbribus bibendi ſubſidium attenuauerat. Ductus omnes aquarum obſtruxerat, ne in vrbem mearent. Augebat inopia auiditatem, repugnabat natura. Cõmentum Ioſephus detulit, vt infuſæ veſtes muro ſuſpẽderentur, quò paulatim rorantibus, aquis crederetur illis non deeſſe ad potum, quòd abundaret ad lauacrum veſtimentorum.

## Caput XI.

DEiectus eo Veſpaſianus, rurſus ad expugnandam vrbem accenditur, atque omnem exercitum circa congregat: machinis murum quatit, pulſat aries. Nomen hoc ſpecies dedit, eò quòd validę ac nodoſæ arboris caput ferro veſtitur, & quòd vt frons arietis prætenditur, quæ obductis laminis turgeſcit, & promi-



net: è medio eius quaſi cornu procedit ferri ſolidioris. Magnitudo arboris in modum mali naualis, quam non ventorum procella, nõ velorum ſinus flectãt. Ea ſuſpenſa funibus ad ſuperiora atque robuſta arborum nexis, multorum manu validè in murum impellebatur. Deinde retrorſum ducta, atque in ſtateræ modum ſuſtentata retinaculis, maiore impetu deſtinabatur, vt crebris ictibus fatigatum muri latus cederet, cauatumque vi rupturis feneſtram daret, qua Romanis hoſtibus via in interiora vrbis pateret. Primo igitur ictu murus concuſſus eſt, contremuitque omnis. Clamor ilicò vniuerſorum, quaſi expugnata vrbe trepidantiũ, ne repercuſſus murus fatiſceret. Sed Ioſephus ſaccos paleis repletos, in eum dimitti locum præcepit, in quem aries à Romanis intorquebatur, vt laxo ſaccorum ſinu luſa plaga omnis arietis emolliretur. Illiſa enim ſolidis ſolida nocent, ſolutioribus euacuantur. Denique faciliùs ſolidiora mollioribus cedunt, quàm molliora ſolidioribus. Nã & *Solida ſolidis illiſa nocent.*

 aquæ

aquæ alluuione ſcopuli ſoluuntur, nec ruina rupis vllum eſt damnum aquarũ, & iactis in freta molibus, aquã ſuos vſus reſeruat: ſed petra inter vndas reſeruare ſuos neſcit. Arenã quoq; marmoris ruina non frangit, & marmor arenæ ruina comminuitur. Retulerunt tamen etiam Romani, quò commenta refellerent Iudæorum, contis falces ligantes, quibus dimiſſos inciderent ſaccos, quo vacuati paleis euitare arietis ictum nequirent. Reparato itaq; impulſu machinæ, cùm ſe Iudæi vrgeri viderent, vnus ex his Eleazarus ingentis magnitudinis ſaxũ eleuans, de muro ſuper arietem eliſit tanta vi, vt comminueret caput machinamẽti. Exiliens quoque in medium hoſtiũ, rapuit illud, atq; in murum ferebat intrepidus in conſpectu aduerſariorum, & patens vulneri. Denique iaculis quinq; figitur, ſed nequaq̃ conuerſus ad vulnera, quomodo ipſe ſaxi ruina hoſtem inuolueret, intendebat. Aſcendit itaque murum, & victor doloris ſtetit conſpicuus tantæ præſumptionis, ac ſuper arietem ſe ſaxumq; deiecit, & cum eo corruit.



Victus quidem morte, ſed victor machinamenti, cùm * in ſe ſolus diſceſſerit patriæ: in machinamenti autem communitione, totã vrbem ab excidio ſeruauerit. Netyras quoque & Philippus in medium ſe iecêre agmen, vt auerterent, quos petierãt. Ioſephus autem ignibus iactis, vt machinamenta omnia exureret, breui conſumpſit plurima, ſed conſumpta reparabantur.

*Fortè legẽdum, ipſe.*

## Caput XII.

*Veſpaſianº in talo vulneratur.*

INſtabat Veſpaſianus, vrgebat ita, vt in talo feriretur iaculo ſagittæ: Turbati ſunt Romani, cùm ſanguinem Ducis fluere cerneret. Exagitatus filius, cucurrit ad patrem. Sed ille ſupra vim vulneris virtutem gerens animi, prohibet trepidare filium, magiſque in prælium accendit milites, , vt iniuriam Ducis vlciſcerentur. Ipſe ſignifer reuocabat exercitum, & ad muros cogebat. Ipſe in bellum cæteros adhortabatur, alij ſagittis, alij telis, alij baliſtis hoſtem vrgebant. Tanta autem erat huius tormenti vis, quo ſaxa in hoſtem iaciebantur, vt per-

cuſſus vnus ex ſocijs Ioſephi, qui propter aſtaret, comminuto capite rueret, & occipitium eius vſq; ad tertiũ ſtadiũ excuteretur: mulier quoq; aluo grauis percuſſa vterum, ſupra dimidiũ ſtadij de intima ſede ſecreti genitalis, excuteret infantem. Ad poſtremũ tamẽ, victor cũ muro Romanus miles ſuccederet, & in ipſo aditu vtrinque valida manu decertaretur: ſicut erãt conferti, oleo ferueti, Ioſeph⁹ perfundi Romanos iubet, quod facilè à vertice ad ima defluebat veſtigia. Nec minor incendio flammæ candẽtis, olei feruor omnes artus depaſcebatur. Succedebant tamen alij, pleriſq; etiã ſudor profluus olei vim refrigerabat: Et quàmuis huiuſmodi olei natura ſit, vt citò caleſcat, & ſeriùs conceptum deponat calorẽ, tamẽ victoriæ ſtudio abſcondebant iniuriam. Ardebant animis, vt nullum corporis ſentirent incendium, nec tanti æſtimabant pœnæ feruentis dolorẽ, quanti diſpendiũ gloriæ, ſi tanq̃ exortes triũphorũ deſiſterẽt bello, q̃ Duces fuerãt periculorũ. Vel ſanguine itaq; ſuo reſtinguere incendiũ olei certabãt.

Natura olei citò caleſcere.

Caput



## Caput XIII.

HAc mora obſidionis etiam Iaphæ vrbis, quę vicina erat, populus inſoleuerat, quòd tam diu decernebatur. Vnde motus Veſpaſianus, Traianũ, qui præerat ordini quinto decimo, ductoris officio direxit, cum mille equitibus, & duobus millibus virorum militiæ pedeſtris. Qui ſine retractatione profectus, vir acer & bellandi artibus præditus, cõuenientem ſtudijs ſuis euentum belli reperit. Nam cùm eſſet ciuitas, & natura loci ſepta, & gemino muro circumuallata, non contentus tegere ſe populus eius munitionibus, occurrendum Romanis putauit: Sed pauliſper reſiſtere auſi, intra murum exteriorem recipere ſeſe volentes, hoſtem pariter recepêre. Nam cum ipſis feſtinantibus etiam Romani ſubintrauerunt, confugientibus quoque ad murum interiorem, clauſæ portæ, ne rurſus Romani pariter irrumperent. Ita auerſo à ſe Dei auxilio, Iudæi præliabantur, quo antè vincere ſolebant, ſed offenderant ſceleſtis flagitijs,

 & ideo

& ideo ab his pœna debita repoſcebatur, vt donarentur eorum ſupplicia nationibus. Denique plures propè ſuis inter ſe bellis, quàm ab hoſtibus, obterebantur. Exemplo eſt Iaphæ populus, qui Romanis portas aperuit, & ſibi clauſit. Nam vt primum murum Romani irrumperent, ipſi patefecerunt: vt ſecundum murum Iudæi non penetrarent, Iudęi clauſerũt. Receptus itaque hoſtis eſt, ſocius excluſus. Receptus ille, ne percuſſor deeſſet: excluſus iſte, ne penitùs euaderet. Intra duos itaque muros cædebantur Iudæi, manu cominùs, de muro eminùs. Plerique enim Romanæ militiæ viri conſtricti anguſtijs, murum aſcendebant, atq; inde in ſubiectos tela iaculabantur. Itaque Galilęi ſuis, quàm hoſtibus infeſtiores, rogabant, vt in interioris muri veſtibulo reciperentur, ſed reſiſtebant ſui. Dimicabatur in portę limine, Iudęis inter ſe pugnãtibus: Iſti irruentem cuneũ gladijs excipiebant: illi reſiſtentes moriebãtur. Sæua imprecantes ſibi inuicẽ, & minora ſe meritis ſuis perpeti ſupremis vocibus atteſtabãtur. Itaq; extincta ſunt



ſunt duo millia virorũ omnium præliatorũ. Ratusq; Traianus vel nullũ iã ſibi repugnaturũ, vel facilẽ vrbis expugnationẽ, veteris vir diſciplinæ ſummã victoriã Veſpaſiano reſeruauit, miſitq; ad eũ, poſtulãs, vt filiũ ſuum dirigeret Titũ, q finẽ prelio daret. Quo aduentãte, facta irruptio, cęſiq; multi mortales, nec ſine labore ac periculo victoria ceſsit Romanis. Quibus ingreſsis murũ interiorẽ, obiecerãt ſe, qcunq; erant bello idonei, & in anguſtijs poſiti, anceps bellũ victoribus effecêre, pugnantibus deſup virili ac muliebri ſexu, ac ſæpè etiã in ſuos ſaxa, atq; oĩa, quæ fortè repererãt telorum genera iaculãtibus. Deniq; ſex horis in ipſo fine quaſi ab exordio pugnatũ. Ad poſtremũ cęſis, q cõſtiterant pugnaturi, tũ in cęteros ſine ordine, ſine modo, ſine miſericordia. Senes cum adoleſcentibus iugulabantur, mulieres cum paruulis reſeruatæ, non ad veniam, ſed ad ſeruitutem: maſculi omnes interfecti, niſi quos pueritia, aut infantia defendit, in prædam ducta ſunt* duo millia, CXXX. mancipia, Domini cum ſeruulis æqua iam

*Alij duodecim.

iam ſorte conditionis, quos captiuitas pares fecerat.

## Caput XIIII.

NEc Samaritæ immunes miſeriarũ fuêre. Nam cùm ſecundũ conſuetudinẽ ſuã aſcẽdiſſent montẽ Garizim, qui erat illis conſecratus, vbi adorare ſolebant: vnde & in Euangelio dicit Samaritana: Patres noſtri adorauerũt in hoc monte. Et reſpõſum eſt ei: Veniet hora, quando neq; in hoc monte, neque Hieroſolymis adorabitis patrẽ. Debebatur enim, vt ceſſaret ſuperſtitio, & vera religio ſuccederet: Euacuaretur vmbra, veniret veritas: vt iam nõ in monte, ſicut Samaritani, nõ in Hieroſolymis ter in anno, ſicut Iudæi: ſed in ſpiritu in omni loco eleuãs puras man^9, homo omnis adoraret Deum, & in nomine Ieſu genu flecteret. Cùm igitur, vt ſuprà diximus, in monte collecti, ſecundum ſuos ritus manerẽt, belli autẽ minas prętenderet ipſa congregationis ſpecies, vel ſenſus eorũ, q nec malis finitimis reſipiſcebant, multò autẽ ampliùs proſperioribus Romanorum

Verus modus adorãdi Deum.



norum ſucceſsibus per inuidiã cõmouerentur, ac propè tumultũ res eſſent, conſultius æſtimatum eſt eos præueniri, ne in maiorẽ peſtem erumperent. Vocatoq; Pręfecto ordinis quinti cum tribus millibus vtriuſq; militię viris, eò eũ Veſpaſianus direxit. At ille aſcendere montẽ primo exordio periculoſum ratus, erat enim ſimul iuncta terrori multitudo populi, & pręruptũ naturæ circũdedit exercitu montis confinia: & toto die deferri fecit cuſtodiã, ne quis aquatũ deſcenderet. Cùm igitur tantã hominũ multitudinẽ vexaret ſitis, q magis ac magis æſtu exardeſcebat, & pleriq; ſeruituti ſe vel etiã neci mallent offerre, ne vel fame vel ſiti perirent, Cerealis, hoc enim nomen Pręfecto, ex deſcẽdẽtibus vniuerſos eſſe defatigatos ęſtimãs, cinxit montẽ, ac more militari pollicens ſalutẽ, ſi arma deponerẽt, recuſantesq; iuſsit feriri. Itaq; extincta ſunt illic millia XI. ſexcenti viri.

Cerealis pręfectus.

Viginti millia ducenti viri habent alij.

## Caput XV.

IOtapatę quoq; quadrageſimo & octauo die facta eſt diruptio primo diluculo

culo: cùm adhuc multò ſuperioris diei feſsi labore requieſceret, primus omniũ Titus cum Sabino ingreſſus, cæteris viã præbuit. Comprehenſisq; ſuperioribus locis, in anguſtijs platearũ paſsim & ignari adhuc factæ irruptionis feriebant. Alij in ſuis ſtratis, alij expergefacti, alij vigilãtes, ſed inedia ac ſomno ſoluti pœnas dabant. Adhuc tamen totã vrbẽ vis latebat malorũ. Sed vbi exercitus ingreſſus militari infremuit vlulatu, ad ſolum ferè ſubeundæ mortis affectum inſurrexerũt. Et ſi qui ſuperiora petere tentauerant, repulſi cædebantur, & quibus vlciſcendi vis ſuppetere poterat, ipſa coartatio vindictã ademerat: & ſiqui reſiſtere parabant, irruẽtibus ſupra ſe alijs, bello abſcondebãtur. Alij multo feſsi certamine, dimiſsis manibus ſeſe offerebant vulneri, vt vel morte tam feralibus malorũ ſuorum ſpectaculis eriperẽtur. Hac deceptus ſecuritate pereuntium Centurio Antonius, rogatus à quodam, qui in ſpelæa confugerat, vt ei dexteram daret, obſidem veniæ & ſalutis ſequeſtrã porrexit ilico, doli negligens, & væ miſer nimiùm

De captione Iotapate, & deſtructione eius.

Antonius Centurio.



ſecurus triũphi: ſed ille incautum ſpiculo ferit, & ſtatim transfigit, ne impleta eſſet incruenta Romanis victoria. Illo die interfecti oẽs, quicunq; inuẽti. Sequẽtibus autẽ diebus etiã de hypogeis & cæteris defoſsis ſpecubus producebãtur, vel ibidẽ extinguebantur, exceptis paruulis ac mulieribus. Cęſa per omnes dies XL. millia, qui numero cõprehenſa ſunt: in captiuitatẽ deducti M.CC. euerſa & igni exuſta eſt ciuitas, & caſtella ei⁹ omnia, anno imperij Neronis XIII. Ioſephus intereà inter fauillas vrbis in quodam lacu deliteſcebat, haud inſcius, ꝙ quaſi Dux aduerſi agminis ſtudioſiùs requireretur. Egreſſus die ſecundo, vbi ſepta aduertit omnia, reuertit in lacum. Tertio die mulier quędã reperta, cognitas ſibi Ioſephi latebras, quærẽtibus demõſtrauit, ſed in lacum pariter XL. viri, qui eò confugerant, ſeſe tegebant. Qui vbi aduertebant Ioſephum, primò ꝑ Paulinum & Gallicanũ à Veſpaſiano ad ſpẽ ſalutis vocari, poſteà per Nicanorẽ, qui Ioſepho veteris amicitiæ gratia copulabatur, & ideo miſſus, vt dexteram daret, promptiùs

Anno imperij Neronis xiij. Ioſephus in lacu deliteſcit.

promptiùs officium mandati muneris exequebatur: circumfuſi Ioſephum talibus adoriebantur ſermonibus.

Oratio, qua Ioſepho ſocij ſui mortẽ ſuadebãt.

## Caput XVI.

NVnc maior Iudæi nominis tentatur ruina, nũc fauilla tetrior, quæ ſepeliat & abſcõdat ſplendidiſsimæ diſciplinã proſapiæ, atq; omne decus ſubruat, quando Ioſephus ad triumphum captiuus reſeruari iubetur. Quid ſibi volunt tam ſedula ſubitò inuitamenta hoſtium? Quid dona ſalutis ſpontanea? Rogantibus vitam alijs, non pepercerunt. Ioſephus accerſitur, Ioſephus rogatur vt viuat. Metuunt videlicet, ne pompam amittant triumphi, ne deſit, quem ſpectet Roma captiuum, quem catenatum Veſpaſianus ante currum ſuum dirigat. Ad hæc igitur ludibria vis reſeruari? Et vnde triumphabunt, ſi Dux eorum defuerit, de quibus triumphatur? Aut qui triumphus, ſi amicitia datur victis? Ne credas Ioſephe, vita tibi promittitur, ſed parantur grauiora morte. Vicerunt te Romana arma, non capiat fraudulentia.

Atro-



Atrociora ſunt dona eorum, quàm vulnera. Illa enim captiuitatem minantur, hæc libertatem reſeruant. Inflecteris Ioſephe, & animi quadam fractus mollitia vis eſſe patriæ ſuperſtes? Vbi eſt doctrina Moſi, qui ſe de libro cæleſti deleri petebat, ne plebi Domini ſuperuiueret? Vbi eſt Aaron, q inter viuos ac mortuos medius ſtetit, ne mors viuentem populum ſæuo contagio depaſceret? Vbi eſt Regis Saulis & Ionathæ deuotus patriæ animus, & mors illa pro ciuibus ſuſcepta, & fortiter glorioſeque expetita? filius patrẽ exemplo inuitauit, pater filiũ mortis propoſito non dereliquit. Qui cũ poſſet viuere, maluit ſe interfici, ꝙ ab hoſte triumphari. Hortabatur armigerũ ſuum, dicẽs: Percute me, ne veniãt incircũciſi iſti, & percutiant me, & illudant me: quia armiger timuit, ipſe ſe gladio trãſuerberauit. Dignus quẽ Dauid ſpiritu ꝓphetico vindicaret: quia ſe degener Amalekita de eius morte falſo iactauerat, & gloriam viri, qui ſeipſum hoſti exemerat, imminuendam putauit, vt à ſe interfectũ mentiretẽ. Dignus etiã,

quem

quẽ tantus laudaret Propheta, dicens: Saul & Ionathas ſpecioſi & chariſsimi inſeparabiles in vita ſua, & in morte nõ ſunt ſeparati. Super aquilas leuiores, ſuper leones potentiores. Ipſe quoq; Dauid cùm popolum percuti ab angelo videret, in ſe voluit cœleſtem deriuari vin dictam, ne pereunte populo reſeruaret. Poſtremò vbi lex diuina, cui⁹ interpres ſemper fuiſti, quæ pro hac breui vita perpetuã iuſtis promiſit immortalitatem? Vbi Deus Hebræorum, qui docet iuſtos mortis contemptum habere? Refugere etiam debere terrenum habitaculum, anhelare ad ſuperna, ad regionem paradiſi, vbi Deus ipſe pias animas conſeruauit. Nunc demũ cupis Ioſephe viuere, quando non oportet, immo nec licet: immo, quod maius eſt, non decet: & carpere deſideras lumen illud (auſim dicere) ſeruitutis, quod in aliena poteſtate eſt, vt id quando voluerit Romanus eripiat: quã do velit, carceris tenebris obducat, vt optes hinc fugere, nec liceat mori, & quo pudore ad eos ibis, quibus perſuaſiſti pro patria mori? Quam excuſationẽ habe-



habebis, quòd tam diu reſederis? Expectant quid agas, dicent profectò: Quid moratr Ioſephus, qui præuenire debuit? cur tã ſerò ſequit? cur diſcipulos ſuos, quibus pro libertate moriendum ſuaſit, imitari recuſat? Perferem⁹ certè nos, quòd ſeruire elegeris aſſertor libertatis, quòd mancipium te Romanis addixeris, quòd captiuitatem libertati præpoſueris? Sed eſto, velis viuere, quomodo hoc impetrabis ab his, aduerſum quos toties præliatus es? Quomodo te intuebuntur, quibus oculis, quibus animis? Quomodo iratis Dominis, etſi liceat, viuere voles? Aut quis proditorem patriæ non credet fuiſſe, cui mercedem ſolutã proditionis videbit? Vtrum mauis elige, horum alterum ſit neceſſe eſt. Vita tua aut præmium proditionis erit, aut ſeruitutis ſupplicium. His dictis intentarunt gladios, addentes: ſi acquieſcis mori, quaſi amici miniſteriũ prebemus: Si recuſas, quaſi proditi vltionem exigimus.

## Caput XVII.

Y Ad hæc

Reſponſio Ioſephi.

AD hæc Ioſephus refert: Et quis velit eſſe tãtę mortis ſuperſtes? Quis eligat fieri hęres doloris? Quis animam ſuam nolit ex ipſo corpore mortis, ſi liceat, abſolui? ſed non licet ſoluere, niſi ei qui ligauerit. Naturæ vinculo coniũcta eſt anima corpori. Quis autor naturæ niſi omnipotens Deus? Quis hoc animæ & corporis noſtri Deo placitum cõtubernium interrumpere ac diſſociare audeat? Si quis impoſita manibus ſuis præcepto herili vincula, ſine arbitrio domini ſui detrahat, nónne is graui pulſaſſe iniuria ſuum dominum condemnabitur. Dei poſſeſsio ſumus, Deo ſeruitium debemus, quaſi ſerui expectemus imperia, quaſi vincti reſeruemus vincula, quaſi fideles bonum depoſitum custodiamus. Non recuſemus vitæ iſtius munus quod dedit nobis, non refugiamus donũ cœleſte. Si hominis data reijcias, contumelioſus es: quantò magis debemus, quod à Deo noſtro accepimus? Ab ipſo itaque accepimus, quod ſumus, ipſius quoque debet eſſe, vt quamdiu velit, ſimus. Vtrumque enim ingrati eſt, & citiùs diſ-



tiùs diſcedere quàm velit, & diutiùs viuere quàm voluerit ipſe, qui vitam donauit. Nunquid antè feſtinauit exire Abraham? Nunquid antè aſcendit Abarim Moſes quàm diceretur ei, aſcende in montem Abarim? Sed dictum eſt aſcende, & aſcendit, & mortuus eſt, quaſi bonus ſeruul⁹. Expectauit Domini pręceptum. Ipſe Iob qui dixit: Pereat dies illa in qua natus ſum: tamen in vulneribus & doloribus poſitus, vitæ huius vincula nõ diſrumpebat, ſed vt liberaretur rogabat, dicens: Vt quid datum eſt in amaritudine lumen, vita autem in doloribus animæ? Laudabat itaque mortem, cùm diceret: Mors verò requies: tamen nõ pręripiebat, ſed poſtulabat, vt ſcriptũ eſt: Cõcutior omnib⁹ membris: & quia ſum impius, quare nõ ſum mortu⁹? Cur de ventre matris nõ in ſepulchrum decidi? Aut nunqd breue temp⁹ vitę meę? Dimitte me requieſcere paululũ. Alius quoq; ſanct⁹ dicit: Educ de cuſtodia animã meã. Petit euadere: petit ex hoc corpore quaſi de quodã liberari carcere: nullus tamẽ ſanctorũ necẽ ſibijpſi vſurpat,

Moſes mortuus in monte Abarim.

nullus præripit. Si lucrum eſt mori, furtum eſt vſurpare antè expectatum: Si bonum eſt viuere, ſacrilegium eſt repudiare antequam repoſcatur. Sed glorioſum putatis in bello mori? Nec ego abnuo bonum eſſe pro patria, bonum pro ciuibus in bello mori. Sed belli lege offero iugulum, ſi hoſtis petat: ſi mucronem demergãt Romani, quibus de nobis Deus victoriam dedit, quibus propter peccata noſtra nos adiudicauit. Nec mihi blandior, quòd parcendum ſpondeant. Vtinam fallant. Vel hoc lucrum feram, quòd me ſic timuerunt vt fallerent, vel hanc vltionem referam, quia frangunt fidem. Malo illorum latrocinio perire quàm meo. Latrocinium meũ eſt, ſi mihi ipſe intulero manum: ſi hoſtes, beneficium. Ergo illud cùm beneficium dare poſſent interimendo, ſeruandum putauerunt, quod in poteſtate habebant: vt captum occiderent latrocinati ſunt. Sed pollicemini mihi manus veſtræ miniſterium, reuerà percuſſor nobis defuit, vt noſtro ſcelere pereamus. Nolo meo, nolo veſtro ſcelere perire, ꝙ plus eſt quàm meo,


meo, nolo mutuo. Hoc eſt enim vnumquenque noſtrum ſibi manus inferre, vicariæ necis mercedem ſoluere: vt iam non ſolùm pro ſuo quiſque, ſed etiam pro alterius ſanguine ſcelus debeat. Verum Regis Saul exemplum promitur, eius certè, qui aduerſus voluntatem diuinam Rex poſtulatus eſt, & offenſam meruit Dei. Vnde etiam cũ viueret, ſucceſſorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia, & tamen voluit mori, quia iam non poterat viuere. Voluit tamẽ & ipſe vt eum ſocius occideret: ſed ille ſcelus putauit, recuſauit miniſterium. Non igitur vſus conſilio, ſed deſtitutꝰ miniſterio fecit, vt ipſe gladium in ſe cõuerteret. Si timens fecit, ne ſibi illuderetur, quid laudas quod timoris eſt? Si non timuit, cur primò aliud elegit? Ego nec illudentes Romanos timeo, nec mentientes. Saul tantùm ſe ſolus peremit, nõ Ionathas, nõ quiſquam alius in noſtris ſcripturis. Quid mirũ, ſi potuit ſe perimere, qui potuit etiam filium occidere? Aron inter viuos ac mortuos ſtetit, & hoc virtutis eſt, non teme-

ritatis. Non enim mortem ſibi intulit, ſed mortem non timuit. Qui eam corpore ſuo repulit, & ſerpenti in omni obſtaculo fuit. Non ego quidem Aaron, ſed tamen nõ degener ab eo, offero manus, feriant vt volunt. Si poſſum eorum manus timere, dignus ſum, qui manibus peream meis. Si pereunt illi aduerſario, cur ego non pereã mihi? Si quæritis cur parcere velint, & in hoſte virtutem mirantur. Tanta eſt enim virtutis gratia, vt frequẽter etiam hoſtem delectet. Noſtis etiam ipſi, quanta intulerim exitia Romanis, quo modo victores omnium gentium, Iotapatæ ignobilis vrbis diuturna obſidione, ab Hieroſolymitanę vrbis excidio auerterim. Breui damno totius belli aleam luſi. Didicerunt cæteri meo periculo pacẽ optare. Fortaſsis ad hoc reſeruamur, vt non deterreantur cæteri, ſed prouocentur. Sed ſuaue aſſeritis mori pro libertate. Quis negat & illud? tamen dulce viuere pro libertate. Nam cùm amicitiam offert, libertatẽ promittit. Quòd ſi ſeruitutem inferat, tunc erit certè opportunior moriendi voluntas, ſi opor-



ſi oportuerit mori: Nunc autem vitam offerunt, nolunt occidere. Timidus autem eſt & qui non vult mori, quando oportet, & qui vult, quando non oportet. Quis enim ignorat fœmineæ timiditatis eſſe, & muliebris fortitudinis, ne moriare mori velle? Denique pauidæ mulieres, vbi aliquod imminere ſibi periculum cognouerint, ſolent ſe præcipitio dare. Anguſti enim animi molem formidinis & metum mortis ſuſtinere nequeunt. Vir autem patiens, qui præſentia non timet, & futura cogitat, neſcit trepidare, vbi non eſt timor. Denique ſcriptum eſt, quia animæ effœminatorum eſurient, quæ cibum vtique virtutis non habentes eſuriunt: ideoque ad mortem ante tempus feſtinant. Neque enim repletus cibo gratiæ ſpiritalis, ſibiipſi manus irrogat: cùm ſcriptum ſit: Quia os imprudentis mortem inuocat. Et iterum dicit Scriptura: Et qui non curat ſeipſum in operibus ſuis, frater eſt eius, qui ſeipſum exterminat. Condemnatur ergo qui ſeipſum percuſſerit.

 Quid

Quid enim tam contra legem naturæ? Quid etiam tam contra naturam omnium animantiũ? Quibuſlibet feris licet atque agreſtibus, inſitum eſt ſe amare. Naturæ enim lex valida eſt velle viuere, nec ſibi mortem aſciſcere. Denique ferro in ſe armari, omnia genera animantium, nec ſi velint, poſſunt. Informẽ leti laqueum homines inuenerunt, feræ neſciunt. Sed morſus ferarum arma ſunt, dentes eorũ gladij. Quando tamen quiſquam audiuit, quòd ſibi aliqua fera proprio morſu membrum ademerit? aduerſum alios faucium ſuarum armis vtuntur, aduerſum ſe oſculis. Nobis quoque quid tam dulce quàm vita? Quid tã inimicum quàm mors? Deniq; qui vitam protexerit, patronus eſt: qui mortem appetere tentauerit, iuſidiator eſt. Quod ergo in alijs execramur, ſi nos appetamus, ipſi nobis volumꝰ inferre, quod ab alijs pro pœna exigimus, hoc ipſi nobis irrogamus pro gratia: & gubernatorem, ſi commiſſam ſibi nauem ſaxo illidat, perſequimur: nos incommiſſum nobis noſtri corporis gubernaculum ferro extinguimus

Vita nihil dulcius.


guimus, & voluntario naufragio addicimus? Sed obijcitis mihi mortem maturam, cùm in poteſtatem hoſtium fuero deductus. Quid ergo lucrifaciã, ſi quod ab hoſte metuo, hoc ipſe mihi inferam? cũ poſsit accidere, vt quod ſuadetis mihi facere, non faciat inimicus? Huiuſmodi iſtud eſt, acſi videns gubernator tempeſtatem futuram, tempeſtatis gratia declinandæ nauẽ fluctibus immergat. An quia grauiora ſupplicia exacturus eſt aduerſarius, ideo præueniendum putatis? vel quia ſtrenuũ arbitramini vt in nos ipſi ferro vtamur? Sed id imbecillitatis ſuffugium eſt, non virtutis trophæum, captare lucrum ſuppliciorũ. In hoc igitur inhæremus, quòd nec inſignia habeat fortitudinis, nec profectum vtilitatis. Quid autem attexam violati depoſiti religionem? Deus omnipotens theſaurũ nobis optimum dedit, atque incluſum in hoc vaſe fictili, & conſignatum commiſit nobis cuſtodiendum, quò ad ipſi placeat repoſcere. Nónne in vtroq; crimen eſt, vel reijcere depoſitũ non repoſcenti, qui dederit: vel repoſcẽti negare?

Pulchra cõparatio.

 Si

Si hominis depoſitum violare pœna in. famiæ eſt, quantò magis violare depoſitum Dei? Depoſitum Dei anima eſt in hoc corpore, anima quę mortis iſtius capax non fit. Non enim vllo mortis vinculo aſtringitur atque alligatur, ſed videtur mortem operari, cū ſoluitur corpore, atque de commiſſo ſibi contubernio ſeiungitur. Cur igitur ante repetitum depoſitum mortem irrogamus, & animam quaſi inutilem nobis remittimus, atque è domo noſtra excludimus, & corpus ſine decore & gratia ſui in terram reſoluimus? cur exeundi hinc præceptum non expectamus? Miles teſſerā expectat, ſeruus imperium. Si quis horum ſine præcepto exierit: alter deſertor, alter fugitiuus eſt. Qui hominē fugit, pœnæ eſt obnoxius, quàmuis improbum fugerit dominum: nos optimū omnium fugientes, poſſumus nō aſtringi impietatis flagitio? Num etiam illud præterit noſtram opinionem, quòd appoſuit Deus angelum in circuitu timētium eum? Eſt ergo qui prohibeat, niſi præceptum acceperit? Si nullum præceptum,

Depoſitū Dei anima eſt in hoc corpore.


nullum viaticū? Et quomodo perueniemus ſine viatico? Quis nos recipiet in illum purū & ſecretū locum? Quis nos admittet ad illa ſanctarū animarū conſortia? Adam latebat, quia præceptū Dei præuaricatus eſt: excluſus eſt de paradyſo, quia non ſeruauit mandatū. Dicitur ei: Adā vbi es? Quaſi ei qui fugerit, quaſi ei, cuius apud Deū non eſt pręſentia. Nōne & mihi dicetur, vbi es? qui pręter præceptū veniſti, quē ego naturalibus vinculis non relxaui? Tollite eū in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dētiū & dolor. Hęc nō ſolū moribus hominū, ſed etiā legibus interdicta accepimus: Nanq; alij inſepultos proijci iubēt eos, q in ſe ferrū deiecerūt. Dignū eſt enim, vt qui patris imperiū nō expectauerūt, priuētur quaſi quodā matris gremio, terrę ſepulchro. Alij dexterā manū abſcindūt defunctis, vt ſeparet à mēbris ſui corporis, quod aduerſus corpus ſuū veſano militauit furore. Sed hunc exitū ſacrilegi ferunt, aut proditores, vel percuſſores parentum, qui verum patrem non agnouerunt, nec ſeſe cognoſcunt. Ideo

Chriſtianiſsima ſententia hominis Iudęi.

Ideo aut penitùs ſepeliri prohibentur, aut non toti ſepeliuntur. Animas quoque eorum non paradyſus recipit, ſed inferorum tenebræ, ſæuaque ſupplicia. Hæc mihi reputanti, quanquàm omnia erepta ſint, ſola tamen terrori ac formidini ſunt: nec mihi ipſi inferam, quę nec hoſtis poterit inferre: & illa paradyſi eripiam, quæ Romanus adhuc non potuit eripere. Certè accelerare potuit, non poterit auferre, quæ ſola impatienter deſidero. Non enim vitæ huius vlla cupiditas tenet, in qua nec apud ciues, nec apud hoſtes cepi, quod delectaret. Iſti mihi pacem negarunt, illi patriam eripuerunt. Inter tot mala, quid poteſt ſuauitatis in hac vita ſupereſſe? Tu modò omnipotens Pater, qui naturæ autor atque arbiter es, honeſtum largire exitum, tu rumpe naturale hoc vinculum: redde animam meam ſecretis ſuis. Extinctus ſit populus, ereptum ius, libertas infracta: non præuaricabor tamen legem tuam, vt moriar iniuſſus. Expecto, vt iubeas, expecto, vt volentem liberes. Multos habes tui executores, à te expecto imperiũ, ab

Pia oratio ad Deum.


ab executore miniſterium. Bonũ eſt mori: ſed moriar vt Hebræus, non vt latro, non vt carnifex, non vt hoſtis. Victus ſim licet bello, manebo tamen, quod natus ſum, vt Abrahæ patris hæreditatem non deſeram. Non tranſibo in numerũ hoſtium, vt ipſe meus percuſſor ſim. Offerre me hoſti percutiendum ſine pietatis poſſum diſpendio: manus meas mihi in hoſtem conuertere ſine ſcelere non poſſum. An verò metus eſt, ne non liceat nobis ſecundum legem viuere? Reuerà nunc magna libertas eſt, quibus non licet ſecundum legem mori.

## Caput XVIII.

HAec Ioſephus allegabat, quò euacuaret voluntariæ mortis affectionem. Sed illi, qui ſemel ſeſe morti deuouerant, quia verbis reſiſtere non poterant, gladijs quaſi ferituri ilico virum circumſtetêre, niſi acquieſcendum putaret. At ille circundatus, alium Ducis reuocabat autoritate, & virtutis conſtantia, alium ſeuero obtutu conueniebat. Huius reuocabat dexteram, illius infle-

ctebat.

ctebat iram,mulcebat conſilij ſalubrita te. Diuerſis modis vnicuique irrationa bilẽ extorquebat furorem. Etenim quã-uis vltima ſors victi dignitatem extorſerat, non penitus tamen aboleuerat reuerentiam. Paulatim itaque deponeban tur manus, recondebantur gladij, tamẽ intentio perſeuerabat. Cùm videret vnũ à pluribus ſe obſeſſum teneri, ſiue caſu quodam, ſiue cõſilio commentatus eſt, vt minueret numerum repugnantium. Committamus, inquit, ſorti moriendi ordinem, vt ſe nemo ſubtrahat, cùm ſors conueniat vniuerſos. Iſtiuſmodi conditio ſit ſortis, vt is, qui ſortem exierit, ab eò, qui ſequitur, interimatur. Itaq; fore, vt ſors vnumquenq;, nõ propria volun tas morti adiudicet. Stet igitur vnuſquiſq; ſub ſorte iudice, & exors ſceleris, & liber captiuitatis, vt nõ alieno arbitrio celeret, nec declinet ſuo mortẽ futuram. Ne mo recuſare poterit euentũ, quẽ vel caſus intulerit, vel voluntas Dei ſignauerit. Fidẽ fecit oblatio, & vniuerſorũ aſſen ſus ſorti acquieuit. Quiſque ſorte eſt deſignatus, paratam ſequenti necem præbuit.

*Sortis moriendi conditio.*



buit. Itaque accidit, vt interemptis reliquis, Ioſephus cũ altero ſupereſſet neci. Manebat neceſſario, vt aut ſorte condẽnaret, aut certè ſi exitio ſupereſſet, ſanguine ſocij cõtaminandus foret. Suadet vt ſorti renũtiaret. Sic domeſticũ euaſit prelium, & per Nicanorẽ ad Veſpaſianũ deducit. Fit concurſus ad eius aduenientis ſpectaculum, Romanis ferè omnibus confluentibus, alij videre deiectum deſiderabant, quem paulò antè in ampliſſimo honore poſitum, ſummæ rei præeſſe intuebantur, alij certabant capto illudere, alij vices rerum humanarum tam varias atque flexibiles mirabantur. Plerique conſultiùs ingemiſcebant, qui in alienis caſibus ſibi poſſe eadem accidere putabant. Titus præ cæteris mouebatur, ingenita animi manſuetudine: illum dudum bellatorem ſuperbum ſubitò poteſtati addictũ hoſtium, alieni mo tus ſortem operiri, vitæ naufragum, exulem ſpei, incertum ſalutis. Tantum valere momenta in prælijs, vt breui caſu diſpares ſui reddant, cùm aut potentes deijciuntur, aut afflicti leuantur.

*Ioſephꝰ ꝑ Nicanorẽ ad Veſpaſianũ deducitur.*

*Titus pre ceteris mouebatur.*

Itaque

Itaque pars melior eorum, ſcilicet, qui honore potiebantur, mitiora conſilia dabant: maxima tamē portio ſalutis apud patrem Ioſepho Titus fuit. Veſpaſianus eū aſſeruari præcepit, ne fortè elaberet.

Titus fuit Ioſepho apud patrē maxima portio ſalutis.

## Caput XIX.

INde paucis pòſt diebus Ptolemaidē repetit, atque inde Cęſaream contendit, vrbem Iudææ maximam, ſed magis gentilibus refertam inhabitantibus: vnde cum plauſu & lætitia ſuſcepêre exercitum Romanum, non ſolùm Romanæ ſocietatis exoptata ſibi gratia, ſed inſito quoque odio plebis Iudææ: cuius principem Ioſephum oportere puniri maximis clamoribus vociferabantur. Quam Veſpaſianus, vt vulgi iram ſine iudicio conceptam, ſilentio diſſoluit. Et quia ad hyemandum, & tempus opportunum, & ciuitas erat, duos ordines in Cæſarea conſtituit, decimum quoque & quintū ordinem in vrbe Scytopoli, ne Cæſarea totius onere exercitus attereretur. Ideoque vrbs memorata Dianæ Scythicę cōſecrata, tanquàm à Scythis condita, & appella-



appellata ciuitas Scytharū, vt Maſsilia Græcorū: ſitus loci declarat ingenitam duritiam conditoris, patentia magis cāporum, quàm cōducibilia habitationis vſui delegiſſe* Nanque aperto & aſpero hyemis, & feruenti tempore ęſtatis plus laboris habet, quàm delectationis: quoniā & hyeme plus frigori patent, & grauior in his locis æſtatis flagrantia eſt, in quibus ſolem totum recipiunt ſine vlla arui virentis amœnitate. Itaq; campeſtris & maritima regio memoratæ vrbis, etiam æſtu maris ampliùs vaporabatur.

Deſcriptio Cęſareę.

Alia lectio Namq; aperta & aſpera hyems, & feruenti tempore æſtatis.

## Caput XX.

NEc tamen à negotijs bellicis Veſpaſianus vacuus erat: Cognito etenim diuerſis ex locis ad vrbem Ioppen ſeſe contuliſſe plurimos: eamque ſibi opportunam ad excurſus piraticos, reparatis ædificijs, quæ à Ceſtio deſtructa fuerant, inſtaurauiſſe: quoniam vaſtata regione, ſubſidium alimoniæ mari quærebatur, diligenter explorauit omnia. At illi ſtatuentes huiuſmodi nauigia,

quæ vſui prædonũ accommoda forent, ſpeculati commeatiũ tranſitus, vniuerſa propè Phœnicis atq; Aegypti commercia populabantur, adeò vt crebræ prædationis terroribus omne illud mare clauderent, atque indubij periculi metu nauigandi vſus interciperetur. Quo comperto, pedeſtris militiæ manum, & equitum pleroſque pergere iubet, & nocte Ioppen ingredi. Quod facile factu fuit, cùm cuſtodia nulla ciuitati prætenderetur: quoniam euerſæ vrbis fama, nullas excitatura Romani curas Ducis æſtimabatur. Præſentes tamen erant, ſed non auſi reſiſtere, atque ingreſſum negare Romanis aduenientibus, nauigijs aſcenſis, vltra iactum progreſsi ſagittæ, in mari pernoctauerunt. Res poſtulare videtur, ſitum littoris eius, quo prætexitur Ioppe, breuiter exponere, vt quemadmodum ſine vllo prælio prædictæ vrbi ſecunda clades fuerit, liquidò manifeſtetur. In portu eſt natura ciuitas, cuius ab ora maris littus aſperum directumque, ſed cornibus vtrinque leuiter inflexum: in quibus profundæ rupes, ſaxaq; ingen

De Ioppes ſitu & excidio.

Importuoſa eſt natura, alij.



tia, quæ mari prominent. Et cùm de imo maris ſurgant, in mare excurrũt tamen: vnde etiam Andromedam illic fuiſſe cum ceto obiectaretur, formę locorum atque ipſæ rerum ſpecies prodere videntur, non mediocrem vetuſtatis fabulis fidem accommodantes. Cædentibus itaq; littus aduerſis Boreæ flatib⁹, immane, quantũ vndæ attolluntur: quæ ſcopulis illiſæ, fragorem ingentem excitant, atq; in fluctus relapſæ, inquietum illum maris ſinum reddunt, vt plus periculi in portu, quàm in deſerto ſit. In eo igitur fluctuantibus ſcaphis, quas ex Ioppe vrbe productas ſuprà diximus, ad matutinum flatus vehemẽs ingruit, quẽ Melamborium per ea locorum nauigantes vocant, ſtatimq; inter ſe vndis impellentibus ſcaphas miſcuit, atq; inuoluit: Alias ruptis anchoralibus egit in petrã: alijs cũ in aduerſum mare violenter ſubrigerentur, ſaxoſi littoris periculum, vel à Romanis clades occurrit, vndaq; præcelſa mole ſupeminens oppreſſos demerſit. Confugiẽdi nullus erat locus, nec emanendi ſpes, cũ ventus de mari expelleret,

 Roma-

Nec fugiẽdi erat vllus locus.

Romani vrbe excluderent. Grauis erat nauigiorum ſonus, cùm inter ſe collideretur: Intolerabilis hominum gemitus cùm frangeretur. Qui vbi vacillantibus alueis videbant mare irrumpere, alij ſe præcipitabant natandi peritia: alij, dum in appropinquãtes exiliunt ſcaphas, in mare lapſi, concurſu alueorum proterebantur. Plerique cum ipſis in profundo ſidebant myoparonibus, quos enatandi fiducia deſtituerat, minore tamen cruciatu, quibus ars deerat, vel ſpes vlla tentamentorũ. Qui ſe circumfuderãt littori nautis fugiẽtibus, idẽ & littoris periculum, & à Romanis cladem, mors trãsfigebat. Cæterùm natare adorſos, cõuulſa nauium fragmenta crebris quatiebãt ictibus, lateribusq; illiſa miſeros artus fœdè mulctabant, aut ſcopulis impulſos inter ipſa amplectẽdi littoris vota, mors ſequebãt: qualecunq; tamẽ habentes ſolatium in terris perijſſe. Miſeranda itaque facies erat, cùm excuſſo infelicium cerebro, cautes aſpergerentur, ſanguine maderent littora. Cerneres infectum cruoribus mare, repleta omnia cadaueribus.



ribus. Et ſi qui fortè euaſerãt, appropinquantes littori interficiebãtur: æſtimantibus Romanis, quòd non ex locorum aſperitate, vſuque ventorum in illis locis deſæuiret procella, ſed diuina indignatione præter ſolitum conſpirantibus ventis mare inuolueretur, ne Iudæi euaderent: & ideo metuentibus eis parcere, quibus Deus non pepercisſet. Fuêre, qui ſe ferro interficerét, tolerabilius rati ferro, quàm naufragio perire. Alij qui contis protrudere volentes, nauigia perforauerunt: nonnulli, qui lapſos in mare, ſi fortè orarent, vt à nauigantibus eleuarentur, remis repellerent, aut telo ferirẽt. Quod ideo non prętermiſi, quò clareat ab ipſis ſibi Iudęorum populis, quàm ab hoſte periculum maius fuiſſe, qui ſeipſos interimebant: quaſi exigua eſſent ad eorum exitium: infeſta ſimul omnia, cœlum, hoſtis, mare, rupes. Quatuor itaque millia quingentaque defunctorum numerata corpora, quæ deſpuerat mare, ſine bello capta vrbs, & exciſa à fundamentis. Sic in breui tempore ſecundò Ioppen Romana manus diruit.

 Quod

Ioppe à fundamẽtis excіſa.

Quod iure Veſpaſianus præcipiendum putauit, ne iterum illic piratica conderentur habitacula. Vnde & equitatum eò loci, illinc cum peditibus paucioribus licet proficiſcens, reliquit, vt pedites in loco manerent, ne quid auderet prædonum manus aſſueta latrocinijs: equites autem percurſarant finitima regionis, vicosque & oppida, quò penitùs omnia (ne conſpirarent in aliquos auſus) diruerentur.

## Caput XXI.

DVm hæc in Ioppe gerũtur, quàmuis procul Hieroſolymitani degerent, nec ſic quidem à conſortio cladis feriabantur. Auditis enim, quæ geſta à Romanis fuerant in Iudæa, & maximè, quia Ioſephũ interfectum compererãt, primò, quia de locis ad eos index nullus aduenerat, nõ credebãt: deinde Ducẽ tantũ non temerè in manus hoſtiũ incidiſſe arbitrabãtur. Et reuerà nullus nuntius tantæ cladis ſuperfuerat, & hoc ipſum ſupremi excidij fama, quia nullus index ſupererat, aſtruebat periſſe omnia, nihilque reſediſſe, vel ad indicium rerum geſtarum. Manebat opinio quouis maior relatũ, quòd ipſa incertos dum tenent ſilentia, credebantur omnia quæ timebantur: tantumque aberat, quò veriùs aliquid nuntiarentur, vt etiam quæ geſta non fuerant, adijcerentur. Nam Ioſephũ quoque interfectum fama aſſeuerabat, idque dolori maximo fuit vniuerſis. Sed vbi eum apud Romanos degere comperrum, tanto odio perſequebantur, vt cuius primò mortem dolebãt, eiuſdem vitam vel ignauię vel proditionis indicem deteſtarent. Hinc maior in Romanos cõmotio, vt ſe de Ioſepho vlciſcerentur. Et quò magis eorũ res inclinabat, eò ampliùs in bellũ accẽdebant. Vbi finis eſſe debuerat, inde exordiũ malorũ capeſſabat. Nã ſapiẽtibus aduerſi exitus rerũ, ad cauendũ magis documẽto ſunt, ne rurſus eadem accidant, quę iam malè ceſſerunt; Imprudentibus autem incentiuum miſeriarum. Debuerat ergo Hieroſolymitanis cauſa ſobrietatis eſſe ſociorũ periculum: ſed quia noluerunt intelligere, vt benè agerent, in exitium vertit.



 Caput

## Caput XXII.

VEſpaſianus tamen, vt & ipſa mora in melius conſulerent ſibi, & à labore exercitus pauliſper requieſceret, roganti ceſsit Agrippæ, vt in vrbe regni eius Cęſarea Philippi viginti ferè interponeret dies, ſimul vt ęgra partium eius à commotionis & diſcordiæ furore reſipiſcerent, qui ſe interuentu Regis ſuſcipi poſſe, ſi conuerterētur, agnoſcere deberent, cùm tam ſedula officiorum fœdera inter Regem & Romanos interuenirent. Denique Tiberias proxima Cæſareæ remedium non abnuit, ſanitatem inuenit. Nam & ipſa graui morbo diſsidentis inter ſe plebis exæſtuabat. Vnde Veſpaſianus tres ordines validiores acciri, & Scythopolim petere, directo in negotio filio decernit. Ea erat decem vrbium maxima vicina Tiberiadis. Inde appropinquare muris Valerianum cum quinquaginta equitibus iubet, qui pacifica ſuaderet, & ad fidē ſocietatis clauſos vocaret, vt congregati exercitus terror, auerſos percelleret, nūtius pacis volentes



lentes inuitaret. Valerianus propè muros equo deſilijt: eadem fecêre etiam ij, qui ſimul propiùs acceſſerāt. Quos pro numero ſpernendos arbitrati, Ieſus prędatoriæ manus Princeps, cum ſuis, qui pariter inceſſere auſi, repentina eruptione deturbant loco, cædentesque ſimul quos deduxerant equos inuolauêre: dementes qui non aduerterent, conſultiùs Valerianum ceſsiſſe inſolentiæ, quàm ſpolia de his, qui pacem vſurpabant, vſurpauiſſe. Denique ſeniores offenſi facinoris acerbitate, vrbem relinquentes, ad Veſpaſianum precatum venêre, ne paucorum inſolentia vniuerſæ plebi aſſcriberetur. Veſpaſianus ilicò ad vrbem Traianum direxit, vt exploraret, ſi populus inſidiatorum temeritatem aduerſaretur. At ille conuenientia populi ſtudia ſeniorum precibus annuncians, fidem legationi accumulauit. Ita petentibus venia data; maximè quia ſolicitum Regem pro totius vrbis ſtatu Veſpaſianus intuebatur. Cuius fide interpoſita, nihil tale auſuros poſteà delicti gratiam volens ceſsit.

## Caput XXIII.

INde Taricheas ſolicito atque inſtru-ćto agmine petit, eò quòd plurimùm ad ipſam vrbem propter munitionẽ loci confluxerat multitudinis: & quia muro eam vallauerat Ioſephus, niſi quà pedeſtribus inuia Geneſari lacus fluctibus alluebatur, ideo nauigijs cõgregatis, anceps bellum fremebat. Si terrenum inclinaret aduerſum ſe prælium, ad naues cõfugerent: ſi nauali certamine cederent, vrbem reuiſerent, muriſq; ſeſe ambientibus defenſarẽt. Cõſimilia vtrobiq; præſidia, vel in vrbe tiberiade, vel taricheis. Sed Taricheis perniciora ingenia: muris validior Tiberiadis. Sed & Taricheorum furor prõptior, vt ſi neceſſe eſſet, miſcerẽt oĩa, naualia terrenis certamina, terrena claſsicis. Deniq; circumuallati aduerſa acie, cũ maiora auderẽt virib⁹, nec aduerſus diſpoſitionis romanę moderamina, veterani quoq; exercit⁹ virtutẽ quicquã temeritas ꝓmoueret, priuſquã aliqd exitij ſubirent, verſi in fugam, ad naues conuolauêre. Quibus confertis, tanquã denſata acie præliabantur, ac ſi in terris manu res gererẽt. In cãpo etiã multitudo innumerabilis hoſtem præſtolabãt. Eo cognito filiũ cum delectis equitibus Veſpaſian⁹ direxit. Qui vbi ſe ingentib⁹ circũfuſum copijs vidit, ad patrẽ quidẽ retulit maiorẽ eſſe hoſtiũ multitudinẽ, quàm opinio comprehenderat: ſed cõuocatis, quos ſecum deduxerat, bellandi incentiuũ huiuſmodi alloquio infudit.



## Caput XXIIII.

Oratio Titi ad ſocios, hortãs eos ad prælium.

VIri, inquit, Romani, meminiſſe enim veſtri vos nominis & generis præliaturos decet, quorũ manus nemo effugit, qui in orbe Romano eſt. Vnde enim hoc nomen vniuerſis terris niſi vincendo dediſtis? Meminiſſe etiam loci oportet, in quo nunc ſitis, & aduerſum quos Romani bellum geratis. In extrema enim parte orbis terrarum conſiſtimus. Tanta ergo terrarum ſpatia tranſeuntes, nihil alienum vidiſtis. Quid enim vobis alienum, quorum in poſſeſsione orbis terrarum eſt? Quicquid vbiq; eſt, ius veſtrum eſt: quicquid incolatus vni-

vniuerſorum tenet, poſſeſsio veſtra eſt. Currebat is benè, qui ſtatuit veſtros orbe toto currentes triumphos, quos non Haſdrubal Pœnus, non Pyrrhus Aeacides, nõ Brennus Capitolinis veſtibulis incumbens, non Perſarum cateruæ, nõ Aegyptiæ phalanges ſtatuere potuerũt. Hos ſtatuit rebellis Iudæa ineruditam præferens bellandi temeritatem, rixæ quàm pugnæ aptior. Neque enim eſt, quod vereor, ſed plenum verecundię arbitror, quòd vos vincẽdo defatigamini. Illi autem quoties vincuntur, audaciam ſumpſere: & laſſati vos rebus ſecundis, cùm illi aduerſis duriores ſint. Attollite igitur animos Romani viri, & aduerſus cateruas hoſtium freti patria virtute exurgite. Neque vos numerus moueat plebis Iudææ, cùm illos tot veſtræ virtutis inſignia non deterreant, quæ longè numero validiora ſunt. Neque enim vlla in Hebræis vel rei militaris ſcientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia, nullus diſciplinæ vſus, nulla tolerandi patientia: Solùm in prælium deferunt mortis cõtemptum, ſed nemo vnquàm morien-



moriendo vicit hoſtem, ſed perimendo. Illi neſciunt arma niſi in bello, nos in pace armis exercemur: vt in bello caſus belli dubios non ſentiamus. Inſuetis enim euentus dubij, veteranis ſolennis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidie, niſi vt nobis vana nunquam prælia ſint? Vnuſquiſque domi quaſi in prælio exercetur, vt in prælio meditatio quædam certaminis ſit. Deniq; non errauerit quiſquam aſſerens, quòd meditationes noſtræ, bella ſine ſanguine ſint, bella noſtra meditationes ſint. Progredimur in bellum muniti vndique, tegitur galea caput, lorica pectus, totumq; clypeo corpus: vbi feriat hoſtis Romanum militem repirire non poteſt, quem ferro ſeptũ circunſpicit. Alijs talia arma oneri ſunt, nobis integumento, quia vſu leuãtur. Aduerſum inermes igitur ac nudos prælium nobis eſt. An verò metuimus, ne numero circumueniamur? Primùm liber in prę lijs equitatus eſt, cedendo atque inſequendo bellum proludit. Et quamuis maximas acies circumcurſat, & quib' libitũ fuerit ſpatijs excedit. Deinde

Deinde in ipſo pedeſtri certamine, non tam numerus plurium cõficit pugnam, quàm virtus paucorũ. Multitudo enim diſciplinæ inſolens, ipſa ſibi eſt impedimento: in proſperis ad victoriam, in aduerſis ad fugam. Virtus verò patiens & ſecundis valeſcit, nec vſque ad finem labitur in aduerſis. Accedit illud, quòd aſſuetudo victoriarum incentiuum nobis ſit præliandi. Nam etſi illi pro patria, pro liberis dimicant, non ideo promptiores eos eſſe quàm nos oportet. Neque enim minùs eſt, imò haud ſcio, an etiam ampliùs nobis, quàm pro noſtris decernere. Pro nobis præliamur, & cùm præliamur pro gloria, ne minores ſimus eo quod ſumus. Quis ergo dubitet plus eſſe pro gloria decernere, quàm pro ſalute? Nobis autẽ bellum hoc pro exiſtimationis eſt periculo, ne ius partũ intercidat. Periclitamur etiam victores gentium & principes orbis terrarũ: Iudæis pares videri, quos ex æquo nobis in aduerſariũ conſtituimus, ſi non aliter niſi pari numero cõgrediamur. Maiores noſtri magnas hoſtium copias parua manu frequenter



quenter fuderunt. Et quid nobis conferunt quotidiana exercitia? quid diuturnus labor, ſi pares ad prẹlium venimus? Nuntiauimus quidẽ de numero patri, quia non licebat aliud, ſed aduertat nos non de periculo metuiſſe, ſed reuerentiam belli arbitrio reſeruauiſſe. Licet prælibare bellum, tenere hoſtem, rapere victoriam, dum adiumenta veniunt: ne non tam ſuperatos aduerſarios communi robore, quàm protectos nos virtute ſua iactẽt qui venerint. Quo igitur ore in conſpectum patris veniemus, ſi bellum incipere timuerimus? Quo pudore degener filius ſubibo oculos tanti viri, qui neſciat militem ſuum niſi victorem videre? Quomodo eius me militem probabo & filium, cùm ille ſemper triumphator: ego etiã meo, quod grauius eſt, victus iudicio, qui hoſti Iudẹo ceſſerim? quid vobis fiet condemnato Duce, quẽ vobis pater ſecurus commiſerit? Sed malo de virtute Ducis vos, quàm de ignauia cauſas dicere. Proruamus igitur in aduerſarios, properemus, proteramus hoſtem. Primus in periculum excurrã, vos

vos ſequimini, vt depoſitum patris cuſtodiatis, & cõmiſſum patris reſeruetis. Ego autem non periculi ſocios exigo, ſed conſortes victoriæ. Vos tamen cauete, ne oblatam vobis palmam triumphi, alijs reſeruaſſe videamini, vobis eripuiſſe. Certè ſi ſecus ceſſerit, malo me filium pater in vulneribus meis recognoſcat: ſi in militibus ſuis non recognouerit. Ponamus tamen offendi patrem prælij aggreſsione. Quid igitur tolerabilius præripuiſſe victoriam, an deſeruiſſe? In præripiendo properatio fortitudinis eſt, in deſerendo culpa ignauiæ. Condemnet certè victores pater, reatum huiuſmodi non reformido: malo reus eſſe triumphante Republica, quàm innoxius. Vtinam Manlij Torquati filium, vel in ſolo mihi liceat imitari periculo, quem ſecuri pater iuſsit feriri, quod contra imperium patris exercitũ in hoſtem produxerat. Stabat hoſtibus cæſis adoleſcens, amictus adoreis triumphalibus, ſub carnifice mortis ſecurus, quoniam beatiſsimum putabat victoria mori. Quid enim illuſtrius, quàm vitam triumpho claudere,

Manlius Torquati filius.



dere, nec ad incerta rerum ſeruari poſt certam victoriã? O expetendum prudentibus crimen victoriæ. Vtinam & nobis hoc obijciatur, quòd vicerimus. Certè illo exemplo ſolus ego periclitabor, vos triumphabitis. Et tamen non prohibuit nos pater pugnare, ſed iuſsit, quos ad pugnam direxit. Vnde magis indignaturũ arbitror ceſsiſſe nos Iudæis, cùm poſſemus vincere, quàm pugnauiſſe.

## Caput XXV.

HAec dicens, primus equum in hoſtẽ egit, & clamore magno ſequuti cæteri: toto campo extendebãtur, quo etiam plures æſtimabantur. Traianus quoque cum trecentis equitibus miſſus à Veſpaſiano, iam progrediente Tito ſuperuenit. Nec diutiùs reſiſtere potuerũt Iudæi, cùm virorum contis, & fremitu equorum perturbarẽtur. Conuerſi itaque in diuerſa alij, plerique vrbem petebant. Emicat Titus, & alios à tergo fugientes opprimit, alios cædit, palantes vniuerſos præuerſo itinere à muris repellit, & obuius recurrẽtibus fugam intercludit.

cludit. Rurſus tamen dum alij ſternuntur, elapſi alij, quibus vrbs refugio erat: ſed illis quoque acrius prælium. Nam qui de locis finitimis affluxerant, à principio pacem prçferebant, ſed populus ſuperueniens inuitis bellandi ſtudia extorſerat. Inde intra vrbē diſſenſio, & tumultus grauis, quo ſtrepitu excitus, ſe conuertit ad milites Titus: Hoc, inquit, eſt tempus ſanctiſsimi commilitones, quod expetebam. Inter ſe hoſtes intra vrbem tumultum ſerunt, foris cæduntur, intùs digladiantur. Feſtinemus itaque, dum adhuc diſsident, ne fortè periculi metu in gratiam redeant. Itaq; aſcendit equū, quo deſilierat, muris proximus, & conuerſus ad lacum, per fluctus aquarū vrbem petebat, primusq; in vrbem irruit, & poſteà cæteri. Statimque omnes, qui interiùs erant, diſperſi in fugam, alij proſternebantur, alij deſcendentes nauigia, in lacum demergebantur, cæſi intùs multi mortales. Sanè qui de agris erant, offerebant ſeſe Romanis alienos culpæ aſſerentes, quibus pio moderamine Titus parcendum putabat, ſolos vrgens


vrgens rebellionis autores. Miſit itaque ad patrem equitem, qui nuntiaret euentum victoriæ. Quo delectatus Veſpaſianus, & maximè filij triumpho, qui maximam portionem totius belli confecerat, quod aduerſus Iudæam gerebatur, eò contendit, & iuſsit obſeruari vrbem diligentiùs, ne quis elaberetur, eò quòd vniuerſi pœnæ deberentur. Alio tamen die, propter eos, qui in ſcaphas ſeſe contulerant, rates fieri iuſſit: quæ ſine mora factæ, quoniam & ſyluæ finitimæ, & operarij plerique accelerandi muneris facultatem dedêre.

## Caput XXVI.

NAmque lacus ipſius velut quodam maris ambitu ſinus ampliſſimus, in longitudinem centum quadraginta extendit ſtadia, latitudine quadraginta diffunditur, criſpātibus aquis auram de ſeipſo ſibi excitans. Vnde & Geneſar dicitur Græco vocabulo, quaſi generans ſibi auram aquæ dulcis, & ad potandum habilis. Siquidem nec

paluſtris vliginis craſſum aliquid aut turbidum recipit, quia ab arenoſo vndique littore circumuenitur, & temperatior eſt fluuialis aut fontis rigore. Frigidior tamen placidæ paludis æquore, eo ipſo quòd nō in ſtagni morem ſternitur aqua, ſed per diffuſiora ſpatia lacus frequentiùs auris ſpirantibus agitatur: vnde & purior hauſtus eius, ac mollior eſt ad vſum bibendi, & ſi quis naturali gratiæ ſtudium adiungere velit, vt æſtiuis ſuſpenſam, ad auras noctibus more incolarum potui patet, haudquaquàm à niuis ritu diſtare arbitretur. Genera quoq; piſcium guſtu & ſpecie, quàm in alio lacu præſtantiora. Res exigere videtur, vt Iordanis ortum, quē alibi promiſimus, aperiamus: Nam ſuperioris æui dubio, vtrum de lacu Geneſar flumen, cui nomen Iordanis, exoriretur, Philippus Tetrarches Trachonitidis regionis falſam opinionem redarguit, erroremq; abſoluit, mittens paleas in Phialam, quas in Pannio fluuius ebulliuit. Vnde liquet non exordium eſſe Iordanis in Pannio, ſed fluentum. Nō enim ibi fons eius eſt, vt

Deſcriptio loci Geneſar.

Iordanis ortus hîc aperitur

vt



vt ab eorum cæterorum vſus fluminum cœperit, ſed de Phiala eadē ſubterraneis deriuatur meatibus: ibi iterū quaſi fons ſcaturit, atque emergens proditur. Eſt autem Phiala in Trachonitide terra, centum viginti interiacentibus ſtadijs, vſq; ad vrbem Cæſaream. Phialæ autem nomen ſpes dedit, quaſi rotæ qualitatem exprimens, quòd ita iugiter plena eſt aquarum, vt neque ſuperfluāt, nec rurſus aliqua deriuari minutione intelligantur. Inferiùs itaque menſura quadā labitur aqua, & vbi Pannium eſt rurſus ebullit, vt paleis reſurgentibus manifeſtatū eſt. Ita ibi Iordanis reſurrexiſſe proditus eſt, vbi naſci à ſuperioris temporis viris exiſtimabatur. Nec tamen à principio eadē Pannij, niſi ſola naturalis gratia, ſed regalis Agrippæ munificentiæ ornatus loco huberior, ſplendidiorque aditus, quo ſpelęum decore admirabili, per quod ſeſe attollit Iordanis, extructum venuſtatumq; accepimus. Vnde non latenti iam neque abdito per cauos terræ meatus, ſed viſibili per terras, atque aperto flumine incipiens, ſuperfundere ſe Semechoniti-

Phiala flumen.

chonitidem lacum, paludesque eius interſecat. Inde quoque curſus ſuos dirigens, centum viginti ſtadia ſine vlla interfuſione progreditur vſque ad vrbē, cui Iulias nomē: poſteà lacum iſtum, qui Geneſar dicitur, medio tranſit fluento, quibus ex locis plurima circumuagatus deſerta, Aſphaltide ſuſcipitur lacu, atq; in eum conditur. Itaque duos lacus victor egreſſus, in tertio hæret. Prætendit autem regio Geneſar, eiuſdem nominis lacum, de quo & ipſa vocabulum aſſumpſit, mirabili naturæ gratia, & ſpecie pulchritudinis. Nam & ſpontaneos fructus ſoli hubertas miniſtrat, & nemorum ferox in vniuerſa genera ſpontè ſe ſubrigit: arborum pomiferarum & culturę ſolertia imitata naturam, in quos voluit vſus, opimæ fœcūditatis deflexit gratiā, vt nihil ſit illic, quod natura negauerit, nihil quod cultura præterierit: ita aptus omnibus, nec vllis vnquàm alienus fructibus. Cuius tanta temperies, vt omniū naſcentium conueniat diuerſitati. Illic & quæ frigore aluntur, ſeſe multipliciter effundunt, & quæ æſtu fouentur. Illic

deſcriptio Geneſar ciuitatis.



licę æſtiua hybernis mixta ſimul aſpicias, arctoas nuces, & dactilos niſi locis feruentioribus generari neſcios. Quid ficus aut oleas loquar, quas cœli mollior alit tractus? Nec tamen æquantur illis ſuperioribus: Illi enim principales Paleſtinæ, & quidem domeſtici fructus eoq; huberiores: hi ſuppares, & licet lōgo interuallo, ſed tamen proximis, dicas naturæ & temporum iucundam contentionem. Illa quaſi mater fœcunda omnia creat, horum temperies quaſi bona nutrix, molli fœtu vniuerſa educat. Itaque non ſolùm affatim generantur pomorum diuerſitates, ſed etiam conſeruantur, vt aliqua genera maxima parte anni non deficiant: reliqua omnia tota anni ætate vſque ad finem ſuperſint. Nam & vuæ & ficus, quæ ſunt in inſitiuis, regalis cuiuſdam gratiæ, decem menſibus ſine vllo defectu redundāt, & reliqui fructus ramorum, quos vel violentia rura ſponte propria procreauerint, vel ingenerauerint induſtria humana, miniſterium ſuum, niſi nouis ſuccedentibus,

 vſu

vſu quodam adminiſtrantium deſerere non norunt. Ad hanc naturæ fertilitatē & aeris temperiem accedit & fontis gratia, qui memoratam regionem genitali quadam irirgat infuſione, Capernaum nomē ei, quam Nili fluminis venā haud ſuperfluò quidam æſtimauerūt. Non ſolùm quia irriguis arua opima, verumetiam quia huiuſmodi creat piſcem, vt coracinum putes, qui in Alexandrino lacu ex Nili infuſiōe reperitur. Locus quoque de nomine lacus dictus. Prætenditur in longitudine triginta ſtadijs, in latitudine viginti. Quoniam de natura loci diximus, ad conſummationem prælij regrediamur. Præparatis itaque ratibus, ſecundum præceptum ſuum manū militarem impoſuit Veſpaſianus, qui inſectaretur eos, qui nauigiorum effugio peſtē euaſerant. Quid igitur facerent non reperiebant. Nullus in terris ſalutis locus, circumfuſa hoſte omnia, nulla in aquis fugiendi poteſtas: vtpote lacu clauſo, & vndique Romanis circundato. Nulla etiam in exiguis myoparonibus reſiſtendi fiducia. Quid enim pauci aduerſus pluri-

mos



mos facerent? Ratibus appropinquantibus tardior quidem harum appulſus, & efficacior excurſus nauigiorum, ſed ſine vllo ſui vulnere ſoli clypeorum repercuſſis ſpiculis crepitus audiebātur. Appropinquare non audebant Iudæi, nec impunè quiſquam ſcapha propiùs acceſſerat, cùm de proximo facilè vel telorum figeretur ictibus, vel ratibus demergeretur. Et ſi quis enare, vel emergere tentauiſſet, ſagittæ iaculo inſertus miſerabilem in fluctibus vitam deponebat. Nec diutiùs reſiſtere potuerunt, cùm diuerſo genere minuerentur. Nanque paulatim concurrentibus plurimis ratibus, ad littora cogebant Romani maximum numerum nauigiorum. Illi verò coarctati aut in terram reſiliebant, ibiq; à Romanis interficiebantur, aut cædebantur ab ijs, qui de ratibus vrgebant, aut concurſu ratium proterebantur, aut ipſi ſe in lacum deijciebant, cū in ſcaphas eorum hoſtis inſiliret. Cerneres mixtas ſanguine aquas, plenum cadaueribus lacum. Nulli enim parcebatur quicunque occurrerat. Grauis odor, teterrimus fœtor

 loco-

locorum. Sex millia Iudæorum cum ſuperioribus tamen & ſeptingenti eo interempti prælio. Victor Veſpaſianus Taricheas reuertitur: illic regionis populum ab vrbano diſcernere parabat, vt qui non fuerant autores ſeditionis, reſeruarentur. Sed plurimorum conſilio, qui tãtam ſupereſſe multitudinem, quę poſſet recidiua prælia reſuſcitare, paci aduerſam, & inutilem locis arbitrarentur (vbi enim conſiſterẽt patria excuſſi? quibus ſe alimonijs ſuſtentarent exortes omnium, niſi rapto viuerent? ſententiam flexit, & ſpe parata venia mortis præcepit, vt egrederentur ea porta; quæ eſſet è regione Tiberiadis, atque ad eam vrbem contenderent. Facilè crediderũt, quod exoptabant. Cœperunt egredi, ſed præoccupato itinere, commeantia Iudæorum omnia clauſere agmina, atque in vrbis ſtadium introduxêre. Ingreſſus itaque Veſpaſianus, ſpectata ætate vel robore omnium, quos ſibi ſtatui præceperat, elegit ſex millia iuuenum validiorum, quos Neroni in Iſthmon direxit. Senes autem & inualidos mille ducentos



tos iuſsit necari, reliquorum triginta millia, quadringentos vendidit. Vniuerſos autem, quicunque de partibus regni Agrippæ reperti ſunt, Regi donauit, quos æquè Rex accepto pretio, in ſeruitutis obſequia tranſmiſit. Propterea populus alius Trachonitidis regionis, & Gaulanitidis, & Ioppeni, & Gadaritę, tãquàm belli excitatores, & perturbatores concordiæ, deſerentes propria, incurſantes aliena, qui ſumptis armis pacem violaſſent, iuſtas & debitas pro flagitiorum meritis pœnas dedêre.

# EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANAE vrbis, hiſtoriæ Liber IIII.

## Caput I.

Deſcriptio ciuitatis Gamalę.

EXtinctis Taricheis maxima ex parte, Romani Galilæis vrbibus & finibus potiebantur, niſi q̃ Gaulanitidis regionis vrbs Gamala contumacis populi alebat ſpiritus, locis nixa aſperioribus. Nanq; ea in monte eſt ſita, dextra læuaque præruptis circumciſa rupibus, ad ſummum arctatur, à fronte abſcinditur profundo hiatu, in poſteriora aliquantum diffunditur. Ab ea quoque parte anguſtoque difficilique acceſſu, vt caudę ſimile iter iudices, ad vrbem meantibusà: ſummo vertice collū in immenſum extendēs, vt arcem tanquàm caput præferat, atque in ſublimem erigat altitudinem: exilis à principio, & tanquàm ſinuato cliuoſis anfractibus ſolo, atque in profundū demerſo. Dein quaſi mon-

tem



tem quendam ceruicis medio attollens, cætera prærupta atque inuia. Vnde plerique à ſuperioribus Camalam vocitatā putant, quòd formam cameli præferat, ſed corrupto incolarum vſu Gamalę nomen vrbi inhæſiſſe. Iam ſi contexta ædificia ſpectes, ſuſpenſam vrbem arbitrêre, & maximè ſeptētrionalem eius partem pendere exiſtimes, reflexa pauliſper meridiana. Addiderat quoq; huic vrbi munitiones Ioſephus, quibus freti, & confluentis eò multitudinis numero, Regis Agrippæ per ſeptem menſes obſidionē luſerant. Nam & ipſa & Sotanis & Seleucia regni eis portiones erant. Seleucia iuxta amœniſsimum illud & celebre per Syriam Daphnes nemus, cypariſsis arboribus intextum, ſcatēs fontibus, quibus prætermeanti fluuio loci, quem minorē Iordanem vocant, nutrimenta quædam lacteis huberibus infundit. Ea tamen ciuitas, & Sotanis ſuperior, Gaulanitidis portio, inferior Gamalis. Vnde & ſtudijs diſſonantibus illæ ſocietatem Romanā elegerant. Hæc rebellebat adeò pertinaciter, vt cùm Rex proprior muris eos al-

Gamala pri' Camala vocitata.

loqui

loqui vellet, fundæ iaculo ſauciaretur, Cuius iniuria Romani accenſi, vehemẽtiùs incumbere obſidoni cœperũt: conflictũq; promptiſsimè à parte vtraque, quoniam à Iudæis quoq;, qui Regẽ proprium violauiſſent, vtilia ſuadentẽ, ſine vlla venia ſe futuros æſtimantibus, ſi vinceret, totis viribus decernebatur. Agrippa itaq; ſaxo dextrum percuſſus cubitũ, bello exceſsit: Romani vrbem irrupêre. Ceſsit enim hoſtis miſsilibus, murus arietibus. Nã & illi, qui machinas impediebãt, nequaquã diutiùs reſiſtere potuerunt: Et murus trino ariete conuulſus, peruiũ obſidentibus in obſeſſos iter præbuit. Sed ea res feſtinationis impatientia non mediocrẽ victoribus cladem inuexit. Nanq; vbi ſeſe infudêre domicilijs, dum perſcrutantur, vel præceptũ ire ſpolia contendũt, cedentia domorũ anguſta ponderi nutantibus fundamentis, ruinã traxêre: & proxima quæq; proximis illiſa excidio erãt. Multi Romanorum illis inuoluti caſibus, in victoria peſtem incidêre. Pleriq; præiacentes ſe lapſis ædibus occupabantur, alij lacero corpore, vix

Agrippa ſaxo percuſſus.



vix ſemineces ſeruabantur. Pleroſque puluis necabat, cædebãtur anguſtijs arctati, deſuper quoq; mulieres & inualidi ſenes, & qui de iunioribus refugerãt, ſaxa in ſubditos deijciebant, vel quæcũque genera telorum occurrerant. Caligo infuderat omnia, proſpectum eripuerat, mentem cõfuderat, ignorantia quoque exitũ non reperiebat. Vix itaq; ſubtrahẽtes ſe periculis vrbis exceſſere. Veſpaſianus intereà, dum vrget hoſtem, in interiora vrbis conceſſerat, mediuſque inter agmina circunfuſa, hoſtium bellum accendebat. Neque enim hoſti terga dare tantum conueniebat virũ, neq; tutum putabat: In Syriam direxerat filiũ ſuum Titum, excitauit notę virtutis cõſtantiam, & ſeſe in arma colligens, conſertis clypeis, cũ paucis, quos præſentes habebat, imperterritus ſtetit, quaſi in quos ſeſe excuteret conſiderans: cuius impetum formidantes Iudæi, minore vi inſiſtere cœperunt, & metuentes ſibi quiſq;, laxâre aciem. Ita Veſpaſianus hoſti aduerſus, paulatim gradũ retulit, prę liãtibus ſibi magis ſimilis ꝙ cedentibus. Illic

Veſpaſianus medius inter hoſtium agmina.

Buti⁹ multis probatus bellis.

Illic cum decem primis excidit Butius, multis antè bellis probatus, & apud Iudæos notæ vir experientiæ, & validæ fortitudinis. Centurio quoque cum decem alijs Syris rem egregiam fecit ac memorabilem. Nam in ipſo tumultu, cùm Romanos vrgeri cerneret, in abdita cuiuſdã domus ſeſe contulit, atque ibi inter cœnandum, cùm Iudæi colloquerentur, quæ Romanis machinati forent, nocte intempeſta omnes eos interfecit, & cum militibus Romano ſeſe exercitui repræſentauit.

Centurio rẽ memorabilẽ fecit.

## Caput II.

Cõſolatoria Veſpaſiani oratio.

VEſpaſianus autẽ vbi mœſtum exercitum animaduertit, plurimorum amiſsione, & maximè deſerti Ducis pudore, quòd eum ſolùm intra vrbem hoſtium reliquiſſent, cum ſumma eos gratia conſolabatur, dicens: Si mei ſors periculi verecundiæ vobis eſt, nec ego ſic ad bellum proceſſeram, vt declinarem pericula, ſed ſuperarem: ſin verò, quia & de noſtris plerique interfecti, nequaquàm mirandum: quando enim victoria vlla ſine



ſine ſanguine eſt? Habent prælia ſuos euentus. Etſi ſpectata virtus præeminere ſoleat in bello, ſolet tamen aliquid licere caſibus. Sed prudentis eſt in aduerſis lapſum corrigere, in proſperis moderationem tenere. Contrà autem rudis cuiuſdam atque ineruditi ingenij, ſecundos ſemper ſucceſſus præſumere, quaſi non aduerſum viros certamen ſit: Infirmi autem, lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cùm exiguis momentis ſubitò inclinentur omnia, quæ in bello geruntur. Itaque ille præſtantiſsimus, quæ inter aduerſa ſobrijs colluctatur caſibus, & ſupplantat ſuperiorem: ſeque reparare, & corrigere proprias quærit prolapſiões. At verò incurioſior ſuis ſæpè motibus cadit, & dum irruit incautus, impetu ſuo fuſus procumbit. Quòd ſi hoc ſæpè accidit, vbi nuda virtus, quantò magis in bello, vbi diuerſi generis conſerta decernunt agmina, nec vnum conſiliũ, nec conſors ſententia eſt? Locus aduerſus, difficiles aſperitates, iniqua in anguſto decernendi conditio plurimis aduerſum paucos: cùm & ipſa multitudo ſibi

 oneri

oneri ſit,& pauci in pluribus minùs fru ſtrentur. Sed hæc ad momentum ſæpè obrepunt, quæ non ex virtute veniunt, ſed caſu accidunt. Vnde nihil eſt, angere quod vos debeat commilitones: quia nō per infirmitatem aliquam manus veſtræ, neque per fortitudinem Iudæorum verſæ res, ſed difficultas locorum nobis ad victoriam impedimento fuit, illis ad differendum moræ. Neque quicquam eſt, quod argui poſsit, niſi inconſultus impetus atque increditus. Etenim dum ad ſuperiora vrbis illos ſecuti fuiſtis, atq; irruiſtis in domos eorum, ipſi vos periculis implicauiſtis. Quorum ſucceſsiſtis hoſpitia, ſuſcepiſtis pericula. Tenebatis vrbem, quis vos coegit introrſus pergere? Deſcendere ad vos hoſtis debuit, non vos intemperantes ad victoriam, immemores vitæ ac ſalutis contendere. Reparate ergo animos, & de virtutibus veſtris nō ſolùm ad conſolationem, ſed etiam, quod eſt amplius, vindictam præſumite: me certè habebitis præuium pugnæ. Eſtote parati armis, animis, pericula vos fortiores fecerint, non timidiores: facile


facile eſt iniuriam ſoluere, ſi virtus ſe recognoſcat.

## Caput III.

HIs dictis accendit militum fortitudinem, quibus reparantibus vallum, pleriq; per prærupta ſubtraxêre ſe obſidioni. Nam iam & alimoniæ inopia inceſſebat, & infracta muri ceſſura machinis arbitrabantur. Vnus deinde fons intra vrbem, & ipſe muris proximus erat, quæ res eos in ſummo timore poſuit, vt frequentiſsimi dilaberētur. Qui verò permanendum putarunt, pertinaciter præliabantur. Intereà Romani turrem altiſsimam ſuffodientes, vi maxima ſubruerunt. Quo caſu concuſſa ciuitas, perturbati omnes totius vrbis pauentes ruinas. Vnde & Chares æger corpore, tāti terrore ſonitus exanimatus, mortē impleuit. Romani tamē patefacta vrbe, ingreſſu abſtinuêre, donec Titus ingreſſus eſt, qui dolore paterni periculi excitus, cum paucis in vrbem irruit, & maximam Iudæis cladem inuexit. Tantùm qui in ſuperioribus erant, ſaxa voluētes,

Chares exanimatus ſonit' terrore.

Titus vrbē ingredit.


acceſſu

acceſſu prohibebant Romanos: Spicula torquebant, ſagittas iaculabantur. A Iudæis impulſa facilè in pronum ſaxa deuoluebantur, miſsilia perueniebant, deſcendebant ſagittæ non ſine eorum periculo, quos offenderant. Romanis aduerſum editiora montis iactus inefficax, conatus irritus, atque ipſis periculoſus: cùm ſubitò orta venti procella, Iudæorū retorquebat ſagittas, repellebat ſpicula. Quæ verò Romanus exercitus iaculabatur in hoſtem, ferebat: ita elementorum ipſorum repagulis, & ventorum turbinibus oppreſsi, ſupremo excidio captæ vrbis vniuerſi, quicunque illic reperti ſunt, interiêre. Quatuor tantùm millia à Romanis interfecta, quinq; millia præcipitio perijſſe accepimus, nulli ætati venia data.

## Caput IIII.

GIſcala adhuc ſola de partibus Galilææ in ſe hoſtem non conuerterat, quoniam incolarum eius quietiora ingenia, vtpote plebs agreſtis, cōtēta ſuis fructibus, nihil belli conferebant, ſed

multorum



multorum coalitu, qui latrocinio vitam exercerent ſuam, etiam mitiorum ſtudia prauis moribus corrumpebantur. Erat præterea vir leuis Iohannes nomine indigena, populi lues, dolis nulli verſutorum ſecundus, improbitate parem neſciens, cui nunquàm defuerat nocendi affectus, aliquandiu tamen fuerat inopia exercendæ iniquitatis impedimentum. Quid tamen definiam, haud liquidò ſcio, vtrùm eum indigētia texerit, an repreſſerit: doli callidus, fallendi artifex, doctus mendacijs fidem quærere, & credulitatem compoſitis aſciſcere, qui fallaciam virtutem putaret, & elegantię duceret, & chariſsimos circūueniret: promptus ad conſpirandum, vehemens ad audendum, acer ad efficiendum, conturbator in otio, deſertor in periculo, aſſuetus latrocinijs, bello inſolens, qui cùm perſequi nequiret, ſereret tamen parandæ cauſas dominationis. Huic igitur animus inquietus, prompta audacia, quam proceſſus alebant, opeſque ad conſociandam perditorum manum. Vnde cùm eius factione, memoratę vrbis populum

Iohannes indigena, populi lues.

 excita-

excitari ad bellum Veſpaſianus comperiſſet, ne totum exercitum defatigaret, filium Titum cum mille equitibus direxit: quibus comitatus ad vrbem appropinquauit. Sed vbi muros populo vidit refertos, mirari ſe ait, quòd eorum exemplum ſequerentur ad rebellandum, quorum excidio reſipiſcere debuiſſent. Eſto tamē, vt primò tentamēta habuerint aliquid præſumptionis, quid vniuerſorum exitia ſpei ferrent? Veniabilis certè fuerit in principio ſpes libertatis; inexorabilis tamē eſt in vltimis & deſperatis rebus perſeuerantia. Nam qui non exemplo humanitatis, non ſedulò verborum monitu flectūtur, aduerſum eos non verba, ſed arma neceſſaria ſunt. Muris fiditis quaſi aduerſum Romanorum virtutem vllos protexerint. Quid aliud poſſunt clauſi præferre, circunſepti prætendere, niſi quòd in captiuitate audaces ſint? Nemini erat loquendi poteſtas, occupauerat enim omnem murorū ambitū prædatoria manus: Cauebat Iohannes, ne quis colloquio familiari Romanos inuitaret: Itaq; ipſe præripuit ſermonis

Veſpaſianus Titū filium cum mille equitibus dirigit.



monis relationem, dicens: libenter ſe tractatū ſuſcipere de rebus communibus, nec experiendi vſum declinare, ſi fortè ipſe vtilia ſuadeat, aut his, quę referūtur, acquieſcendum ſit: ſed prohiberi ſe lege patria, cùm ſuperſit hebdomadæ ſacræ dies, tractare de pacis conditionibus. Siquidem vt mouere arma interdictum, ita etiam illicitum conſulere de pace feriatis diebus. Etenim de negotio verbis ſaltem decernere, & illis ſacrilegiū, qui cogerentur, nec illis inultum, qui cogerēt: Veniā ſe vnius diei poſcere, dilationē tam exiguā nequaq̄ impedimēto futurā: Neq; enim circumfuſo hoſte, effugium clauſis liberū, offerri ſibi arbitriū pacis, tam ęquali optione formidinē obeſſe: vrgeri ſe interim nō oportere ad pacis conſulta, quibus religioni eſſet contra legē patriam non præuaricari: conuenire autem tam liberali pacis oblationi, vt qui præter ſpem ſpontè offerat pacem, ne quis periclitetur, euaſuris etiam leges ſuas reſeruet. Hæc ſine dolo Titus allegata arbitratus, receptui cecinit: & reuocauit à muris, quos ſecum deduxerat.

 Ita

Iohannes nocte intẽ pesta abſceſsit.

Ita Iohannes fugiendi adeptus copiam, nocte intempeſta cum pleriſque abſceſſit. Sequebantur etiam mulieres proficiſcentem. Sed quò vlteriùs progrediebantur viri, eò plures mulieres vel paruuli relinquebant, deſerteq; à ſuis ſpectabãt pauidæ viã fœminæ. Et cũ iã viros proprios è conſpectu amitterent, hoſtẽ adeſſe arbitrabantur, ad omnem tremẽtes ſonum. Si quis concurreret, miſerè conuerebantur ſeſe peti, ſibi catenas inijci trepidantes, quaſi iam præſentes eſſent, qui timebantur. Titus itaque iuxta conuentum iam ſole infuſo, ad vrbem cum exercitu contendit: aperiuntur portæ, egreditur populus cum exultatione, & Romanos cum lætitia ſuſcipit & alacritate: abeſſe gaudens peſtilentem virum, fugiſſe per noctem, ſibi liberam facultatem datam: Orare ſe veniam, ne fraudi ſibi eſſet eius fuga, quem tenere ſine ſuo exitio non poſſent. Ille dilatione vindictæ conſolatus, conſummati negotij celeritate, ad comprehendendum Iohannem è veſtigio plurimos miſit, ſi fortè eũm conſequerentur. Ipſe vrbem ingreſ-





ſus, minis magis quàm ſupplicio affeciſſe contentus pacis perturbatores, remiſit omnibus, ne quis vel odio, vel domeſticis excitatus negotijs, innoxios in inuidiam deduceret, & grauiſsimi criminis pulſaret atrocitate: cùm multò tolerabiliùs ſit id, quod incertum eſt, formidini participis conſcientiæ derelinquere, quàm condemnare innoxium. Sæpè enim reum corrigit metus: pœna autem innocentis ſine vllo remedio correctionis eſt. Iohannes itaque nõ eſt repertus ab his, quos direxerat Titus, ſed reperti, qui ſequebantur eum, paruuli vel mulieres ad duo millia ferè interfecti: tria millia autem infirmæ ætatis & ſexus, vbi ſatietas necandi facta, captiuitati adiudicati ſunt. Cuſtodiam militarẽ ciuitati impartiuit. Itaque Galilæa omnis in poteſtatem Romanam deducta. Nam & Thabirius mons, cuius altitudo triginta ſtadiorum, vertex autem ipſe campeſtris viginti & tribus ſtadijs iacet, penuria aquæ ab alijs deſertus, ab alijs orata venia Romanis traditus: licet virtute quoque & induſtria Placidi, cui id negotij à Ve-

ſpaſiano commiſſum fuerat, omnis conuenarum turba, dum cedentem ſequitur, & arte reuocantem gradum perurgeret, campi medio circũfuſa, refugium amiſerit, peſtem inuenerit.

## Caput V.

Adoriſ ea, quę Hieroſolymis geſta ſunt.

HActenùs circũuagari licuerit, dũ templi ſancti à Maioribus cõditi, & ſacrę legis contagia refugientes, circa alias vrbes ſtilum occupamus: ſed tempus eſt iam, vt quæ Hieroſolymis geſta ſunt, adoriamur, non ingenio freti, ſed ne patriæ legi veteriq; cultui, noſtri doloris videamur negaſſe miniſterium: fuerit in illis licet vmbra, non veritas, ſed tamen vmbra deſignat veritatis veſtigia. Habet enim picturæ liniamenta vmbra, fulgorem non habet, nec ad ſummam perfecta eſt manum, ſed diligenter intuentibus futura exprimit: & ideo minùs delectat figura, plùs illicit gratia. Vnde placuit rerum arbitro abolere vetera, noua condere: vt veritatem ſequerẽtur, qui per anguſtias infidelitatis imagines non ſequebantur.

Caput



## Caput VI.

FVgiens (vt ſuprà diximus) de Galilææ partibus Iohannes, ad Hieroſolymitanam vrbem ſe contulit, & quaſi quædam peſtis inficit animos plurium, qui ex diuerſis regionibus Principes flagitiorum eò quaſi in ſentinam conflu-xerant. Hoc enim illi vrbi maioris cauſa excidij fuit, quia quod ſcelerib⁹ ſuis deferebant perditi, vt eò conuenirent plerique, vbi vel tutiores ſe fore crederent, vel inſolentiores ad flagitia coaceruanda fidei deferre æſtimabantur. Recipiebantur itaque paſsim, quaſi pio templi amore defenſum venirent. Hæc prima labes malorum: Hinc oppreſſa eſt paucorum manſuetudo per plurimorũ inſolentiam: hinc itum in cædes, cùm minùs parceret alienus: hinc conſpiratum, vt legis ſolennia negligerentur, ſacerdotia à bonis ad improbos deriuarentur, quòd hominibus non ſolùm à pio cultu, ſed ab ipſa legis cognitione peregrinis, quòd ſanctum eſſet, ignorabatur. Vincti ſunt primò Regali genere viri,

qui

qui reſiſtebant, quo cæteri metu cederent: deinde necati, & vt flagitium velaretur, quos ſine iudicio peremerãt, miſſis in carcerem ſicarijs, eosq; affiĉto crimine proditionis interemptos, ementiebantur. Pertraĉti itaque vniuerſi metu, quòd homines potentes atque innoxij Antipas, Lebias, & Phoras tam facilè oppreſsi forent, quòd nec iam audebãt reſiſtere. Hinc eò proceſſum, vt ignobiles atque indignos ſubſtituerent Sacerdotũ Principes: vt quibus nulla emerendi honoris gratia ſuffragabatur, contra meritum ſuum adepti ſacerdotia, ad omne nefas conferentium arbitrio ſubijcerentur: ſed cùm obuiarent ſacerdotales viri, & maximè Ananus cæteris ſenior, ne per gratiam donaretur ſummi nominis prærogatiua, ſortitò creari Principem Sacerdotem expetunt, in quo nihil gratiæ, ſed diuino iudicio committi ſortis euentus æſtimaretur: & reuerà prætendebant veterem cõſuetudinem, quà ſubſtituendos in ſacerdotij principatũ mos erat ad ſortem vocari: euidenter autem ſolutionẽ legis operabantur. Cùm enim lex



lex ſacerdotalis ſucceſsionis viros ad ſortem legeret, illi ad ſpeciem de ſacerdotalibus tribubus vnum (Emachum nomine) præſentem ſtatuunt, & ad ſortem agi præcipiunt. Tunc Phanis quidam ſorte exijt, filius Samuelis incanus vir, cui nõ modò per Principes Sacerdotum duĉta ſucceſsio nulla ſuppeditaret, ſed ne vlla quidem ſcientia muneris ſacerdotalis, eò quòd ruri vacaret: & ideo, quòd eſſet Princeps Sacerdotum, incognitum habebat. Denique attraĉto ex agris, & reluĉtanti quaſi in ſcena alia perſona imponitur, induitur quoque ſacratum veteri more amiĉtum veſtium. Docetur in tempore, quid eum facere oporteret. Ita ſortis euentu expoſita eſt nequitia ſeditioſorum, vt ad imperitum & agreſtem tanti ſacerdotij funĉtio deduceretur. Sed illis ludibrio erat circumſcriptio veteris ſolennitatis, Sacerdotibus dolori: qui irrideri legem à perditis flentes ingemiſcebant. Ipſi tamen freti pietatis autoritate, & bonorum indignatione congregant ſeſe, & ſuper perturbatores irruũt. At illi cũ & cauſæ, & numero diffiderẽt, ad

Phanis agreſtis in Sacerdotẽ conſtituitur.

ad templum quaſi in arcem confugientes, velut caſtrum quoddã ſibi conſtituerunt, ad repellendam irruentis populi multitudinem: ac primò ante fores templi, atq; in ipſo veſtibulo ſiti, aduerſum populum præliabantur: ſi quis vulneratus fuerat, interiora templi petebat, illic ſanguinem ſuũ fundens interno limini, & cruenta pauimentis ſauciosiora detergens hulcera, fibræq; patentis vulneris, veſtibus his, quas non liceret illis contingere, fouebãtur. Bellum erat intra vrbem, bellum inter ciues, bellum ante tẽplum: ne hoc quidem reueriti latrones, cũ à populo inſtãtiùs perurgerent, intra ſeipſum templũ ſeſe receperũt, & clauſere ilico fores: Quo obiectu reuocatus eſt Ananus, ne videretur bellum templo inferre, & ſacratas religione maiorũ perrũpere fores templi, reflexit impetũ plebis, & ſex millia virorum in porticibus conſtituit, qui muniti armis prætenderent, ſolicitam adhibentes cuſtodiam. Paulatim tamẽ molliuit animum, vt paci conſuleretur, eo ſtudio maximè, ne templũ ſanguis ciuium contaminaret: ſuaderet quoque

Vndique bellum.

Reuocatur Ananus.



quoq; mittendam legationem, pacis ſequeſtram, vt bellum inteſtinum deponeretur. Aſciſcitur Iohãnes ad exequendã legationem, ſuſpectæ fidei vir, & affectandæ potentiæ ſuccenſus cupiditate, ſacramentum petitur, non abnuit, ne damnũ periurij pateretur, ſi negaſſet. Simulabat ſe plebi fauere, vt circumſcriberet. Quid plura? Pergit, de pace pauca præmittit, plura ſubtexit ad belli incentiuum: dicens nomine pacis *bellum inuolutum, latere inſidias, Ananum Romanis vrbẽ tradere, quò ſolennitas veterum diſſolueretur, legis abrogarentur præcepta, conponẽs è diuerſo omnia: atq; inuidiã in Principem Sacerdotũ referens eorũ, quæ ipſe meditaretur. Callidè etiã, quos ſciebat illorũ, qui cõcluſi erant, eſſe præſules & factionis principes, incitabat, parere mortis formidine aſſerens, quòd ipſis ſpecialiter Ananus exitium compoſuiſſet: veniſſe ſe, vt fraudem manifeſtaret. Maturè ſubſidia quærenda, priuſquàm ab eis pœna repoſceretur. Quid plura? pacis medius bellum accendit. Eliguntur qui Idumæos ad prælium rogent:

Aſciſcitur Iohannes ſuſpectæ fidei vir.

Aliàs, bellũ inuolutũ latere, inſidias parauiſſe Ananũ, Romanis vrbem, &c.

rogent: genus mobile, inquietum, inſolens, promptum ad diſcordias, rerum mutationibus lætum, periculi improuidum, præceps ad prælium. Itaque ſine mora flexi veniunt, congregantur viginti millia virorum, vtpote nullis intenta terrarum cultibus, ſed parata latrocinijs. Nec latere potuit Ananum aduentus Idumæorum. Denique portam claudi iubet, ne cum tumultu ingrederentur: ſed ſi fieri poſſet, veritatem cognoſcerent, bello renuntiarent.

## Caput VII.

AScendentes itaque Principes Sacerdotum murum, Idumæos de turre alloquebantur: maximo eſſe miraculo ſibi, quòd tam citò irretiti mendacijs, cauſas, quas nondum cognouerant, armis perſequerentur: cùm oportuerit eos prius diſceptatores eſſe negotiorum, quàm bellorum præliatores: & præ cæteris merita cognoſcere, quàm arma ſumere: & arma aduerſum viros ſui generis, ſui cultus, ſuæ ſolennitatis, nullis ampliùs irrogatū iniuriæ quàm Idumæis



mæis, qui ad ſocietatem flagitiorū tam grauium concitarentur. Quid enim aliud ab his, niſi parricidium aduerſum ciues, ſacrilegium aduerſus templum depoſceretur? Non ſolere diuerſa inter ſe ſtudia, diuerſosq; mores conuenire. Similitudo enim morum facit voluntatū ſocietatem, & cognata ſtudia ſibi nectit. Similitudo morū.
Nequiſsimos homines, qui latrocinio ſumptū exercerent ſuum, arrogaſſe ſibi, vt Idumæos ſibi ſocios accerſirent: tantum abhorrentes ab eorum propoſito, à quibus rogarentur, vt illi patriæ ſuæ bellum intulerint, vos verò obſecrauerint, quaſi alienam vrbem defenſum venire. Nihil vobis commune innoxijs cū prædonibus: nihil cōmune ſobrijs cū ſe inebriantibus: Vtinamque vini eſſet illa ebrietas, & non furoris. Qui vbi ſe flagitijs ingurgitarunt, diſsipando proprias ſucceſsiones, diripiunt aliena, & malè parta nequiùs diſsipant, deteriùs effundunt. Nullus rapiendi finis, quia nullus abliguriendi modus. Vbi ſe vino infuderint, & impleuerint ebrietate, publicorum eructāt crapulam negotiorum, vt

 noſtro

noſtro rurſus ſanguine inebrientur, & ſanctæ illudant religioni, quæ vobis ſemper venerationi atq; reuerentiæ affuit. Fugite igitur cœtus parricidales, & auſus ſacrilegos deſtituite, deſerite latronum conciliabula. Vocati eſtis ad conſortium ſceleris, venitis ad remedium patriæ. Videmus ornatiſsimum populum, quem venire decuit publico rogatũ conſilio, vt vrbi Iudæorum præſtantiſsimæ (quæ totius gẽtis metropolis habeatur) aduerſum hoſtes auxilio foret. Sed etſi nos defuimus petitioni, dum pacem ſperauimus, & fatigare vos properè voluimus, qui excitatoribus belli pacem offerebamus: tamẽ vos quaſi diuino arbitrio veneritis, conſulite in medium, & exhibete partis vtriuſque arbitros: Quærite vnde cœperunt exordia tumultus, qui cecinerint quietæ vrbi claſsicum, qui effuderint præſtantiſsimorum ciuium ſanguinem, quibus autoribus pœna exacta de indemnatis ſit: qui nobis ante Romanos exitio fuerint, aduerſum illos bellum parabamus, & hos iam hoſtes patiebamur: quorum igitur cum Romanis

ſuſpe-


ſuſpecta gratia eorũ, qui Romanos vindicãt, an eorum, qui Romanos repellũt? Grauiora hæc certè nobis, quàm Romanorum prælia: ab illis enim pro libertate morimur, ab iſtis quaſi pro ſcelere iugulamur. Simulantur innoxij criminũ proditionis, & poſt mortem calumnia componitur: cùm cognitio pœnam prȩuenire ſoleat, non pœna cognitionem. Quid enim prodeſt defuncto abſolui, cùm iudicio iam nihil debeat? Suſcepimus tamen etiam ſortem huiuſmodi, vt poſt necem de innocentia quæratur: & libenter apud vos quoq; cauſam agimus noſtræ defunctorumq; integritatis, qui ſtatis armati pro aduerſarijs: ita nulla argumenta calumniantibus ſuppetunt, vt apud vos quoq; grauiorẽ cauſam habeant, qui tam citò credidiſtis: bonus enim iudex circumſeptum ſe eſſe mendacijs dolet, & eò eſt fallenti infeſtior quàm appetitior: quòd temerè ſe impulſum, vt falſis crederet, vlciſcendum arbitrabatur. Igitur nobis integrum examen ſeruate, & colligite veritatem, nõ ex cõtexione verborũ, ſed ex ſerie negotiorũ.

 Primò

Primò omnium, cur Romanis proderemus patriam, quos potuimus & non laceſſere, & fortè oportuit fieri, vt non excitaremus vniuerſarum victores gentium: ſed hoc non eſt iam præſentium partium deliberare. Superioris fuit temporis eligere, quid ſequeremur: nunc oportet pro libertate occũbere. Præſtat enim pro patria mori. Commodiùs fuit ante bellum pacem morti præferre: Sed quia bellum in ceruicibus, multi iam ex fratrib⁹ capti, alij necati, alijs dolor ex mortuis, gemitus ex reuinctis: eligenda magis libera mors, quàm vita captiuitatis. Suppetit tamen morituris, falſi criminis abolere infamiam proditionis. Apud vos Idumæi cauſam agimus, prodantur conſcij, deducantur in medium nuntiorum interpretes: Si tenent, vindices prodant: ſi non tenent, quid accuſant, & vanis inſimulant ſuſpicionibus, quas ipſi ſibi compoſuerint? non debent arguere, quod non poſſunt probare. Sed quia accuſare non audent, diſsipare per vulgus deſiderãt: & ideo ad bellum proſiliũt, ne in iudiciũ vocẽtur. In bello enim cõtentus

Eligenda magis libera mors, q̃ vita captiuitatis.



tus furor eſt, in pace veritatis examinatio. Adſumus en primis ſupplicijs, nos ſpontanei offerimus, ſi tamẽ aliquis accuſator prodeat: aut ſi in populum inuidia torquetur, quærite diligentiùs, quid conſilij fuerit in cœtu publico. Nónne vt bello inſtructa pararẽtur agmina, aut pro libertate vnuſquiſque patriam iuuaret? Aduerſus ipſos certè latrones quid deliberatum fuerat, niſi vt pax conueniret? Exaſperauerat publicam indignationem dolor ſingulorum, innocẽtum ſanguis, mulierum gemitus, paternorũ ſtatutorum præuaricatio: increpuit gemitus vniuerſorum, quia vnuſquiſque ſibi ſimilia pertimeſcebat. Ad indigniſſimos ſacerdotia deferebantur, peti cœperunt vocibus: illi lapidibus plebem cędere, telis necare, exarſit publicus dolor: illi in templo latronum receptacula cõſtituerunt. Itaq; pacis locus reuerendus etiam gentibus, & domicilium ſanctitatis factum eſt prædonum conciliabulũ, & quò ex omnibus terrarum partibus confluebatur ad cultũ feſtæ celebritatis, ibi nunc ſtabula quædam ferarum ſunt,

 huma-

humano cruore madētia:licet nobis hęc quærere, vel armatis ſine lege belli. Tamē fuit plerūq; inter arma iudiciū,& iuſtitia depoſuit belli inſtrumēta, compeſcuit turbas æquitatis ſentētia. Poteſtis hæc arma ad defenſionē vrbis cōuertere, quæ ſumpſiſtis ad euerſionē:Licet etiam introire ſine armis,audire & percontari oīa:ſi quod remiſſum aduerſus hoſtē reperitis,proditionē putare. Quòd ſi neq; vindices vos, neq; arbitros exhibere vultis,quid miramini,ſi portæ armatis non aperiuntur? Non iſtæ aduerſum cognatos, ſed aduerſus arma clauſæ ſunt. Bellum deponite, & portæ patebunt.

## Caput VIII.

HAec vbi Sacerdotes locuti ſunt, & maximè Ieſus cæteris ſenior poſt Ananum, tantùm qui ſecundo loco fungebatur,indignantibus Idumæis, quòd non continuò vrbe recepti forent: Simō vnus de Ducibus Idumæorum, minimè (inquit) ſi ciues ſæuiunt, & clauſos tenent, qui nationi ſociæ portas clauſere, & non patiūtur conſortes & Principes ſuos


ſuos ingredi: nobis de muro loquūtur, & quaſi aduerſarios muris repellunt, quos amicos habebant? Quis dubitet, ꝙ parent ſuſcipere Romanos,& fortè coronare portas, quando illi ingrediuntur? quę maior iniuria? Patere nempe omnibus hominibꝰ iſta ciuitas ſolet cauſa cultus & obſeruantiæ:nobis ſolis intercluditur,quaſi hoſtibus,ſoli abdicamur,ſoli repellimur.Simulāt ſe noſtrum petere iudicium, quos ne limine quidem dignos vrbis putarunt.Lateant quę aduerſum illos geſſerunt,noſtrę iniuriæ teſtes & iudices ſumus.Aduertimus quid clauſi patiantur,quando nos arma iubemur deponere: & credibile eſſe poteſt,ꝙ eorū expectetur ſententia, quorū ſuſpecta eſt fides. Feſtinemus itaq; eripere clauſos, quibus templum carcer eſt factum, ne ſeruentur vſque ad aduentum exercitus Romani, & captiui tradantur Veſpaſiano. Auferamus à templo obſidionem, cuſtodes deterrimos remoueamus, qui neminem vel ad purgandam aluum egredi ſinunt.Si quis introferre cibū clauſis deſiderat, prohibetur: ſi quis exire,

ad mortem rapitur: crimen factũ eſt cultus religionis.

## Caput IX.

HAec audiens ceſsit Iohannes, conſiderãs auerſa Dei volũtate fruſtra ſeſe obniti: quãdoquidẽ domi foriſq; hoſtilia ſtreperẽt agmina, & gemina ex parte ciuitas oppugnaret. Fremebãt Idumæi quòd excluderẽtur. Machinabantur in templo ſiti, quomodo iungerentur Idumæis: hos angebat metus, ne Idumæi ante effectum abirent: illis extorquebat pudor propoſitum regrediendi. Et iam penè obrepſerat diffidentia, cũ ſubitò nocte oritur procella intolerabilis, tempeſtas atra, fremunt venti, cœlum inhorreſcit, vis imbrium multa infunditur, terribiles choruſcationes, tonitrua immania, terrarum mugitus, vt ſolui mundus æſtimaretur. Quis crederet plus nouaſſe iſtud intra vrbem poſitis, quàm extra vrbem degentibus? cùm vtique hi tectis muniti forent, illi obiecti ad imbres: ſed ampliùs terruit iniuriæ metus, quàm ipſa iniuria. Deniq; illi, qui nulla

habebant


habebant refugia tectorum, clypeis ſeſe tegebant manentes in officio, nec dilabentes: iſti circa domos ſuas, quiſq; diſperſi locum dederũt, vt ab his, qui intra templum erant, portæ aperirentur: Anceps tamen & diuerſa populi ſententia: Alij Deum ſummum indignantem Idumæis, tempeſtates mouiſſe arbitrabãtur, quòd aduerſum Principes ſuos armati venerant: Ananus & profundiora ſeniorum ingenia, coniectabant Idumæos iniuria ſui ampliùs excitari in ſociorũ perniciem. Denique ſolicitior cæteris noctibus, Ananus illa nocte non fatigatione corporis, ſed animi magis deſperatione ſolutus, ceſsit rebus aduerſum ſe fluctuantibus, & militantibus in excidium ſuum mundi procellis: nec reuiſendas putauit cuſtodias, quaſi daret autoritatem delabẽdi quò cuique eſſet ſententia. Quam occaſionem nacti qui in templum refugerant, ſurgentes ſecuerunt vectes portarum. Cooperatus eſt illis fragor cœli, vt ſerarum ſonus non audiretur, & tumultus egredientium. Deinde veniẽtes ad murum, portã, quæ


vicina

vicina erat Idumæorum cœtibus, reſera uêre. Vltimus ille dies vniuerſo populo fuiſſet, ſi non ad templum, *quàm ad vrbis ſignum dirigendum putaſſent. Sed quia metuentes ſibi, qui intra templum clauſi tenebantur, ne cognito ingreſſu Idumæorum, in ipſos circumfuſæ plebis impetus fieret, vt vindictam morituri expoſcerent, rogauerunt, vt ipſi primitùs cladi eximerentur: tunc poſteà liberatis ipſis, & coniunctis viribus, in populum effunderentur. Deflexêre ad eos, qui legatos miſerant oratum auxilia ſaluti, ſimul vt inſperatæ merces irruptionis autoribus eius, hoc munere potiſsimùm rependeretur. Quod vbi proceſsit ex ſentētia, ſimul omnes à templo quaſi quodam caſtro effuſi, extenta acie quoſcunq; repererant dormientes, alios perterritos, alios totis cædebant vijs. Nihil proderant preces, nil lachrymæ, nil inſignia honoris, nullorum meritorum gratia, omnes paſsim iugulabantur. Denique videntes beſtialem in perſequentibus immanitatem, quòd nulli parceretur, ipſi ſeſe illaqueabant miſerabiliore (vt

Aliàs, priùs ad vrbis ſinum,



(vt mihi videtur) exitu, quàm ſi ab hoſte perimerētur: quia voluntaria mors immanitati aſcribitur, informis laquei nodus etiam probro datur. Sed quis conſilio locus, vbi tantus erat metus ſuppliciorum, cùm metueret vnuſquiſque nō mortē, ſed cruciatus ante mortem, quibus mors remedio foret? Redūdabat vndique ſanguis, & maximè circa templū: quia ibi cōgregati erant, qui clauſos cuſtodiebant. Reperta itaque illo die cæſorum octo millia quingenti viri. Inde cōuerſi ad vrbem, ſicut gregem quendam pecorum, ita homines quoſcunque obuios habuêre, interimebant. Erat miſerabile ſpectaculum intra vrbem, omnibus antè reuerēdam, bellum geri, perniciem iniuſtam pauperibus ac debilibus inferri. Sanè iuuenes ac validiores in carcerē retrudebant, quos factioni idoneos arbitrabātur, ſed magna virtute pleriq; oīa ſupplicia malebant ſubire, q̄ vt pditis ſociarētur. Nec modus erat vllus, nec pudor: ita furebat rabies im̄manitatis. Poſt vbi defuêre viſi, proceſſu temporis cauſas ſibi ſimulare cœperūt perimendorū, quò

quò ad iudicia reos ducerent, non vt requireretur iuſtitia, ſed vt crudelitas excitaretur.

## Caput X.

Zacharias

ERat in ciuitate Zacharias, qui odiſſet improbos, nec ſe miſceret flagitioſis, diues opum, quarum illi abundantiam, vel ad diſſoluẽdam factionem ſuam efficacem opinabantur, vel ad prędam ſibi huberem: hunc proditionis crimine accerſendum putarunt. At ille ab huiuſmodi integer conſcientia, adeſſe ſibi cœpit cum libertate, vt non ſolùm dilueret obiecta, verùmetiam reos ipſos maximorum adſtrueret flagitiorum, apud ſeptuaginta viros dicebatur negotium. Abſoluũt omnes, quia nihil, quod affine eſſet ſceleri, proferebatur. Verùm illi irruentes, & ipſum præcipitant in profundnm, & perturbant iudices, non ſolùm cum iniuria, ſed etiam cum periculo: vt eorum exemplo cæteri in reliquum cauerẽt, conſtantiam in iudicando aduerſa eorum voluntate aſſumere. Rurſus tamen ne quis abſolueretur, ipſi irarum


irarum ſuarum exequutores, quos libitum erat, ſine iudicio necabant. Cæſus Gorgon vir gratus, & amabilis, Niger Pereites, qui inter propugnatores Iudęę ad tuendam rei ſummam fuerat electus, bellator vir, vt etiam vulnerum cicatricibus virtutis inſignia pręferret, rapitur ad mortem: & cùm ſe extra vrbem duci videret, non iam pro vita, ſed pro ſepultura cœpit rogare. Ac ne huius quidem tam miſerabilis petitionis reſponſum accepit conueniens, miſericordiæ, fingebantur calumniæ. Si quis ſe redimebat, innocens erat: qui non offerebat pecuniam, tanquàm reus feriebatur.

Cęſus Gorgõ vir gratus & amabilis.

## Caput XI.

DVm hæc Hieroſolymis aguntur, Veſpaſianus intereà partes alias gentis Iudææ debellabat: Peruenit ad eum, quę ſeditio eſſet Hieroſolymis, quas domeſticis prælijs neces ſibijpſi irrogauiſſent, quæ ſupplicia ciuium exacta à ciuibus, hortari plerique, vt eò pergeret, ne quid triumpho Romano & ſuæ gloriæ decerperetur. At ille moderatus & prouidus

Veſpaſianus moderatus & prouidus vir.

prouidus vir, qui non id ex vſu vulgi accommodum exiſtimaret, ſed quod altiore conſilio rei ſummæ cõducere arbitraretur, referre illa ſuadentibus cœpit: Nõ ſemper prælijs iuuari Rempublicã, ſed plerumq; etiam armis depoſitis laudem parari, & debitum patriæ ſolui. Quid intereſt, quomodo vincatur hoſtis, noſtróne an ſuo ferro? niſi quòd ſuo ſine Romana inuidia proſternitur. Non enim poſſunt de nobis queri, cùm ſe ipſi cõſauciauerint: ſimul quàm iuſta nobis bella mouerint, ſignificãt, quãdo nec ipſi ſibi parcunt. Vindictam haud de cœlo videri, vt furore inſaniant, qui Romanos laceſsiuerint. Sed ſi quis derogari aliquid gloriæ noſtræ aſſerit, cognoſcat præponderare ſępè remedium cum ſilentio, quàm præliũ cum periculo. Deniq; noſter Maximus cunctãdo magis fregit Annibalẽ, quàm præliando. Etſi Scipiones ſubegerunt Africam, tamẽ communis bellorũ cum multis victoria: Maximo ſoli datũ, ꝙ cunctãdo reſtituerit Remp. Plus itaq; eſt ſeruaſſe Romanum imperium, quàm propagaſſe. Aequemus tamẽ merita virtutum.

Fabius Maximus cũctando vicit Annibalem.



tutum. Non minora vtiq; in ipſo bello ſapiẽtiæ commenta ſunt, quàm inſignia fortitudinis. Pereant ergo ſuis armis, nihil laudis diminuitur, & plurimùm victoriæ noſtrę adiungitur. Neſciunt ſuos ſeruare, quibus nos parcimus. Quid, ꝙ ſi imminere cœperimus, fortaſſe inter ſe reſipiſcãt, atq; in gratiã redeãt? Quod nõ vereor, ſed aduerſus veſtrã ſententiã ꝓfero: aut ſi permaneat ſeditio, videanť ipſi ſeſe expugnaſſe, nihil Romanum egiſſe exercitum, manus noſtræ otioſæ fuiſſe, victoriam non virtute noſtra, ſed hoſtili internitione inter ſe paratam. Itaq; hoc prudentius conſilium, vt abſentibus nobis ſæuiant in exitium ſui, ne quis putet eos noſtris magis, quàm ſuis exercitos factionibus. Tunc meliùs appropinquabimus, vbi victor ſuperfuerit, qui noſtro accedat triumpho. Certè veniãt ad nos, qui fugiunt ſuos, inueniant apud nos ſalutẽ ſibi, quos ſuorũ peſtis exagitauerit.

## Caput XII.

NEc feſellit opinio Veſpaſianum: nã qui poterant pretio ſe redimere, vt

vt dimitterentur, ad Romanos confugiebant. Repleta erant dilabentium ſtrata viarum omnia, omnes ſemitæ, relaxabātur diuites, pauperes interficiebantur, quibus pecunia deerat ad redemptionē. Multi etiam extra vrbem inſidias & latrocinia pertimeſcebant, & maximè inopes, quibus comitatus deerat. Pari itaq; foris & domi propoſito ſibi periculo, vtroque pernicioſo. Pleriſque tamen patrij ſpe ſepulchri, mors apud ſuos tolerabilior æſtimabatur.

## Caput XIII.

VBi ſtrage maxima populorum metus in omnes ſparſus, ſubditos factioni fecit vniuerſos, non contentus communem cum Principibus exercere factionis Iohannes potentiam, tyrannidem affectare occœpit, & parem indignabatur deſtruere. Itaque aliorum ſtatuta, nihil niſi quod libitum foret, ratum habere: paulatim ſibi aſciſcere ſtipatores, artifex dolo, quos vellet, & fraude circumuenire, oligare pecunia, terrere potētia, quibus artibus plurimos ſibi aſſociauerat.



tiauerat. Rurſus non deerant, qui vel perículoſo ſtudio ſeruitium detrectarēt, cùm præſertim dominatione aſſueti, tolerare ſeruitutem nequirent. Decernebant itaque in vna vrbe tria genera exitialium calamitatum: tyrannides, bellū, ſeditio, quarum vnaquæque non vnam, ſed plurimas vrbes deleret. Ex tribus tamen leuius bellum erat, & iuſtus hoſtis tyranno, aut factione tolerabilior videbatur. Acceſsit his quartum genus ſicariorum, qui occupatam tyrannicis motibus, aut ſeditionis tumultibus vrbem videntes, vicina omnia populabātur, & aſportabant omnia. Mulieres & paruulos, qui laborem itineris, vel ſexus vel ætatis infirmitate perpeti non poterant, neci dabant. Septingenti itaque numero perempti, cōuectatum in caſtella frumentum: Irruebant agris, vrbibus, templis, prædas agebant, necandorum occaſio non prætermittebāt: agminis ſpecie latrocinium excitabant plures, quàm vſus habebat latrocinandi. Latrocinij ſæuitia bellum aceruabant, ſine venia deditionis aut ſuſceptionis indulgentia.

Tria genera exitialium calamitatum.

Genus ſicariorum.

## Caput XIIII.

Rogatur itaque Veſpaſianus, vt ad remedium veniat, à quo excidium metuebatur. Contendit Gadaram, vbi opulẽti plurimi, qui patrimonij ſui cauſa, magis magisq; latronũ inſidias & incurſus pertimeſcebant, & ideo ad Veſpaſianum occultè miſerant, vt ad ſe appropinquaret, què ciuitas à latronibus erueretur. Affuit exercitus romanus, quem videntes Gadarenſes, confugiendi votũ habebant: ſed qua via inexitiabile id ſibi afforet, nõ reperiebãt, ne in diſcedentes inſurgeret factio, atq; vniuerſos deleret. Non præterit tamen legatione Gadarenſium inuitatum Veſpaſianum, eiusq; legationis conſcium, vtpote vrbis primorem, nomine Doloſum, quem capientes interemerunt, atq; vlti iniuriam, egreſſique vrbem, in abdita & munitiora ſeſe contulerunt. Gadara Romanis tradita: cum ingenti plauſu ſuſceptus eſt Veſpaſianus. Is continuò ad perſequẽdos, qui refugerant, Placidum direxit: ipſe reuertit in Cæſaream.

Caput



## Caput XV.

Placidus præmiſsis quingẽtis equitibus, fugiẽtes inſecutus, coegit eos in vicum, qui proximus erat, concedere: in quo electorum pube iuuenum reperta, audaciam ſumpſere, vt inſurgerẽt in Romanos. Quæ res illis cladi fuit. Nam circũfuſis equitibus, à vico excluſi, ſine vllo cædebãtur impedimento. Et dũ alij cõferti ſeſe reciperẽt, ante limina portarum trucidabantur. Cæſorum cadaueribus aggregata moles adæquauerat murorum altitudinem. Romani alios ſagittis figebant, alios ſauciabant diuerſis miſsilibus: ad poſtremum caſtellum expugnauêre, ibique omnes, niſi quib[9] elabendi facultas fuit, interfecti. Alij fugiẽtes, ingentem famam Romanæ virtutis ſuis ſermonibus exaggerabant, maiora ſibi quàm hominum viſa corpora, nullam reſiſtendi cuiquam aduerſum inuictos fiduciam. Vnde perterriti omnes, fugêre ilico, nec ſolùm vicina & finitima, ſed etiam Hiericho vrbs, quæ propter incolæ multitudinis agmina



ſpem

ſpem cæterorũ fouebat, relinquebatur. Placidus rebus ex ſententia fluentibus, eos quoque per equites inſectatus, alios confertos, alios palantes ſternit vſq; ad flumen Iordanem: maximum quoq; numerum ad ripam fluminis reperit impeditum tranſitu: tunc fortè prædictus amnis imbribus auctus, aut reſolutis niuibus intumuerat. At illi vbi Romanos adeſſe viderũt, parant ſeſe, & ad fluminis oram ſtipant. Neceſsitas intercluſo fugę ſubſidio, remediũ in manꝰ vertit, & impetu facto, multi ſupra pauciores equites arietantur: illi arte nota & veteri militię more inter ęquitãtes diſſecare hoſtiũ cuneum, diſſoluere globos, feſſos vrgere, cedẽtes ſequi cœpêre: hinc alij ferro hoſtium, alij ſuo, quòd conferti, in vnum atque in ſe reliſi incurrerant, interficiebantur. Alij in flumen ruebãt, quòd ipſa ſui ruina, & alius alio impliciti demergebantur. Pleriq; etiam æſtimantes, quòd poſſent prætergredi, ſeſe fluuio dabant. Quos paululũ progreſſos ſorbebat gurgitum vis, aut fluminũ ictus abripiebat. Et ſi quid natandi vſu ſuper aquas pro-




ceſſerant, aut fluentis ſubter labentibus ſe ſuſpenderant, aut arborum ramis impediti, qui fluuio deducebãtur, aut ipſis caudicibus oppreſsi, animam ponebant in flumine. Sæpè etiam nandi indoctus, vbi natantem apprehendiſſet, tenebat, vt ipſe pariter euaderet, & aſtrictũ brachijs defatigabat, donec vterque merſus, alter alteri exitio foret. At ſi qui fortè ſecundo amne decurrens euaſurus æſtimaretur, irruebatur ſagittis, ac ſubitò reſupinus, ceſſantibus brachiorum remigijs, interibat. Fuêre etiam, qui natare neſcij, dum expertem doloris mortem requirunt, edito riparum toro, in fluuium ſe excuterent voluntarij: Alij arenoſo ingreſsi littore, merſo veſtigio deprimebantur: plerique etiam ſaxorum teretium lubrico, aut vadoſis offenſi locis, inſtabili fluctuantes gradu, fluentis ſequẽtibus obruebãtur. Cæſa ferro tredecim millia: innumerabilis autem multitudo fluuio conſumpta, præda ingens de ouium gregibus, & camelorum atque aſinorum & boum parta: quæ licet ſtrages hominum maxima fuerit, tum verò maior

Cęſa ferro tredecĩ millia.

æſtimabatur, quia non ſolùm regio omnis repleta erat cadaueribus humanis, (cùm diſperſi ac palantes quibuſcunq; in locis comprehenſi fuerant, interimerentur) verùm etiam vt Iordanis ipſe defunctorum corporibus obſtructus, curſus proprios dirigere non poſſet. Aſphaltites quoque lacus cruore & viſceribus defunctorum mutaret naturæ ſuæ ſpeciem, in quem omnia, quæcunque Iordanis attraxerat, inuehebantur. Denique nonaginta duo millia & ducenti illa die Iudęorum periſſe æſtimati, à quingentis tantummodo equitibus, & tribus millibus exercitus pedeſtris. Progreſſus quoque ad vlteriora Placidus, Abilam, & Iuliadem, & Beteſmon, & omnes vicos loci ipſius, vſque ad Aſphaltitem lacum Romano imperio reſtituit. Scaphis quoque impoſuit milites, à quib[9] vniuerſi, qui in lacum memoratum confugerant, extinguerentur.

Nonaginta duo millia & ducenti Iudęorum vna die perierunt.

## Caput XVI.

ITaq; & hæc omnia vſq; ad Macheruntem recepta: Veſpaſianus tamen tempus



pus prælij opperiabat̄, quò metropolim totius Iudęę exercitu ROMANO adoriret̄: inter quæ occupato rebus ſibi creditis, motus ex Gallicanis partibus inſinuantur, quòd à Nerone potētes quidam Romanę militię viri deſciuiſſent. Quo cōpto, cupiēs inteſtina bella ac ſummæ rei, totiusq; Ro. imperij periculū, cōfecto in Oriente bellorū tumultu, leuare: vt rerū ſecundarū nuntijs, motus omnes Italiæ vel cōprimeret, vel ꝑueniret: vbi primū ſæua hyems tēperata veris principio, cū maiore parte exercitus de Cæſarea iter mouit. Excepit eū Antipatri nomine ciuitas appellata. Inde procedēs, exurebat vicos, necabat eos, quos reperiebat alienos: ac maximè Idumęis vicina, quæcūq; offēderat, depopulabatur: ꝙ inquietū genꝰ hominū potiꝰ bellis, q̃ otio vel quieti amicū foret. Duos quoq; Idumææ vicos *Ligarū & Capartorē, eorūq; incolas cōprehendēs, maxima ſtrage labefactauit. Siquidē ſupra decē millia virorum peremit, mille captiuos abduxit, reliquū vulgus expulit, vt ibi conſtitueret manum ſuorū: quia mōtana locorū regionis eius latroci-

In Io. l. b. 4. Iud. 5. c. 4. Begabri Capharto phrā legis

latrocinijs infeſtabantur. Ipſe cum excepcitu Amathunta repetit, quæ de aquis calidis vocabulum ſumpſit, quòd aquarum vapor Syro ſermone Amathus appellari fertur. Thermæ ergo Græcè dicitur, eò quòd calidū fontem habeat intra muros. Deinde per Samariam iuxta Neapolim in Hiericho contendit, vbi occurrit ei Traianus multam manum agens, ex his, qui vltra Iordanem ſiti Peræ regionis populi, in ditionem Romanam victi reuerterant. Nuntio itaque aduenientis Romani exercitus, plerique ex vrbe Hiericho, quòd eam intutam viderent, in montana Hieroſolymitanæ regionis ſeſe contulerant. Reſidentiū turba omnis conſumitur. Neque enim difficile fuit vrbem properatò capi, quę nec naturali fulta eſſet munimine, & à ſuis eſſet dilabētib⁹ deſerta ac deſtituta. Vrbs condita in campo, cui ſupereminet mōs diffuſior, & nudus gignentium. Nanq; ſecundum ſeptentrionalem plagam, vſque ad Scythopolis vrbis terram extendit, ex parte meridiana vſq; ad regionē Sodomitanā, & Aſphaltitis fines diffuſus habetur.

*Amathus ab aquis calidis.*

*Vrbis deſcriptio.*



habetur. Aegrum autem & ieiunum ſolum, & ideo deſertum ab incolis, quòd ſine vllo vſu eſſet cultoribus naturali ſterilitate. Aduerſus huic mons ſupra Iordanē, cuius exordium à Iuliade, & plaga ſeptentrionali aſſurgit: ipſe autem prætendit in meridianum vſq; ad Sobaros, Arabiæ Petreæ conterminos, vbi etiam mons eſt, vſu veterum ferreus nuncupatus. Inter hos duos montes campus iacet, quem propter magnitudinem, quòd in multa ſpacia dirigatur (veteri vſu) incolæ Magnum appellauerunt, cuius longitudo triginta & ducentorum ſtadiorū, latitudo centum viginti. Exordiū à vico Gennabar, finis vſque ad Aſphaltitem lacum. Iordanis eum medium interſecat campum, non ſolùm inoffenſa, ſed etiam adiuncta gratia viridantibus ripis fluminis alluuione, & ſuccedentibus Aſphaltite & Tiberiade vnius fontis, & vtroque diuerſæ qualitatis lacu. Nanque alterius aquæ ſapor ſalſus, & ſterilis vſus, Tiberiadis autem dulcis atq; genitalis. Sanè in dieb⁹ æſtatis immodicus per ſpatia campi exæſtuat vapor, vnde & coaleſcente

*Mons ferreus.*

*Mons Magnus.*

*Aſphaltitis & Tiberiadis diſcrimē.*

aleſcente vitio nimię ſiccitatis, atque humi arido corrupto, aer miſerandas accolis cõficit ægritudines. Arida ſunt enim omnia pręter oras fluminis. Denique in remotioribus ægreſcit & fructus arborũ, ſiquidẽ & copia huberior, & fructus palmarum opimior eſt, qui ſupra ripas Iordanis fluminis gignitur, alius longè exilior.

## Caput XVII.

Ieſus Naue.

EſSt etiam iuxta Hiericho vrbem fons abudans, atq; idem huberior ad potũ, pinguior ad irrigandũ, quẽ Ieſus Naue natione Hebræus, manu validus, primùm genti eripuit Chananæorum. Is in principio corruptior habitus, ac ſterilis ad generãdum, potantibus & vſui parũ ſalubris. Vnde rogat⁹ ab incolis Eliſæus Propheta, idẽq; Elię diſcipulus, & tanto ſucceſſor nequaquã magiſtro, vt hoſpitalitatis ſuæ mercedẽ relinqueret, quos viſitauerat lòcis, & corruptelã aquarum leuaret, remedium dedit, ſicut regnorũ vetus ſcriptura edocet, præcipiens vas fictile cũ ſale deferri ſibi, quod accipiẽs, deiecit

Eliſęus ꝓpheta remediũ dedit aquarum.



deiecit in fontem ſal, & dixit: Sanaui aquas, & non erit in his moriens, neque ſterilis ab eis: & ſanatæ ſunt aquæ ſecundum verbum, inquit, Eliſæi Prophetæ. Ex illa itaque benedicti ſalis infuſione temperatæ aquæ, reſerataque ora fontis, ſanctificati ſunt aquarũ meatus, vt dulciores potus venarum ſcaturigo effunderet, & omnis illa dulceſceret aquarum amaritudo, huberiores fructus terra daret. Generandæ quoque ſobolis opima ſucceſsio, largam poſteritatis copiã ſubminiſtraret, nec deficeret genitalis aqua: cùm diuina gratia pro iuſtorum fidelibus ſtudijs, tãti Prophetæ benedictionibus aſpirauiſſet. Conuertit itaq; naturã aquarum ad preces Prophetæ cæleſtis oraculi reſultatio, continuoq; ſterilitatẽ depulit, fœcunditatem infudit. Cœpêre illic crebreſcere generationes hominũ, fructus terrarum, ſuccusque aquarum, antè ieiunus & amarus internecare ſolitus ſata, triſtiaque bibentium ora torquere, fertilitatem ſolo, potantibus ſuauitatẽ infundere, vt ſi breuiter culta contingat, plus ꝓſit, q̃ vbi diuti⁹ irrigauerit.

Eſt

Eſt enim noua gratia, vt profectus redũdantior ſit, vbi vſus minor, & vbi ampliùs quiſquam vſus fuerit, ibi minor fructus ſit: eoque plus cæteris fontibus rigat, quia vel exiguum eius abundat ad hubertatem. Denique campus eum circumiacet ſeptuaginta ſtadiorum in longitudinem, viginti in latitudinem patẽs. In eo mirabilem hortorum gratiam cernas, varia palmarum genera, tantamque dactylorum dulcedinem, vt mella defluere putes, haud cæteris inferiora. Sunt etiam illic pręſtantiſsimi apum fœtus: nec mirum, vbi tam diuerſis inhalãtes floribus, paradiſi ſuaues fundunt odores. Illic opobalſamũ gignitur. Quod ideo cũ adiectione ſignificauimus, quia agricolę cortice tenus virgulas incidũt, eas in quibus balſama gignantur, vt per illas cauernas paulatim diſtillãs humor ſe colligat. Cauerna autem Græco nomine ὀπὴ dicitur. Illic cypreum, illic myrobalanum naſci ferũt, & alia iſtiuſmodi, quæ in alijs locis haudquaquàm reperiuntur. Aqua vt cætera fonitum, illic tamen præſtantior æſtate frigida, hyeme tepens,

Balſama quomodo gingãtur.



tepens. Aer mollior, vt ſumma hyeme lineis incolæ exuuijs vtantur indumentorum.

## Caput XVIII.

Aſphaltitis qualitas

NVnc Aſphaltitis lacus qualitatem ſpectemus. Meliùs eſt enim in locorum veterum deſcriptionibus, vel cæterorum elementorum miraculo, quàm in Iudęorum ſeditionibus ſtylum occupare. Siquidem iſta flagitia mentem exaſperant, illa demulcent animum, dum recenſẽtur, & ad veteris hiſtoriæ reuocãt cognitionem. Nobis autem, quibus incultius ingenium eſt, cordi eſt, patrũ ex Aegypto regredientium, vſque in terram repromiſsionis repetere veſtigia, vt ſi cui fortè noſtra in manus veniant, nõ noſtra legat, ſed patrum relegat. Dulce eſt enim inter Maiorum verſari habitacula, & veterum dicta factaque recenſere memoria, atque eorum inhærere gratię. Sed iam ſiue naturam, ſiue qualitatem aquarum exprimamus, ne noſter quoque in eo lacu proijciatur ſtylus, ex quo omnia, quæcunque mergenda putaueris, viuentia

viuentia tamen reſilire opinio eſt: & quàmuis vehementer alliſa, ſtatim excuti. Aqua ipſa amara & ſterilis, nihil recipiens generum viuentium. Deniq; neque piſces, neque aſſuetas aquis, & lætas mergendi vſus patitur aues. Lucernam accenſam ferunt aquis ſupernatare, ſine vlla conuerſatione extincto demergi lumine: & quàmuis demerſum arte, quòd viuat, difficile in profundo hærere. Deniq; Veſpaſianum ferũt præcepiſſe nandi ignaros, reuinctis manibus in profundum deiici, eoſque omnes ilico ſupernataſſe, quaſi ſpiritu quodam vẽti leuatos, & ad ſuperiora vi magna repulſos reſiliiſſe. Multa fabuloſa de hoc lacu plerique æſtimauerunt, quæ nobis inexpertis veritatem rei promere nunquàm conſiliũ fuit. Mutare etiam ter in die colorem aquæ, & ad radios Solis variè refulgere, non placuit pro vero locare, cùm ſit ipſius aquę lacus obſcurior cęteris aquis, & quaſi aduſtæ pręferẽs ſimilitudinem. Certè ſi ad radium Solis & ipſa reſplendeat, nihil nouũ, & quaſi pro miraculo promendũ: cùm hoc commune ſit aquis omnibus.

Miranda hîc narrãtur de lacu Aſphaltite.



Vagari ſup aquas bituminis glebas certũ eſt atro liquore, quas ſcaphis appropinquãtes colligũt, quib' id muneris eſt: hærere ſibi fertur bitumẽ, vt ferro haudquaq, vel alia præacuta metalli ſpecie recidatur. Sanguini ſanè cedit mulierum, quo menſtrua ſoluentes leuari feruntur. Cuius attactu vel vrina (vt allegant, quibus experiendi vſus fuit) interrumpi proditur: vtilis autem ad compagem nauium fertur, & corporibus hominũ ſalubris admixta medicamentis. Longitudo lacus eius vſq; ad Zoaras Arabiæ dirigitur, ſtadijs quingentis octoginta: latitudo ſtadijs centum quinquaginta, vſque ad vicina Sodomorum, qui quondam vberrimam regionem inhabitabant: abundantem fructibus, diſtinctam quoque vrbibus ſplendidiſsimis. Nunc autem ea locorum deſerta, atque exuſta ſunt incendio. Nam cùm omnia illis Deus ſuo contuliſſet munere, arua frugum feracia, & vineis cæteriſque fructuoſis arboribus rus conſitum, ingrati, nec prę oculis habẽtes potentiã Dei ſummi, quaſi non omnia cerneret, omnia

Bituminis glebæ in aquis natantes.

Sodomorũ ſpecies.

omnia proſpectaret flagitia, nihilque eſſet, quod illum latere, aut præterire poſſet: ita intemperantiæ ſuæ probris miſcere vniuerſa, ac polluere cœpêre, quibus diuinam traxêre offenſam, & pro ſcelerum pretio de cœlo deſcendit ignis, qui regionem illam exureret. Quinque itaque vrbes incenſæ, quarum vmbra quędam & ſpecies in fauillis videtur. Arſere terræ, ardent aquæ, in quibus cæleſtis ignis reliquiæ recognoſcuntur, atq; adhuc manent. Spectes illic ad ſpeciem poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent ſpectantibus cupiditatem: Si carpas, fatiſcunt ac reſoluuntur in cinerem, fumumque excitát, quaſi adhuc ardeant. Hæc propter ſupplicia impiorum de Sodomitano territorio comperta, ſilentio obducere non oportuit. His enim decurſis, remunerationem pijs fore dubitari non poteſt.

Quinque vrbes ex diuina vltione incenſæ.

## Caput XIX.

VEſpaſianus itaq; proxima quæq; Hieroſolymitanæ vrbis caſtella, vel vrbium munimenta, diſtributo exercitus



ercitus Romani vel ſociorum ſubſidio replebat, vt aduerſa ſibi omnia cognoſcerent, quæ antè conſpiratura ſecum ad bellum contra Romanos gerendum arbitrabantur. Nihilominùs Lucio Annio Gereſam deſtinato, inſidijs vrbem cepit: mille etiã iuuenes interfecit, quibus pręuentis exempta eſt fuga. Captiui abducti plurimi, atque vniuerſa eorum patrimonia à militibus inuaſa. Pręcepto Ducis poſſeſsiones, quæ repertæ fuerãt, exurebantur, rapinę exercebantur licentia. Vaſtabant Romani montana atque campeſtria, quibus Hieroſolymitana ciuitas circumfuſa bello vndique ardebat. Nec feriati erant Hieroſolymitani à ſuorum ſenſu periculorum, quibus omnes interclusi erant exitus, nè quis fuga periculo eximeretur. Intùs malum inteſtinum, foris clauſa omnia, neque manendi voluntas, neque fugiendi erat copia. Et ſi qui à Romanis veniam transfugio ſperauerant, à ſuis egredi prohibebantur.

## Caput XX.

Ee Regreſ-

Nero cæſ xiij. imperij ſui anno.

REgreſſus erat Veſpaſianus in vrbẽ Cæſaream, vt inde collectis omnibus viribus adoriretur Hieroſolymitanæ vrbis obſidionem. Nuntiusque aduenit cæſum Neronem tertiodecimo exacto imperij ſui anno, cùm iam de anno ſequẽti octauum diem degeret. Dignus ea pœna, qui nõ ſolùm fidem ſacrilegio, pietatem parricidio, pudicitiam inceſto violauerat, ſed ipſam quoq; poteſtatem Romani imperij, cuius vel officia, vel negotia improbiſsimis libertorum committerat. Cùm enim ipſe nulli fidem ſeruaret, omnes ſuſpectos habebat: Et ideo nequiſsimis ſe Nimphidio & Gemellino præcipuè credendum putauit, quos vilis cõditio obnoxios fecerat. Sed & ipſi exemplum crudelitatis eius aliquando exhorruêre. Et quia chariſsimos ſibi quoſque interemerat, cauendum in ſe rati, præuenire voluerunt, quod metuebant. Itaque facta cum cæteris conſpiratione, parricidam deſerunt. Cui enim parciturus æſtimabatur, qui matri non peperciſſet. Deſertus ergo ab omnibus ſuis, fugit ex vrbe cum quatuor libertis ſuis.

Nero matri non pepercit.



ſuis. Et cùm ſe vrgeri imminentibus cõiuratis, atque agmine aduerſo videret, in ſuburbanum rus clanculò conceſsit: diſciſſus & dilaceratus ſentibus, dũ formidat à quoquam videri, ne proderetur: deinde cùm ſe circumſeptum intelligeret, ne graues pœnæ exigerentur, maganũ quoddã ſibi de ligno parauit, & manibus compoſuit ſuis, quo ſe necaret. Et ad libertos conuerſus, qualis (inquit) artifex moritur? Itaque acerbiſsimus parricida dignum meritis ſuis vitæ exitum tulit, vt qui matrem ac ſuos occiderat, nec ſibi parceret. Verè bonus necis ſuæ artifex, qui commẽtus eſt, vt ſic periret, ne vel mors ſuo ſcelere vacaret.

## Caput XXI.

Galba Ro. præeſt imperio.

FAma itaq; interfecti Neronis præuenerat more ingenij humani: cui ſatis eſt, vbi cupita acceperit, cætera non requirere, ſed ſtatim diſsipare, atque inexploratum in vulgus mittere, quod delectauerit. Nec multò pòſt tamen Galbam Romano imperio pręeſſe innotuit. Vnde ſentẽtiam noui Principis de bello

Iudæorum ſciſcitari, Veſpaſiano conſilium fuit, miſitque Titum filium, & Regẽ Agrippam. Titus de Achaia reuertit, comperto, quòd etiam Galba ſeptimo menſe ac die aſſumptæ poteſtatis exutus inſignibus, pœnas luiſſet in medio vrbis ſinu, id eſt, Romano foro, & Otho potiretur rebus ſecundis, ac ſucceſſu imperiali. Agrippa Romam contendit, vt apud nouum Principem locaret gratiam. Tito pluris viſa eſt paternæ pietatis reuerẽtia, quàm principalis poteſtatis, quòd inconſulto patre ſi prætenderet, ne ipſi quidem placiturum putaret. Certè exercitus docuit, opportunè eum rediſſe ad patrem, rebus nouis, & incertum, quò vergerent. Denique etiam Veſpaſianus anxius de totius imperij Romani ac patriæ ſtatu, bellum ſuſpendit, atque imperium tenuit ſuum, poſthabitis, quæ in Iudæa gerebantur, præ totius ſummæ cura, & pia erga patriam ſolicitudine.

Otho rebꝰ potitur.

## Caput XXII.

SEd Iudæa non feriabatur, quæ grauius bellũ inter ſuos, quàm aduerſum exter-



externos gerebat. Nam cùm Iohannis factio eſſet intolerabilis, inſurrexit prętereà Simon, inferior quidem morum improbitate, ſed forma corporis magis fretus ad omne audendum nefas, & latrocinijs aſſuefactus, ad vſum & tentamẽtum flagitiorum. Ciuis erat Geraſenus, robuſtus iuuenis, quem Princeps Sacerdotũ Ananus perculerat propter nequitiæ commenta, pulſumque eo, quem inhabitabat loco, in alias regiones concedere coegit. At ille, cui nullus inter quietos & modeſtos locus, contulit ſeſe ad conſortia latronũ, ipſis quoque in principio ſuſpectus, ne eos factione circũueniret, facilè poſteà morum ſe iuſudit ſocietate. Populabatur cũ his ea, quę eſſent finitima munitionibus, quòd illi vlteriora petere non præſumebant, ſed quaſi in foueis latitantes, inſidiabantur prætermeantibus, ſine vllo excurſu, quaſi domeſtico latrocinio contenti. Id Simon animi immodicꝰ tolerare diu nequiuit, breuique multorum quæſiuit manum, pollicens ſeruis libertatem, liberis præmia, perditis remunerationem. Ita con-

Simon.

Geraſenus ciuis

Ioſe. li. v. bel. Iud. c. vij. hãc hiſtoriã ad longũ ꝓſequitur, vbi vicum, quem hîc Egeſippus Aiacis, ille Aim appellat.

fluentibus plurimis ad deprędandi licentiam, expugnare munitiones, occupare vrbium populos auſus, terribilis omnibus erat, receptaculum ſibi in vico, cui nomen Aiacis murus, parauit. Iamque viginti milibus armatorum ſtipatus incedebat, cùm ſubitò metuentes Hieroſolymitani quotidianos eius proceſſus, & aduerſum ſe futuros rati, ſi diutiùs adoleuiſſent, ſuccidendos putarunt, repẽtinoque excurſu armati Simonem adoriuntur. Nec ille incautus atque imparatus inſidijs patuit, ſed excepit aduenientes, & pleroſque fudit, alios coegit in vrbem ſeſe recipere bello fugatos.

## Caput XXIII.

IDumæis quoque congreſſus æqualis receſsit, & quaſi victus, quia non vicerat angebatur. Rurſus cum congrediendum foret commodius arbitratus dolo experiri, reperit ſpõtaneũ fraudis miniſtrũ. Namq; intellectũ eſt, quid iſte affectaret, Iacobus vnus ex Principibus Idumæorum, vafer & callidus ad huiuſmodi negotia, venit ad Simonem clanculò, &

Iacobus vnus ex prĩcipibus Idumęorũ vafer & callidus.


& obtulit patriæ ſuæ proditionem, vt fidem daret, quòd vniuerſos Idumæos circumueniret, poſtulataque mercede futuræ ſocietatis: quo potiſsimus & apud eũ fidiſsimus foret, pollicetur vniuerſorum proditionem conuiuio fœderata gratia, promiſsiſque ingentibus Simonis firmata inter vtrunq; eſt pactio. Vbi ad ſuos reuertit Iacobus, iactare primò paucioribus cœpit, exploratum proceſsiſſe vires aduerſariorum, vidiſſe validam manum, expertos belli viros, multitudinem maximam, & bello inſuperabilem. Inferre paulatim ſermonem iſtiuſmodi principibus. Poſtremò iufundere per numeros ipſum Simonem admodum ſtrenuum, qui regio more exercitum inſtituiſſet, & ordines ſeruaret, numeros diſtributos haberet, ductores idoneos præfeciſſet, conſulere ſibi Idumæos oportere, vt talem virum amicum potiùs quàm hoſtem experirentur. Certè ſi in congreſſu ſuperiorem viderent, cederent ſine periculo, cauerẽt prælíũ. Vbi plurimorũ inclinata in ſentẽtiã ſuã ſtudia cognouit, edocto Simone,

 vt in

vt in aciem prodiret, ſecurus futuræ diſperſionis Idumæorum: ille non diſtulit, hic velut anteſignanus cum ſuis, & quaſi ad præliandum promptior: vbi ſerentarijs tentatum prælium vidit, priuſquàm in manus veniretur, conuerſo equo fugę dedit ſe: idem ſui fecêre. Ita cõuertit, diſperſitque acies vniuerſas, & victoriam Simoni ſine certamine belli tradidit. Simon verò potitus tantæ gentis triumpho, inſolentior in cęteros factus, Chebron vetuſtam vrbem celebrem populis, opum diuitem, ante expectatum cepit, multamque in ea prædam reperit, diripuit fructus huberrimos. Fertur enim antiquiſsima, non ſolùm Paleſtinæ vrbium ciuitas, ſed etiam omnium, quæ ſunt in Aegypto à vetuſtis condita: vt etiam Memphim, quæ antiquiſsima habetur, poſteriorem plerique exiſtiment. Fuêre etiam, qui habitaſſe in ea patrem Abraham dixerunt, poſteaquàm de Meſopotamia Syriæ profectus, Aegyptum petijt, filiosque eius illic ſepulchrum habere pulcherrimo extructum marmore, & opere elegantiſsimo, ſeptimo à ciuitate

Chebron vrbs vetuſta & celebris.

Memphis.



uitate ſtadio. Terebinthus illic magna arbor à conſtitutione mundi fuiſſe aſſeueratur. Nunc tamen, vtrùm adhuc maneat, incertum nobis eſt. Inde progrediens, vaſtabat territoria, expugnabat vrbes, congregabat populos, quadraginta millibus armatorum ſtipatus, exinanibat omnia, quocunque vel quaſi amicus & ſocius acceſſerat. Quis enim locus tantorum ſuppeteret alimentis? Solo pedum veſtigio in modum pauimenti proterebãtur vniuerſa, in quibus tantus conſtiterat numerus præliatorum. Nec ſolùm quicunque erat fructus auferebatur, quaſi quibuſdam excęſa locuſtis, ſed etiam in poſterum protrita humus fructus negabat. Terrebat Iohannem, quòd Simonis augebatur potentia, & totius factionis ſocij quatiebantur. Volebant perditum, ſed bello non audebant laceſſere. Iterum inſidias parant, & obſidentes itinera, vxorem eius cũ omni comitatu muliebri, & paucis virorum proſecutoribus rapiunt, iactabant ſe, quaſi omnem confeciſſent victoriam, ac velut ipſum Simonem captũ

Terebinthus à cõſtitutione mundi.

Ee v tenerent.

tenerent, ſupplicaturum ſibi arbitrabantur. At ille durus, immitis, qui nullius affectu commoueretur, nihil ſanctum charumúe haberet, inflammatur quaſi accepta iniuria potiùs quàm erepta gratia, multoq; ſæuior grauiorq; grauibus excruciabat, quos reperiebat, tormentis. Pleriſque manus incidebat, quos ad hoſtem truncato corpore remittebat, vt eius annunciarent crudelitatem, inſinuarent minari, quòd muros ſubuerteret, vrbem excideret, niſi ſibi ocyùs vxor propria reſtitueretur. Similiter manus & viſcera truncaturum omnibus, qui intra vrbem degerent, niſi maturè conſuluiſſent. Ita perterriti facti, vxorem eius ad eum dirigunt: quo mitigatus furor eius, aliquantùm requieſcendi copiam clauſis dedit, vt non vrgeret obſidionem ciuilem.

## Caput XXIIII.

NEc ſolùm Galba interfecto, ſed etiam Othone extincto, Vitellij ducibus congredientibus, quem Gallicanus exercitus creauerat Imperatorem. Et



Et primo quidē certamine ſuperior Otho viſus eſt: repetito poſt diem prælio, cùm comperiſſet Otho Valenti & Cecinnę Vitellij comitibus victoriam ceſsiſſe, plurimos quoq; ſuorū interfectos, Brixiæ poſitus, voluntaria nece eripuit ſe ludibrio, duobus diebus & tribus tantū menſibus rerum potitus. Victor itaque Vitellius, cum eo, qui vtrinque ſuperfuerat exercitu, Romam contendit.

## Caput XXV.

Veſpa. deuaſtat Iudęam.

VEſpaſianus tunc temporis profectus ex vrbe Cæſarea, vaſtabat Iudæam, montana omnia finitima & munitiones debellabat. Interficiebat reſiſtētes, præcantibus impertiebat veniam ſalutis. Fugabat aduerſarios, conſtituebat ſuos: Cerealis quoque Dux Romani exercitus cū equitatu percurrebat omnia, extinguebat alios, alios ſubijciebat. Captiuorum cogebat agmina, omnia circa Hieroſolymam exurebantur, ne vllum Iudæis eſſet perfugiū. Sic intercluſi ante obſidionem vniuerſi Iudæis exitus. At illi non ſolùm non conſulebant ſibi, ſed

Cerealis dux Rom. exercitus.

ſed etiam domeſtico inter ſe decernebāt certamine: Iohannes interior tyrannus, Simon extramuranus hoſtis: qui recepta vxore, pauliſper excurrens, Idumæam depopulatus, validior redit, & Hieroſolymitanæ muros vrbis armis circumſonabat. Iohannes intùs poſitus, ſuos ad bellum vitijs exercebat data criminum autoritate. Feruebant ſtudia rapinarum, probrorum cupiditates, luxuriæ effuſiones, vnguentorum odores, calamiſtris criſpabant capillos, ſtibio oculos depingebant, muliebrem amictum induebāt. Nec ſolùm ornatus fœminarum, ſed etiam muliebris mollitia affectabatur, & illicitarum libidinū paſsiones, viri muliebria exercere, effœminare vocem, & & fluxu corporis ſexum diſſoluere, paſcere comam, vultum dealbare, pumicare genas, vellicare barbulam, & in hac diſſolutione ſæuitiam crudelitatis exercere intolerabilem. Deniq; fracto greſſu incedebant, & ſubitò momentanei bellatores reconditos ſub conchyliatis chlamydibus gladios occultantes, cùm repentè nudaſſent, quæcunque repererant,

Vitijs exercentur enormibus



rant, diloricabant. Qui Simonem euaſerat, à Iohanne interficiebatur. Si ſe inſerat, à Iohanne interficiebatur. Si ſe intra vrbem recepiſſet, qui Iohannem fugerat, captus à Simone ante muros immolabatur. Erat diſſenſio grauis. Idumæi quærebant tyrannidem Iohannis extinguere: inuidebant eius potentiæ, & oderant eius crudelitatem. Congrediuntur aduerſum ſatellites tyrannidis, auertūt eos, inſectantur eos vſque ad aulam Regiam, quam condiderat genere proxima Regis Adiabeni: irruunt excluſis propugnatoribus, templumque occupant, diripientes ſpolia tyrannidis, quoniam illic Iohannes opum ſuarum condiderat receptaculum. Grauis inceſſerat metus, ne per noctem Idumæi de templo vrbem ingreſsi, ferro plebem interimerent, incendio vrbem delerent. Quo metu territi, de conſilij ſententia, dum vnum tyrannum ferre nequeunt, alterum introduxêre. Et Iohannes fraude irrepſerat in tyrannidem. Hîc Simon rogatus, quaſi remedium ſalutis daret, dominatū inuexit ciuibus, vrbi tyrannū. Miſſus eſt Matthias Princeps Sacerdotum.

Matthias Princeps Sacerdotũ

tũ, vt eius ingreſſum obſecraret. At ille ſuperbè ſatis dominari abnuit, & quaſi grauaretur, conceſsit ambitus, vt ſe in vrbem cũ omni ſua virtute infunderet. Aperuêre portas manibus ſuis, vt perniciosiorem introducerent, cùm infirmiorem execrarentur. Itaque Simon ex ſententia ingreſſus, æquè ſe hoſtem exhibebat vniuerſis: vt & illos, qui vocauerant, & illos, aduerſùm quos eius auxilium poſtulatum fuerat, communi omnes odio perſequeret̃. Vrgebat Iohannes fraudibus ſuis, fluctuabat ciuitas. Certamen erat inter Iohannem & Simonem, quis ampliùs ſuis noceret.

## Caput XXVI.

SVb ea tẽpeſtate conualuit rumor ciuilium bellorum in exercitu Romano, de Galbæ & Othonis nece manifeſtatus, & imperio Vitellij, qui nequior ſuperioribus, quaſi fex reſediſſet. Cõferre ſecum veteris militiæ viri cœpêre, & indignè ferre, tantùm vſurpare Prætorianas Romæ legiones, vt cùm iam bellorum deſueuiſſent experiri pericula, nomina



mina ignorarent gentium, quæ bellum mouerent. Ipſæ tamen ſtatuerent bellis Imperatorem: & in ſua manu rerum Romanarum legendum arbitrum conſtituerunt. Deinde huiuſmodi exemplo in Gallia poſitos milites aſpirauiſſe, vt Vitellio imperium darent, inconſulto Senatu & populo Romano, ſe intereà quaſi mercenarios haberi, qui aliena arbitria ſequerentur: primos ad periculum, ad honorem vltimos, tanto tempore bellum gerere, triumphis quotidie creſcentibus, & ab inferioribus dominos accipere, & ne eos quidem vtiles, ſed vel ignauiſsimos quoſque, vel ventri deditos, & turpitudini, pergendum obuiam & remouendã iniuriam. Eſſe ſibi virum ſtrenum Veſpaſianum, quem legi decuerit ab omnibus Imperatorẽ, maturũ ad conſulendũ, validiorẽ iunioribus ad prælianđũ, properandũ maturiꝰ, ne priùs ab alijs eligeretur: & his, cum quibus in militia conſenuerit, triũphando eſſet deſpectui. Quando opportunius tempus, quo digna merces laboribus eius rependeretur? Vitellianam voraginem priuatorũ dede-

dedecus (non dicam Imperatorum) non diutiùs hoc toleraturum Senatum, non populum Romanum, vt opprobrium vinolentorum diutiùs in culmine maneat imperij, cuius res Romana ad ſumptum non ſuppetat. Quis enim ferat tyrannũ regnare, cùm habeat in exercitu dignũ Romani imperij gubernatorem? Quæ verò gentes luxui ſe ſubijciant, & vitijs dedant, cùm belli incentiuum ſit ignauia Imperatoris, & contrà firmitudo pacis, in hoſte virtus, ſobrietas in Reipublicæ moderatore? Quis non ſuſpiciat in Veſpaſiano adhuc priuato regni decus, & Romani imperij autoritatem, cui tot militares numeri præſtò ſunt, & omnis Romani exercitus, validior manus? Quid expectamus? An vt noſtris fultus virtutibus, alijs debeat, quòd Imperator eſt, & nos alij cedamus, quod in iure noſtræ poteſtatis eſt? Certè ſi honorare nolumus, non derogemus. Nec faciamus hanc iniuriam, vt noſtro iudicio repudietur, quaſi indignus imperio, quo dignus habetur Vitellius. Poſtremò cùm in Italia ſint frater eius & filius Domi-

Ignauia Imperatoris eſt incentiuum belli.

tianus



tianus, verendum profectò eſt, ne quis ſuis ornamento eſſe iamdudum debuit & ſit periculo: aut ſi illi, vt arbitramur, tyrannum vrgere cœperint, huic fraudi ſit, quòd & frater & filius rebellauerint, & incipiamus reum ſpectare, quem videre noluimus imperatorem. His ſecũ milites vociferantes, adoriuntur Veſpaſianum, rogant vt Romani imperij ſuſcipiat gubernaculum. Ille autem abnuere ac ſe indignum dicere, eſſe iam conſtitutũ imperatorem, refugiendum ciuile bellũ: Illi inſtare promptiùs, ille reſiſtere perſeuerantiùs. Poſtremò reluctantem armati circunſiſtunt gladijs mortem minantes, qui aduerterent ſibi crimen manere, & graue periculũ ſi refugiſſet: ità ceſſit potiùs imprimentibus, quàm recepit voluntarius, quod ambire alij ſolent. Vrgebant milites, ſuadebãt Duces: curam priùs quàm honorem induit, feſtinauit in Aegyptum, ſciebat enim maximas vires illic eſſe Romanæ Reipublicæ, vnde alimonia miniſtraretur, ſubſidium ſibi quærendum, ſi vinceret: aut refragium Vitellio, ſi trahendum diutiùs

Veſpaſ. inuitus ſuſcipit gubernaculum quod ambire ſolēt alij.

Ff bellum

bellum putaret. Eſſe etiam illic duos ordines militarium virorum, quos ſibi adiungere properauit, vt vrbs maxima, & plurimis naturæ munimentis circundata, in ſuo potiùs iure, quàm in alieno maneret, ad vtrumque belli euentum ſatis vtilis. Ideoque de locorum ſitu, ac potiſsimùm de ipſa vrbe metropolitana, vel paucis dicendum rati.

## Caput XXVII.

De ſitu Alexandriȩ.

VRbem Alexandrinã condidit Alexander, cui ob virtutem inditũ magni Ducis cognomentum. Ea inter Aegyptum & mare quaſi clauſtrũ interiacet, ciuitas importuoſa vt ferè pleręq; Aegypti, & ab externo difficilis acceſſu, cũ ſit in remotioribus Aſiæ partibus iacẽs. In Europa, qua ipſa Aegypti aridis Libyæ cõterminat, meridiana autẽ eius ſuperiora, quæ diſterminãt ab Aethiopibus Sienen, & innauigabiles Nili fluminis cataractas. Ab oriente refundit mare rubrũ, Clitro tenus, qui locus extremis vltimus terris, peruium ad Iudæos aperit iter nauigaturis. Septa igitur ex vna parte feruẽtibus



bus incendijs Solis, Indico inde atque hinc Aegyptio mari, vno tantùm muro ſeptentrionali innititur terræ, quod ducit in Syriam. Cætera intercluſa vndique, & naturæ ſubſidio vallata: diuiduum tamen ſeptentrionalis plagæ eidem munimentum, & gemino quodam limine patens, quo vel peregrinæ ad eam per maria Aegyptum deuehuntur copiæ, vel liberior ad terras vſus diffunditur. Terra iacet in infinitum modum. Nam inter Sienen & Peluſium longitudo vniuerſa ſtadiorum duum millium, ſi fides aſſertis adeſt, & ab Plinthine, vſque Peluſium ſtadiorũ item trium millium ſexcentorum: inaſſueta imbribus regio, nec tamen pluuiarum indiga, cui Nili irrigua ſpontaneos imbres miniſtrãt. Vtrinq; ei Nilus eſt, cœli hubertas, terræ fœcunditas arua temperat, ſolum opimat, nautis & agricolis iuxtà vſui: hi nauigãt, illi ſerũt: illi circũuehũtur per ſua rura nauigijs, illi excolũt ſine aratro ſerẽtes. Viãtes ſine carpẽto, diſtinctã cernas fluẽtis, & quaſi quibuſdã excelſam mœnibus nauigiorum, totis domicilia

Aegyptus inaſſueta imbribus regio.

 terris

terris vagantur, quæ Nilo circũfluunt. Eſt enim nauigabilis vſq; ad vrbem (vt appellant) Elephantinorum: vlteriùs nauem procedere cataractæ, quas diximus, non ſinunt: non defectu gurgitis, ſed totius fluminis præcipitijs, & ob quandã aquarum ruinam. Portus vrbis, vt plerique maritimorum locorum aditus, difficilis acceſſu, & lõgè difficilior cæteris, quaſi ad formam corporis humani, in capite ipſo & in ſtatione capacior, in faucibus anguſtior, qua meatũ maris & nauium ſuſcipit, quibus quædam ſpirandi ſubſidia portui ſubminiſtrãtur: vbi quis anguſtias atque ora portus euaſerit, tanquam reliqua corporis forma. Ita diffuſio maris longe lateq; diſtenditur. In dextera verò portus inſula eſt breuis, & in ea turris maxima, quam Pharum in cõmune Græci ac Latini ex ipſius rei vſu appellauerunt, eò quòd longè videatur à nauigantibus, vt ad priuſquam portum appropinquent, nocturno maximè tempore, terram finitimam ſibi eſſe flammarum incẽdio cognoſcant: ne decepti tenebris, in ſcopulos incidant, aut veſtibuli

Portus deſcriptio.

Pharum turris maxima.

buli



buli limitem non queant comprehendere. Sũt itaque illic miniſtri, per quos ſubiectis facibus, cæteriſq; lignorum ſtruibus, adoletur ignis quaſi terræ prænuntius, & index faucium portuenſium, demonſtrans ingrediendi anguſtias, vndarum ſinus, veſtibuli anfractus, ne præſtringatur tenuis carina cautè, & in ipſo ingreſſu offendat inter opertos fluctibꝰ ſcopulos. Itaq; directum curſum paulatim inflecti oportet, ne cæcis illiſa ſaxis ibi incurrat nauis periculum, vbi ſperatur effugium periculorum: Anguſtior enim aditus in portum: quia à dextra parte latere arctatur, à leua rupibus, quibus obſtructum eſt ſiniſtrum latus portus. Circa inſulam quoq; inſtructę ingentis magnitudinis moles deijciũtur, ne aſſiduo aſſurgentis impetu maris inſula, cedant fundamenta inſulæ, atque vi nimia ſoluantur. Vnde fit, vt illidentibus ſeſæ in partem inſulæ fluctibus, & currentibus in aduerſum inter ſcrupeas rupes, moleſq; conſtructas, canalis ille medius ſemper ſit inquietus, atque exaſperato tranſitu periculoſus fiat nauigijs



ingreſſus:

ingreſſus: amplitudo portus ſtadiorum XXX. ſtatio tuta, placiditas maxima quauis tempeſtate: quia memorati oris anguſtijs, atque obiectu inſulæ repellit à ſe vndas maris, & fit intùs tutiſsim⁹ portus, compenſatione quadam ingreſſus periculoſi: quia per eaſdem portuenſis oris anguſtias totius portus defenditur ſinus, & ſummouetur à tempeſtatibus, placidatur à frigoribus, per quos ingreſſus exaſperantur: Nec immeritò vel tutamen, vel magnitudo portus huiuſmodi eſt, cùm in eum, quæ ad vſum totius orbis proficiant, conuectari neceſſariū ſit. Nam & populi innumerabiles eorundem locorum, ad vſum ſui expetunt totius vrbis commercia, & frugum regio ferax, cæterorumque terræ munerū vel negotiorum abundans, totum frumento alit atq; inſtruit neceſſarijs mercibus orbem terrarum.

## Caput XXVIII.

COmpoſitis itaque erga ſe rebus in Alexandria Veſpaſianus, & ſtudijs omnium, qui rem militarem gerebant,

circa



circa ſuum imperium conſpirantibus, ſecurus abſentiæ, reditum in Syriam maturat: conuento mandatis tamen Tiberio Alexandro, qui tunc Aegypto præſidebat, vt eius exercitus, qui tum in ſuperioribus partibus erat, gratiam ſibi conſociaret, ipſe quoque neceſsitatem imperij Romani, quibus poſſet, adiuuaret viribus. Quæ ſibi impoſita forent, Tiberius per epiſtolam prouincialibus & militibus inſinuauit, idq; ab omnibus cū lætitia ſuſceptum, fides promiſſa, effuſus fauor. Veſpaſianum Cæſar ſuſcipit: Inde Beritos, legationibus vrbium cum ſummo gaudio confluentibus. Illic etiam Ioſephus ſolui precept⁹ vinculis iuſſu Imperatoris, adiuuit Titus vt frāgerentur potiùs, quàm ſoluerentur catenæ. Quòd ſi frangerentur, ita eſſet quaſi nō fuiſſet ligatus. Placuit patri ſecurim deferri, iuſſit frangi catenas, vt aduerterent Iudei ſibi quoque veniam non negandam, ſi cōuerterentur & pacem rogarent: ſimul quia non alieno eum arbitrio iam reſeruabat, cùm ad ſe rerum omnium delata arbitria forent.

Tiberius Alexāder preſes Aegypti.

Ioſephus vinculis ſoluitur, fractis potiùs quàm ſolutis catenis.

## Caput XXIX.

VEntum Antiochiam, ibi tractu habito, vnde oporteret ad Italiã tráſmittere: quia tuta in Aegypto, vel Alexandria omnia conſiderauerat. Conſultum celeritati. Dimittit itaque Mutianum cum parte multa equitum, & exercitus pedeſtris, vt preueniret in Italiam aduentum Imperatoris. Is prolixæ nauigationis reuocatus formidine, per Cappadociam & Phrigiam iter direxit. Antonium quoq; præcepit Præfectum tertio ordini militari, qui erat in Myſia, in imparatam ſe Italiam effundere, priuſq; Vitelliani ſeſe mouerẽt. Nam Vitellius quaſi crapulatus & ſomno demerſus, cõuiuij rem geri exiſtimans, non imperij, in tantis poſitus negotijs dormiebat. Deniq; vix tandem excitatus nuntio aduenientis Antonij, dirigit Cecinnam cũ exercitus parte, & periculi ſui ſummam alieno arbitrio committit, fretus Cecinnæ viribus, quòd Othonis manum fuderat: Ille circa vrbem Cremonenſium Antonio occurrit aduenienti: explorat oĩa, cognoſcit

Mutianus

Antonius

Vitellius crapulat⁹.

Cecinna.



cognoſcit præualidam manum è diuerſis affore, ſtrenuam bellis, exercitatam triumphis: ſe contrà nec viribus æquis, nec numero pares poſſe decernere aduerſum validiores: conuocatis Centurionibus ſuadet bello deſiſtere, quòd eſſent numero inferiores, & gloria Imperatoris præponderaret, ſatis in bello valere famam Ducis rem ſummã gerentis: Veſpaſianum in Gallicanis partibus, & Britanniarum victorijs emicuiſſe: Veſpaſianum Orientalibus ſuccinctum adoreis, magno vti ſui nominis præiudicio. Vitellium autem nihil aliud niſi vino ſolutum, & inter conuiuia pridiana ſemper ructantem epulas, nihil aliud expectare, niſi vt cùm hoſtis aduenirct, ebrius pereat ſine ſenſu doloris. Ex illo augeri militum animos tanti gloria Imperatoris: ex iſto deijci per opprobria eius & turpitudines: conſulendum, ne prioris belli famam omitteret, licet vicerint Othonem Vitellio parem, aduerſus eum nunc eſſe negotium, qui totum orbem triumphis ſuis cinxerit: præueniendam gratia neceſſitatem, vt ciuem potiùs Veſpaſianũ

 eligant,

Miſerum eſt bello ciuili vincere.

eligant, quàm hoſtem experiantur. Miſerum eſſe bello ciuili vincere, quantò miſerius vinci, vt videaris hoſtis tuorum? Victori patria manet, victo perit: aut ſi manet, ad ſceleris inuidiam manebit, vt videamur ciuibus intuliſſe bellum pro tyrāno. Qui enim vincitur, non iam ciuis, ſed tyrannus eſt. Quid conſerimus noxias manus? Semel ſatis ſit ſceleri viciſse, vt pudeat cui vicerimus. Putauimus vel imperium ſobrium fore, vel rerum molibus expergeſactum, ſomno perpetuo renuntiare. Quid expectamus diuti⁹? Pericula noſtra ingrata ſunt omnibus commilitonibus, omnibus populis iudicia noſtra reprehenſa, & condēnata propter electi flagitia. Qualis ſit cōſiderare, qui etiam victor repudiatus eſt. Conſultandum certè priùs de belli euentu, & ſic præliandū. Si pericula præuenerint, fruſtrà conſules: vbi conſilium placuerit, rectè incipies, quod ſoliciti Ducis eſſet: explorata ſibi omnia, patuiſſe Veſpaſiani exercitū eſſe validiorem, fidē ſuam pro Vitellio iamdudū probatā, quando præſumpſit de belli euentu, victoriā ſecutam



ſecutam quando diffidit: in promptu eſſe, quid ſit futurum. Neque verò mortem ſuam ſibi eſſe formidini, ſed exercitus Romani periculum: & quod plus dolet, viris partæ iam diſpendium laudis, vt videantur victi, qui ſolent vincere. Sibi certè cauēdū, ne iudicetur, & illud nō fortitudinis, ſed euentus fuiſſe, quòd vicerit bello ſuperiore, & iſtud ignauiæ, quòd victus poſteà ſit.

## Caput XXX.

HIs atque huiuſmodi ſermonibus abduxit in ſententiam ſuam milites, vt ſecum ad Antonium pergerent voluntarij, atque ei ſe traderent: ſed vt ſe habet vulgi maximè militaris mobilitas, compuncti ſunt plerique per noctem in cubilibus ſuis, deſerti vt Vitellij pœnitētia: ne ſi ſuperior fieret, nullus ſibi veniæ locus ſupereſſet, qui Imperatorem proprium dereliquiſſent. Et ſurgentes primò cum obuijs quibuſque, deinde cum omnibus conferre cœperunt, quomodo erratum emendarēt. Euaginatisq; gladijs, inſiluerunt ſuper Cecinnam, volentes

volentes vltum ire iniuriam ſuæ prolationis. Sed interuenientibus Centurionibus & Chiliarchis, à nece quidem eius temperandum rati, victum tamen Vitellio dirigere parabant. Quo cognito, Antonius mouit eos, quos ſecum deduxerat, & armis ſuper defectores irruit. At illi viſo agmine partis aduerſæ, parauerunt ſe ad prælium: ſed pauliſper auſi reſiſtere, vbi ſe conuertêre, vt Cremonã confugerent, cum equitibus Antonius occurrit, atque omnes præuenit aditus: ne confugientes reciperentur, clauſoſque ante vrbẽ interfecit. Cæſa illic multitudo maxima, reliquos in ipſam vrbẽ perſecutus peremit. Direpta omnia, plurimi negotiatores ex alijs locis aduenientes, plurimi incolæ prædæ cauſa necati, dum ſua vendicant. Extincta triginta millia, & ducenti viri, qui aderant de exercitu Vitellij. Primusque (id enim Antonio cognomentum erat) quatuor millia quingentos de Myſiacis militibus amiſit: quoniam deſperatione ſalutis vlciſci ſe volentes Vitelliani, vbi circumuentos ſe videre, haud incruentã & ipſis Anto-


Antonianis victoriam ceſſere. Solutus vinculis Cecinna, dirigitur ad Veſpaſianum ab Antonio, ibique non ſolùm ſalutis ſecuritate, ſed etiam præmiorum ſolutione conſolatus eſt maculam proditionis.

## Caput XXXI.

CVius victoriæ nuntio elatus Sabinus, volens & ipſe commendationem ſibi apud Imperatorẽ parare, ſi præueniret aduenientem Antonium Vitellij vel exitio, vel expulſione: aut ſi reſiſteret Vitellius, ſuperueniretque Antonius, qui iamiamq; affuturus audiebatur, congregat ſibi militarẽ manum ex his ordinibus, qui Romæ poſiti curabant munia vigiliarum, occupat nocte & Capitolium: plurimi ad eum nobilium per diem confluxêre, inter quos etiam Domitianus Veſpaſiani germano editus, qui metuens, ne in ſe, quaſi in Veſpaſiani nepotẽ, Vitelliana vltio deriuaretur, inter duos poſitus Vitellios, propriorẽ adoritur, minùs ſolicitus de remotiore: (plùs enim propiora terrent pericula) Indigna- Domitianus.

Indignatuſque immittit Germanos in Capitolium, qui pręferoces immanitate gentis, ſimul numero validiores, circũuenerunt rebellatricem Sabini cateruam: interfecti propè omnes. Domitianus tamen cum pleriſq; nobilium, dum Germani ad ſuperiora Capitolij nituntur, & à Sabino eiuſque ſocijs loci pelluntur, ſuffragio fugiendi locum reperit, aut fortè, q̃a & ipſe malo publico reſeruabat̃ tyrannus futurus: Sabinũ Vitelli⁹ excruciatũ necat, diripiũtur oĩa munera oblata Capitolio, templũq; incendit.

Sabinus necatur.

## Caput XXXII.

POſt diem Antonius adeſt, è diuerſo occurritur, trino circa vrbis mœnia congreſſu habito, fuſi cæſique omnes Vitelliani: intereà Vitellius epulabatur, ne amitteret moriturus prandium, & redũdantioribus (vt in extremis ſolet) menſę ſibi vltimæ dapibus refertiebatur. Obruebat ſe vini poculis frequentioribus, vt ſenſum amitteret futuri vel opprobrij, vel periculi: rapitur è conuiuio, trahitur per multitudinem, inſultatur, morituro inferuntur iniuriæ, quas ebrius nõ ſentiebat. In media perimitur vrbe, vina ſimul & ſanguinem fundens, & eructans crapulam, qui ſi diutiùs vixiſſet, luxuriæ ſumptibus, & pretio men ſarum Romani imperij opes abliguriſſet. Denique octo menſibus & quinque diebus imperitauit. Et iam Roma edacitate eius defecerat: Numerata ſunt alia cæſorum ſupra quingenta millia.



## Caput XXXIII.

SEquenti autem die Mutianus & Antonius cum exercitu pariter ingreſsi, vix finem necandi furentibus militibus impoſuêre, eò quòd præſumptores conſtituendi imperij Vitellianos perſequebantur, & explorabant priuatorum domos, tanta perciti indignatione, vt cùm de populo aliquos metu latentes inueſtigaſſent, priuſquàm Vitellianos ferirent, quàm cognitio veritatem manifeſtaret, vt ſæpiùs vincentium furor interrogationem præueniret. Et quia abſens erat Veſpaſianus, quaſi ad interregni vicem Domitianum publicis

Mutianus

Mutianus præfecit negotijs, ne quid eius deeſſet rebus ſecundis. Nondum tamen Domitiano ſe penitùs infuderat libido flagitiorũ, rudis erat adhuc vitijs, & Tyro criminibus & poteſtatibus. Veſpaſianus hyeme retentus, atque interclufo ventis mari, cum filio Alexandriam redijt: illic victoriæ nuntio plebisq; Romanæ comperto in ſe fauore, profectionem maturãdam conſtituit, ne quid abſente ſe nouaretur: nec tamen incuratum Iudææ bellum reliquit, quod filio, quaſi conſorti ſuorum operum ac ſucceſſori committendum putauit: vt neq; Romanis ipſe deeſſet, neque Iudæis Veſpaſianus, quem filius repræſentaret. Executor igitur paterni electus triumphi, cum electa manu dirigitur. Titus pedes egreditur, Nicopolim petijt: Abeſt ea ciuitas ab Alexãdria viginti quatuor ſtadijs: inde militibus claſsi nauium maiorum impoſitis, Nilo decurrit vſque ad vrbem Thoni. Vnde progreſſus habitauit in ciuitate, cui nomen Thamna. Secunda manſio viantibus ciuitas Heraclea, tertia Peluſium, duobus diebus ſtatiuorum

Bel.Iu.l.5. ca.14. apd Ioſephum eadem.


tiuorum gratia Peluſij tranſactis, per deſertum agens iter, peruenit vſque ad Caſij Iouis templum: ſuccedit ei Oſtracine manſio, aqua locus indigẽs, tamen diligentia incolæ ſibi ſubſidium parauerant, vt inſtituerent ductus aquarum. Exceperunt etiam Rhinocoluri exercitum progredientem, non ſine grata refectione. Occurrit vrbs Raphæa, quæ ciuitas Syriæ principium eſt, ex Aegypto commeantibus. Ventum eſt Gazam, ea erat quinta ciuitas aduenientibus. Inde in Aſcalonem, deinde Iamniam, ex qua tranſitum in Ioppen, peruentum in Cęſaream: vbi neceſſe erat pauliſper morari, congregare quoq; militum manum, quæ adhuc in hybernis agebat, & iam hyemis aſperitas deficiebat.

# EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANAE vrbis, Hiſtoriæ Liber V.

## Caput I.

ANno primo delati imperij Veſpaſiano, bellis aſperis Iudæa & ſeditionibus domeſticis lacerabatur, nec per hyemem inducias malorum egerat, quando ſolent bellorum requieſcere ſeua: quinetiam tertius ei tyrannus Eleazarus acceſſerat, quaſi emẽdaturus vitia ſuperiorum, qui coniurantibus ſecum Iuda, & Zenonis Simone, & Ezechia nõ ignobili iuuene, quos plurimi alij comitabantur, & occupatis templi interioribus & circuitu omni, ſupra fores in veſtibuli ipſius fronte arma cõſtituêre. Iohãnes tamẽ cõſpirantiũ numero pręſtabat, & factionis multitudine, ſed loco inferior: quamuis nequaq̃ feriaretur, ſed repugnaret ſuperioribus, grauabatur tamen, quòd ſupra verticẽ haberet hoſtes. Simõ verò, quem ſibi tyrannũ populus introduxerat

Eleazarus tertius tyrannus.

duxerat



duxerat, ſuperiora vrbis tenebat: inferiora quoque populo ipſius replebantur. Trino pręlio laborabat intra ſe ciuitas, nulla intermiſsio, nulla requies, nullæ induciæ, momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri iugulabantur, manabat ſanguis, fœdabat vniuerſa, ipſa replebat templi limina, paſsim ruebant cadauera: ſagittis alij, alij miſsilibus feriebantur. Inter illos medius erat Iohannes inferior Eleazaro, ſuperior Simone: quo ſuperabatur ab Eleazaro, eo ipſo ſuperabat Simonem: medius enim inter vtrumque eum locum tenebat, vt quò plùs grauaretur ab altero, & ipſe plùs noceret alteri: inſtructior tamen cæteris, ſubſidijs machinarum, & genere telorum bellum æquabat: ita tamen, vt præter eos, qui bellum mouerent, plerique etiam Sacerdotum interficerentur: atq; inter ipſas, quas mactauerãt hoſtias, immolarentur: quãuis enim frequẽs ſuper vniuerſos rueret telorum ſeges, & vbiq; feruerent prælia, tamen Sacerdotes ſacrificandi miniſteriũ ſolenniter obibãt:



nec

nec feriabantur commiſſo ſibi munere, & quò in interioribus erant templi, eò grauiùs perimebantur: quia tormento acta vehementiores ictus habebant. Plerique etiam, qui de vltimo orbe precatum venerant, ſperantes remedia ſalutis, quò magis tẽplo inhæſerant, eò maioribus periculis inuoluebantur. Cerneres externos cùm ciuibus Sacerdotes ſimul & profanos iacere, graues cũ turpibus, luxurioſos cum abſtinentibus, confuſoque omnium promiſcuè ſanguine, & quaſi profluuio decurrente, interiores ipſos ſtagnare receſſus templi: in circuitu omnia cruore tumeſcere, vt plerique, dum inuicem propugnatores partium petunt, lubrico offenſi, quaſſati furore, in ſanguine demergerentur: nec ſic tamen periculis territi abſtinebant prælio tyrannorum ſatellites: & quò maius periculum, eò ampliùs deſæuiebat tempeſtas furoris. Si ijs grauiùs incubuerat exitium, alij quaſi ad victoriam vehementiùs inuitabantur, vt turbatos deſerrent. Et Eleazaro quidem vel Simoni cedendi poteſtas erat, vt quaſi quibuſdam vel horarum



rarum ſe repararent inducijs. Iohannes verò ſemper in procinctu momẽtis omnibus in certamine: ſi ſuperiores quieuerant, vrgebant inferiores ex parte Simonis: ſi hos perturbauerant, Eleazarus infeſtabat: nec ipſe tamen illos quietos eſſe patiebatur, vbi alios depulerat, in alios proſiliebat: peruigil in certamine, & ipſa impiger crudelitate: vbi parcebant telis, ignes iaculabantur, qui comprehenſis tectorum faſtigijs, depaſcebantur domos, quæ refertæ frugibus, cæteriſque ſubſidijs alimentorum, ad belli tolerantiam prolixioris, pariter exurebantur: maioraque pabula incendio dabantur, ruebant ambuſta materiarum, deuoluebantur ſublimium ædificiorum culmina. Ita ſanguine, incendio, ruina, fame, totius vrbis nerui ſuccidebantur. Nullus locus periculo vacabat, nullũ cõſilio reperiebatur, nulla ſpes conuerſionis, nulla fugiendi copia erat. Mœſta omnia, plena horroris, plena immanitatis, vbique luctus, vbique pauor, vbique clamor mulierum, eiulatus ſenum, morientium gemitus, viuentium deſperatio,

vt miſerabiles eos diceres, qui remanſerant: beatos, qui obierant.

## Caput II.

Alloquit autor populum Iudaicum.

QVomodo decepta es ciuitas populis tuis, quibus quondam videbaris beata? Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conuerſæ manus tuæ ſunt, quæ ſolebas ſine armis vincere, & ſine vllo prælio hoſtem ferire, cùm pro te angeli dimicarent, & militarent tibi fluctus maris, terrę hiatus, cęli fragores? Exurge nunc Moſes, & vide gentem tuam, & hæreditatem populi tibi crediti, perire manibus ſuis. Aſpice populum illum Dei, cui peruium gradienti mare patebat, cui eſurienti eſcas cælum ſubminiſtrabat, ſine mari clauſum, ſine Pharaone obſeſſum, ſine terrarum ſterilitate ieiunum. Exurge Aaron, qui aliquando, cùm propter offenſam Dei omnipotentis mors plurimos populi depaſceretur, ſtetiſti inter viuentes ac mortuos, & mors ſtetit, atque obiectu corporis tui hæſit lues, nec tranſire potuit ad contagionem viuentium. Suſcitare & tu Ieſu Naue, qui muros inexpugnabiles Hiericho Sacerdotibus tuba canentibus cõplanaſti, & vide populum, cui exteros ſubiecisti, nunc eundem ſubiectum opprimi. Suſcitare Dauid, exaſperãtem ſpiritum cytharæ ſuauitate ſolitus excludere, & vide, quemadmodum dominetur furor, atq; omnem ſuauitatem pſalmorum tuorum ex perditorũ ſenſibus abſoluerit, & vnuſquiſque de Principibus populum vniuerſum ad mortem offerat, vt libertatem extorqueat, pro quo teipſum morti offerebas. Suſcitare Eliſęe, qui hoſtem introduxiſti in Samariam, & amicum feciſti: per te in caſtris Syriæ quadrigarum increpuit fragor, & vox equitum, & vox virtutis: fugit hoſtis, euaſit obſidionẽ Iudęus. Vbi nunc iſta merita, vbi nunc iſtę operationes Sanctorũ? Nec mirum, ſi amiſerunt Prophetarũ opera, ꝗ negauerũt Prophetarũ arbitrũ: ideoq; in te Iudæa arma vertuntur tua: & orationes tuæ nihil tibi proſunt, quia fides tua nihil operat: ideo aduerſum te factus eſt populus tuus, quia in te conuerſa eſt perfidia tua. Quod remedium quæritur, vbi

Moſes. Aaron. Ieſus Naue. Dauid. Eliſæus.

ybi autor remedij non reconciliatur? Quid putabas futurum, cùm tuis manibus Saluatorem tuum crucifigeres? cùm tuis manibus vitam tuam extingueres? cùm tuis vocibus aduocatum tuum exterminares? tuis infeſtationibus auxiliatorem tuum interficeres? Niſi vt in te quoq; tuas inijceres man⁹; habes, quod petiſti, eripuiſti tibi Præſulem pacis, petiſti necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barrabam, qui propter ſeditionem factam in ciuitate, & homicidium, miſſus fuerat in carcerem. Ideo ſalus abs te receſsit, pax abijt, quies deſtitit, data eſt tibi ſeditio, datum excidium: agnoſce tibi hodie Barrabam viuere, Ieſum mortuum. Ideo in te regnat ſeditio, pax ſepulta eſt, vt crudeliùs à tuis pereas, quàm ſi ab alienis perires. Quid tantum tibi miſerabilis ciuitas, Romanus ſuis armis, quantum populus tuus malorum inuexit? Vt cum Romanis pugnares, tui fecerunt: pacem volebant Romani, tu bellũ indixiſti. Quid cauſæ erat, vt fortiores laceſſeres? Durum ſanè, quòd contra legem ſacram templum gentilis intrauit: ſed

Barrabas.

Ieſus.



ſed iam non eras Dei templum, non eras Dei ciuitas, nec eſſe poteras, quia eras mortuorum ſepulchrum, & præſertim tuorum, quos ipſa occideras, non quos ab hoſte amiſeras. Quomodo enim vitæ eſſe domicilium poteras, quæ eras mortis habitaculum, diuerſorium ſcelerum, latronum ſpeleum? Iacuerunt in te Ananus & Ieſus inſepulti Sacerdotũ Principes, & illi dudum ſacerdotalibus amicti ſtolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, deformi iacuerunt cadauere, eſcæ volatilium, & deuoratio canum, membra laceri tota diſperſa vrbe, vt deplorare veteris ſanctitatis ſpecies videretur, tantam ſacri nominis contumeliam, & ſpecioſi quondam muneris deformitatem: ſed ipſa tibi huius indignitatis exordium feciſti, quæ in medio ſinu tuo occidebas Prophetas, quæ lapidabas Sanctos Domini. Ante templum iacuit Zacharias exanimis, iacuit inhumatus: hic ergo ſanguis illum lauat. Quæ cauſa autem mortis Anano, niſi quòd increpauit populum tuum, quòd non inſurgeret pro tẽpli defenſione, quia expoſtulabat

Ananus.

Zacharias

 liberta-

libertatem proditam, virtutem deſertã, calcatas veterum ſacrorum reliquias, commaculata altaria: relinquendum aſſerebat populum vſu ſimulacrorum inſenſibilium, & ſtatuarum de marmore, nihil iam ſentientem. Multa enim animalia referre ſolent, vel vindictæ viciſsitudinem, ſentire iniuriam, incitari aculeo, declinare verbera: qui ergo nec excitatur, nec declinare nouit quod noceat, ſimilis eſt non ſentientibus. Et reuerà vbi eſt libertas illa tua, cuius ſtudio quõdam non Aegyptijs, non Paleſtinis, non Aſſyrijs, poſteà non Medis cedendum ęſtimauiſti? Vbi eſt illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios, Perſas fugauit, Demetrium perculit: ad poſtremum in paruulis & mulieribus Antiochi arma, gladios, incendiaque ſuperauit, & pro obſeruatione patriæ mori maluit, quàm Regis imperijs obtemperare? Vbi eſt illa deuotio Patrum pulcherrima paſsionum omnium, qua ſe non pro liberis, non pro coniugibus magis, quàm pro templo Dei morti offerebant? Antè & virga Aaron ſacerdo-

Quorũdã animaliũ natura.

Machabęorũ fides.



ſacerdotalis floruit, reciſa de ſylueſtri radice: nunc & fides aret, & ſepulta eſt pietas, & abijt omnis virtutis æmulatio. Nec mirum, ſi populus, qui à Deo receſsit, & improbum contradictionis ſpiritum ſequitur, in ſeipſum diuiſus eſt. Quomodo enim pacem ſuam tenere poterat, qui pacẽ Dei repudiauit? Pax Dei Chriſtus eſt, qui fecit vtraque vnum. Meritò ergo ex vno populo plures aduerſus ſe facti ſunt, quia noluerunt ſequi diuiſa conſociantem Ieſum, ſed ſecuti ſunt coniuncta diuidentem furoris ſpiritum. Soluebas igitur Hieruſalem mercedem perfidiæ tuæ, cùm ipſa tuis manibus deſtrueres munimina tua, cùm tuis mucronibus foderes viſcera tua: ita vt hoſtis miſereretur, & tu occideres: vt ille parceret, & tu ſæuires. Videbas enim, quòd Deus aduerſum te pugnaret, & Romanorum partibus fungeretur, vt ipſa tibi inferres voluntariam proditionem. Et ideo ſpectatores malebant eſſe Romani, quàm percuſſores, ne feruentibus tuis inter ſe viſceribus, manum admouere contagionis magis

Fides aret, pietas ſepulta eſt, & abijt omnis veritatis ęmulatio.

magis quàm fortitudinis æſtimarentur, Ad hæc nefandę cædis ſupplicia accedebat impiæ immanitas crudelitatis, vt ſepulturam omnibus, qui vel in templo necati fuerant, vel circa vrbis plateas negarent, nec humare cuiquam vacabat, dũ bello inter ſe occuparentur, feriendique magis quàm humandi cura vniuerſos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudeſcebant impietatis miniſteria, nihilque in tantis calamitatibus perierat, quàm miſericordia, quæ ſola ſolet alleuare miſerias, ſolare ærumnas. Nam & hi, qui amiſerãt ſuos, non audebant humare propter formidinem, cùm grauis terror ingrueret, & à diuerſæ factionis Principibus: & hi, qui necauerant alienos, cauebant, ne quis illos preriperet ad ſepulturam. Itaque neceſſe erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id ſibi ſumerẽt: vel quod peius eſt, quem parauerãt alijs vſum ſepulchri, cum ipſi non impetrarent. In templo igitur ipſo pro vnguentis benè olentibus, pro thymiaterijs benè ſpirantibus, pro diuerſorum florum odoribus, grauis



grauis erat inſepultorum cadauerũ fœtor, quos pluuia diſſoluerat, quos flamma combuſſerat, quos ſol calefecerat, omnes artus cæſorum ciuium diro odore fœtebant: hinc reſolutorum putredo viſcerum, inde exuſtorum nidor, ſenſus omnes atque ora complebant viuentium, vt ipſi non multò pòſt grauiore morbo conſumerentur, ac ſe ſuperſtites ingemiſcerent, quò duriore pœna perirent: eoque ſeruatos, vt viderent cum patria ſimul ſolui etiã leges naturæ, negari ius viuentibus, pacem ciuibus, ſepulturam defunctis, humana pariter atque diuina maculari ac pollui, permixta omnia, criminoſam eſſe miſericordiam, religionis loco haberi crudelitatem. Caſtrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus: ea ſe ſpectare oculis, quæ Prophetis denuntiantibus non credidiſſent futura. Nónne de ipſis dixerat Dauid? Polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcam volatilibus cœli: Effuderunt ſanguinem eorum velut aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat, qui ſepeliret:

Leges naturæ ſoluuntur.

peliret: Simul enim tunc & gentes venerunt in hæreditatem Dei, quæ auferrent omnia, & templum pollutum eſt ſuorũ funeribus, & inſepulta iacuerunt cadauera interfectorum ad eſcam auium beſtiarumq; voracitatem: effuſus ſanguis, vt ſtagnaret in templo, deeſſet, qui ſepeliret: quia à viuentibus in mortuis, à mortuis in eos, qui adhuc viuerent, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare, ipſe extinguebatur: Et qui defunctum occiderat, in ſepultorem transferebat iracundiam, vt illi ſepulturam negaret, hunc extinguebãt: rurſus qui ſepultorem occiderat, maiorem crudelitatem circa defunctum exercebat, vt iam nihil debentem odio, non ſentientem ſupplicia, ſpoliaret ſupremo naturæ debito. Quid illis aliud accidere poterat, qui diuina non recipiebant oracula? Irridebant Prophetarum annuntiationes, fas omne calcabãt: nõ credebãt futura, quæ vt fierẽt, ipſi accelerauerunt. Erat enim ſermo vetus & frequẽs, tunc perituram vrbem Hieroſolymam, & ſancta eius exurenda, cùm ſeditio belli



belli legem inceſſeret, & domeſticæ manus templum Dei contaminarent: ſed ne hoc quidem intellexerunt. Quoties enim exciſa domus Dei, quoties ſeditio, quoties obſidio, quoties bellum? & nunquàm illa vrbs perijt, niſi quando verum templum Dei domeſticis manibus crucifixerunt. Et quod illud templum? Audiant: Soluite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud. Quid enim aliud, niſi ſacrilegium fuit, cùm impias manus extenderent in autorem ſalutis, cùm lapidarẽt, cùm verberarent, cùm corriperent, cùm occiderent? Tunc verè ſancta eorum abſumpſit ignis diuinus: nam & exuſta à Babylonijs, reparata: poſteà (deſtructa à Pompeio) reſeruata iterum: ſed penitùs exuſta, vbi Ieſus venit, & ſpiritu diuino calore ſoluta euanuerunt. Oportuit huberiore quadam deploratione præire nos funus quoddam paternæ ſolennitatis, & velut exequias quaſdam proſequi, ac ſoluere iuxta maiorum inſtituta: ſed veniamus ad exordium obſidionis Hieruſalem.

Christi corpus templum vocatur.

Caput

## Caput III.

Exordia obſidionis Hieruſalem.

REuerterat in Iudæam Titus,& paucis diebus interpoſitis, vt replerentur ordines militarium numerorum, de quibus lecta manus miſſa fuerat in Italiam, bellum adolebat feſtinans comitari patrem, ne in pericula ſolum dimitteret, aduerſus Vitelliana arma conflictu-rũ. Mouit itaq; iter magno decore exercitus, ſolicitudo vbique & parato agmine ſuſpectans inſidias, quia virtute ſe ſuperiorem videbat. Venit per Samariæ loca, ſuſcepit eum Goſna, quæ ad Romanos iamdudũ conceſſerat: ventum in Aulanã, vnde aberat Hieroſolyma ſtadijs XXX. nihil ampliùs. Inde aſſumptis equitibus numero ſexcentis perrexit equitatum ante vrbem: exploratum quoque loci ſitum, munimentorum qualitatem, murorum altitudinē, ſtudia plebis, quæ ferebatur latronum armis premi, & factionum ſtipamine circumueniri: vt inuita acquieſceret obſidioni, quò minùs voluntatem erga Romanos proderet, ſi libertas daretur. Specioſe igitur cum paucis

Tit' parat ſe obſidioni.



paucis equitabat in aggere publico, qui ad muros vrbis dirigebat, nec quiſquã eſt viſus progredi. Verùm vbi ad obeundum murorum circuitum flexit equum in latus, cùm cętera turba Ducem ſequeretur, erupêre ſubitò plerique de loco, qui appellabatur contra Helenæ ſepulchrum, & exilientes occupauerunt iter, vt intercluderent maiorum equitũ partem, quæ Titum ſequebatur: ipſe cũ paucis prætererat conſultò inſidiantium, vt deſtitutus à cæteris faciliùs opprimeretur: quia neque ad ſuos regredi facile erat, propter inſtantem hoſtium multitudinem: neque progredi vlteriùs foſſa aut vallum ſinebant, cæteraque locorũ impedimẽta, quibus anceps periculum inferebatur.

Locus contra Helenę ſepulchrũ

## Caput IIII.

Circũcinctus Titus in magno verſatur diſcrimine.

VIdens itaque Titus in virtute ſuâ poſitum ſibi remediũ ſalutis, nec aliter niſi ferro iter aperiendum: Iam enim alij reflexis equis diſceſſerant, dum & ipſi Imperatoris filium ſecuturũ ſperarent, conuertit equum, hortatuſque

Hh clamore

clamore cæteros, vt ſequerentur, & ſupra hoſtem irruit: impoſsibile hoc videtur, quomodo potuerit euadere, niſi notum eſſet in bello plurimum audaciam poſſe, quæ vel ſola ſibi murus eſt: Deinde quia alijs ponè ſequentibus, vile vulgus ſibi magis in periculo conſulendum putabat, quàm hoſtem perſequendum: At ſi qui manum extenderat, vt equum teneret, feriebatur. Denique duo tantùm ex Titi ſocijs interfecti, cum reliquis Imperatoris filius ad ſuos reuertit: Neque ſanè dubitandum vdetur, quòd intecto capite, nudus cætera: vtpotè qui in excurſu proceſſerat, non ad bellum paratus, nec galeam, nec loricam induerat, eò nihil exceperit vulneris, cùm maximè in ipſum tela iacerentur, quòd ad excidium vrbis illius vir tantus reſeruaretur. Et profectò cor Regis in manu Dei. Itaque ne creſceret audacia Iudæis euentu fraudis & doli, profectus ad vrbem cum exercitu, poſt noctem redit, & de ſpecula quadam, vnde ciuitas proſpectaretur, & templi magnitudo ampliſsima, demonſtrat ſuis, cum

Audacia in bello murus eſt.

Cor regis in manu Dei.

is, cum



is, cùm qua vrbe ſibi bellum foret, impigros & cautiores eſſe oportere: quòd innumerabilis ſibi populus expugnandus foret, & fraudi paratus. Ordinat qui muris ordines appropinquarent, & quos adhuc feſſos nocturno itinere cognouerat, quaſi ſuccenturiatos eminùs locat. Paulatim proceditur. Vbi ventum ad montem Oliueti, vallis ſub ipſo media inter eum atque vrbem interiacebat, cui nomen Cedron: vbi conſtitutum exercitum de muris aſpicientes (nam ſex ſtadijs aberat) ſeditionis ad tempus ſtudia depoſuêre, & externis hoſtibus aduenientibus, domeſtico foedere ſequeſtrata ciuilium bellorum certamina. Plerumque enim etiam acerba odia metus comprimit. Denique cohortati ſeſe inuicem factionum viri, vt in vnum conſpirantibus ſtudijs patriam defenſarent, ne eorum diſcordia incruentam Romanis victoriam daret, freti numero, hoſtem ſubitò adoriendum putarunt, & improuiſa eruptione primos turbauêre. Sed vbi ſe Romani ipſo vſu veteri, & diuerſorum

Mons Oliueti.

Cedron vallis.

Met' pleruq; acerba cōprimit odia.

 gene-

generum prælijs exercitati, confirmauêre animis ordine ſuo nexi, cædere incurſantes cœperunt, ſcutis repellere, proturbare iactu telorum, haudquaquàm tamen ſine communi exitio. Et propè iam incubuerant Iudæi, & nutabat acies Romana, niſi cognitis rebus aduenitſſet Titus, & occurrens aduerſarijs, confirmans ſuos reparaſſet præliũ, & erexiſſet animos militum, increpans Romanas acies, confuſæ multitudini nõ ſine maximæ ignauiæ probro victoriam cedere. Repulſiſque Iudæis, qui etiam in valle diuiſos inſectabantur, ad ſuos ſe victor recepit, ſecurusque ſuffragij, quòd loci ſuperioris aduerſum inferiores ſi tentarent congredi, ſubſidia dabat, ad aliam partem ſe Romanus exercitus conuertit. Diſcedente Cæſare infundunt ſe de muris Iudæi, & ingenti agmine ſuper hoſtem irruunt: ita vt innumeræ concurſu multitudinis milites fugerent, ac ſeſe ad montium conferrent ſuperiora, nudato latere, etiam cæteri, qui prælium mallent fugere. Intereà Cæſar in medio populi ſitus, orantibus pleriſque, ne ſe periculis


culis daret, atque exercitu diſperſo ſummam periculi ſolus ſubiret: cùm dominus eſſet orbis terrarum (non enim vt antè vice militis pugnaret, ſed imperatoris, in cuius periculo pernicies eſſet vniuerſorum) non acquieuit, ſed militiæ decus præponens ſaluti, apud quem glorioſa mors vitæ opprobrio præponderaret, aduerſum pectus hoſtibus refert, territiſque, quos aduerſum ierat, in alios ſe ſe retorquet. Sola enim ſpe ſui, & nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria, perturbat hoſtem. Cedebant itaq; quos acceſſerat, ſed ex alijs partibus Iudæi magis magiſque infundebantur: ac penè concluſerant Titum, niſi quia plerique militum videntes in medio belli verſari Cæſarem, conclamauerunt cæteris ſignificantes, Imperatoris filium periculis non relinquendum. Sic vniuerſos reuocauit pudor, atque armauit metus, ne deſerti Cæſaris ignominia inurerentur. Conuerſique in Iudæos, niſu omni ac virtute inconditam multitudinem in valle vrgebant, nec difficile fuit aſcendentes relabi. Sic Titus fugientẽ numerum

Titus militiæ decus ſaluti præpoſuit.

Titus penè concluſus erat.

rum militarem bis reuocauit à fuga, periculoq; pariter exuit & opprobrio, virtute pari vſus, & ad poſtremum pudore. Qui dum ignauiam declinat, virtutem inuexit: primũ ne Cæſar relinqueretur, pòſt etiam, vt hoſtis repelleretur.

## Caput V.

Forenſi p̄lio ſuccedit internum.

POſt hæc vbi forenſe prælium paulisper quieuit, internum ſucceſsit. Nanque paſchalis interuentu celebritatis, ſubornatis pleriſque Iohãnes, quaſi obſeruationis gratia templũ cùm adirét, & tanquã ſocijs data ingrediendi copia, dolum patrauit. Ingreſsi enim ſpecie ciuili, ſed interiùs armati, reiectis exuuijs gladios attollũt loricato pectore, & prẹliari accincti munimine. Quo terrore perculſi, qui intra templũ inermes celẹbritati vacabant, exilierunt, templumq; vacuũ dereliquerunt. Eos illis ſecutis, & quos potuerunt cõprehendere, iugulantibus, alios vltra templi circuitum perſequẽtibus, irrumpendi Iohanni ſocijsq; eius occaſio data. Cæſi illic multi mortales, ita vt etiam, qui non reſtiterant, affictis

Dolus Iohannis.



ctis cauſis aliquibus iugularentur: nec tranquillitas quietis proderat, nec ſilentiũ tacitis, nec cedentibus patientia. Cõprehenſisq; interioribus templi, etiam Simonẽ inquietabat Iohannes in ſecundarium locum, Eleazaro cæterisq; Principibus factionis tertiæ ſibi ſubrogatis.

## Caput VI.

Titus tertiò in hoſtem progreditur.

TErtiò quoq; Titus progreditur in hoſtem, atque exercitum producit. Aduenienſque offendit ſtipatam Iudẹorum ante vrbem multitudinem, ſpecie volentium ſe Romanis tradere, ſed quaſi reformidantium. Suſpicatus dolum, & maximè, quoniam proximè conſpiratos inter ſe, & pertinaces viderat: non arbitratus credibile ſubitò mutatos, admonuit milites fraudem cauendam, nec temerè niſi ſecundum præceptum ſuum, conferto agmine muris appropinquandum: ne à tergo illi, qui vrbem egreſsi fuerãt, circumfunderentur. Subitò de ciuitatẽ increpuit ſonus, & quædam ſeditio dementer reſultauit, aliorũ egreſsionem voluntariã ſimulantiũ,

aliorum etiam reſiſtentium, quòd illi aperiri ſibi portas poſcerent, hi clauſas ſeruari iuberent: alij bellum, alij pacem optarent. Militum vulgus ad ſubueniendum his, qui ſubueniri ſibi de muris poſtulauiſſent, proripit ſeſe, egrediuntur plærique præruptim ſine ordine, ſine vllo modo, tanquàm occurſuri aduenientibus, atque auxilium laturi, vt pro piore remedio pluribus erumpendi confidentia tribueretur, vel reſiſtentibus metus, aut inter reluctantes erumpendi ſibi copia. Quibus ſe à tergo circunfundere cœperunt qui foris ſtabant, vrgere circumuentos: illi quaſi ad murum confugêre, nihil ſuſpectantes ab his, qui pacem prætenderent. Inde quoque ſaxa, & tela iniici, & ſubitò ficta pax in prælium verſa eſt. Vnde conciti, in hoſtes recurrunt, qui etſi circunuenire tentauerant progreſſus militum Romanorum, tamē metuebant & ipſi, ne ab omni exercitu circunuenirentur. Itaque dum vniuerſos cauent, hos, plurimis licet vulneribus impreſsis, & ipſi maiore ex parte ſaucij, propè de manibus amiſere, quos iam captos



captos putabant. Secuti tamen vſque ad Helenæ ſepulchrum, ſicut moris eſt, inſultantibus clypeis concrepabant, illudentes Romanis, quòd eos iā ſecundò in ſidijs circunueniſſent.

Inſultantibus clypeis concrepare.

## Caput VII.

Oratio Titi ad ſuos.

CAeſar commotior regredientes miſceri cęteris vetat, & concionem aduocat, dicens: Magna cùm ſit virtus Romana, præſtans vniuerſarum gentiū populis: maximè tamen ea præcedit diſpoſitionis ordine, & pręceptorū obediētia: ea eſt enim diſciplinæ militaris cuſtodia; Nec mirū ſi Iudęi dolos intexāt, fraudes ſtruant, qui ſe iudicēt impares fortitudine. Sed vt inferiorū eſt niti inſidijs, ſic fortiorū cauere ne virtuti illudat dolus. Mirari itaq; ſe, ꝙ illi in deſperatione ſibi congruāt: Romanis non cōueniat in meliorū proceſſu; eoq; fieri, vt illis effectus fraudis in vado ſit, nobis virtutis conat⁹ in ambiguo. Quòd ſi validior eſſet fortitudo hoſtium quàm fraus, ſuperari minus flagitioſum. A paribus enim aut fortioribus vinci, opprobrio vacat.

 Cùm

Cùm verò nihil in nobis offendat, niſi ſola pugnandi immoderatio, & propria quædam manuum intemperantia, quid nequius poteſt eſſe, quàm præſente Cęſare diſciplinã repudiari militiæ? Multùm arbitror ipſas ingemiſcere militiæ leges, tantæ diſſolutionis flagitio: multùm Imperatorem, cùm hæc compererit, qui ſemper audiri ſe à milite ſuo, quàm timeri ab hoſte maluit. Obedientia enim militis effectum properat, metus hoſtium differt victoriam. Quid iudicaturum de filio patrem putatis, cuius tam vile imperium ſit apud exercitum? Pronunciatur enim de Duce, cuius pręceptum diſſoluitur; nec dubium, quòd ſæpiùs vindicatum ſit in eos, qui contra imperium in hoſtẽ pugnauerint, quàm in eos, qui ſecundum imperium progreſsi, virtuti ceſſerint. Nam legibus egredienti ordinem præſcripta mors eſt. Quid igitur futurum, vbi non vnus, ſed paſsim exercitus relinquit ordinem ſuum, & ſtatutum Ducis negligit? Cognoſcite vos milites eſſe Romani imperij, plebis, Senatus, apud quos ſine præcepti autoritate

Obediẽtia militis effectũ properat.



autoritate, & viciſſe crimen eſt. Huiuſmodi oratione perterruit non ſolũ Prępoſitos militum, ſed etiam vniuerſum exercitum. Nam cùm ipſos Principes ordinum acriùs peteret, videbatur in omnes vindicaturus. Circumfuſi itaq; omnes rogabant, vt paucorum culpa, qui primi deſtiterant, vniuerſis concederet. Etſi nõ fuit ꝓperus ad delicti gratiã Cæſar, fuit tamẽ exorabilis ad indulgentiã. Conceſsit cũ ſummo pondere dicens, donare ſe omnib⁹, ſatisq; in vniuerſos vindicatũ inuectionis autoritate, eò ꝙ animaduerſio in ſingulos vſq; ad factũ ꝓcedere debeat, in multitudinẽ verbo ten⁹, illã vſq; ad pœnã, iſtã vſq; ad correptionẽ. Sæpè enim bonis exercitib⁹ præliares lapſus futuræ virtutis cauſas dediſſe.

## Caput VIII.

POſt hæc Titus in hoſtem iram conuertit, & conſiderans inter tot præcipitia, tot prerupta periculoſam obſidionem: cùm repentinis irruptionibus pręuenti, non haberẽt milites, quò referrẽt gradum, vnde ſe in hoſtem proriperent, vbi

vbi machinas conſtituerent, iubet repleri ante vrbem præcipitia: quæ cùm fierent, nec ſic quidem Iudæi exortes erant præſentium periculorum. Afflictabantur domeſtico prælio, cùm Romani in replendis præcipitijs occuparentur, nec exigua manus partis vtriuſque, decem millia cum Simone erant, & quinquaginta eorum Duces: Idumæi quoque ad quinque millia Simonis partibus aſtipulabantur, quibus præerat Iacobus & Simon iunior. Iohannes autem in interioribus tépli (ea fraude, qua ſuprà diximꝰ) occupatis, ſed millibus armatorũ ſtipatus, bellum accẽdebat. Adiuncta ſunt ei etiam duo millia, cum alijs quadringentis viris: poſteaquàm coire cœpêre, ſtudijs concinentibus ad vrbis defenſioné, Eleazaro & Simone Arim, quibus & antè vtebantur, rectoribus. Quibus certantibus inter ſe, præda erat in medio populus eorum, qui vicerant, & quaſi præmium certaminis, huc atq; illuc pro euentu vario transferebatur. Pauliſper inter ſe conuenerant more induciarum, & ad primum Romanorum impetum expergefacti,

Iohannes rurſum bellũ accendit.



gefacti, in veterem morbum febris internæ ægris viſceribus recidebant: vbi remiſsior erat exteriorum morborum acceſsio, foris erat plerunque bellum, intùs ſeditio, eò iam grauior, quia & ipſa ſeditio bello alebatur, & bellum alebat. Duo de potentia certabant, populus inter vtrunque, non de ſeruitute anxius erat, ſed ne ad Dominum deteriorem perueniret.

## Caput IX.

VRbem Hieroſolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio ſermone vocaretur Rex iuſtus, quam primò Solymam nuncupauit: poſteà templum addidit, vnde Hieroſolyma dicta ciuitas eſt. Ea à principio ſuos incolas habuit de gente Chananæorum. Dauid primus vir Hebræus Chananæos expulit, conſtituit ſuos, qui in ea domũ ſibi regiam fecit. Voluit & templũ Deo condere, ſed prohibitus oraculo. Solomonẽ hæredem reliquit, qui templum, quod ipſe voluerat, ædificaret. Solomon itaq; templum fundauit, reliqui quoq; Reges

Conditor vrbis Hieroſolymitanę.

Dauid oraculo ꝓhibitꝰ deo templũ cõdere.

Solomon templum fundauit.

Reges ad ornatum vrbis addidêre plurima. Inuidia ex magnificentia orta: inter omnia tamen opera templum præcellebat ampliſsimo opere, & fulgenti marmore: in quo erat deambulatorium, periperaſma pretioſum & maximũ, cocco & hyacintho, byſſoq; intextum & purpura. Non otioſa materia tantæ diuerſitatis, ſed cuius ſpecies * materiã rerum latentium ſignificaret, eò quòd eius eſſet templum, qui cœlo & aeri, terrę & mari, quaſi creator elementorum dominaretur, atq; omnia ſolus regeret, & gubernaret. Cocco enim igneum cœlum figuratur, hyacintho aer, byſſo terra, quòd in ea naſcitur: purpura mare, quæ conchylijs maritimis inficit, vt duo ex colore, duo ex generatiõe colligas. Deniq; Princeps Sacerdotũ hæc quatuor indumẽto ſuo exprimere conſueuerat, quando maxima celebritas erat feſtorum dierum, quaſi totum mundum indueret, pro populo ſupplicaturus, in eius figuram, qui venturus erat Princeps Sacerdotum Ieſus, qui tolleret peccatum mundi. Fœmora Princeps Sacerdotum linteo interius

Myſteria.

Rationes templi ac veſtium.



rius operimento tegebat, eò quòd præ cęteris in Sacerdote fides mentis queritur, & corporis caſtimonia, quæ ſuccingere debeat carnis intemperantiam. Duo erant tabernacula ſacra, vnum interius, alterum exterius: in hoc ſemper introibant Sacerdotes: in illud interius, quod ſecundum appellabatur, ſemel introibat tantũmodo Princeps Sacerdotũ, nõ ſine ſanguine, quẽ offerret pro ſe, & pro populi delicto. Hoc ſignificãte Spiritu ſancto, venturũ Ieſum, ꝗ verè ſolus intraret interiora diuinorũ penetralia ſacramentorũ, & arcana ſubſtãtiæ cœleſtis, ꝗ noſſet oĩa. Solus quoque patri ſanguine ſuo totũ mundũ reconciliaret, vt & cœleſtiũ & terreſtriũ miſereretur. Deniq; poſteaq̃ venit, pacificauit oĩa per ſanguinẽ crucis ſuæ, quę vel in cœlo vel in terra ſunt. Intùs thymiateriũ, intùs mẽſa, intùs lucerna. Thymiateriũ, quòd ita ad Deũ Patrẽ ſicut incenſum dirigatur maximi Sacerdotis oratio: Menſa, quòd in ea paſsio chriſti ſit, & myſteria ſacramẽtorũ, vnde & Dauid dicit: Paraſti in conſpectu meo menſam. Cuius velut duodecim panes, duodecim

duodecim Apoſtoli ſint teſtes paſsionis eius, ac reſurrectionis eius. Lucerna, quæ ſuber candelabrum ponitur, antè ſub modio erat, id eſt, ſub legis menſura, nunc eſt ſub gratiæ plenitudine, heptamycho frequens lumen effundens, eò quòd Spiritus ſanctus ſeptem maximarum gratiarũ virtutibus Dei templum illuminaret. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat templi, quæ dicebãtur ſancta ſanctorum, vbi repoſita quondam virga Aaron floruit, quòd ſacerdotalis gratia in Chriſto ampliùs eſſet operatura poſt mortem, qua mundum redemit. Ante templum erat quatuordecim gradus, per quos Ezechiæ Regis tempore vmbra aſcenderat, ſignificans ei vitæ finem futurum: ſed oraculo monitus, orauit, & meruit mortis dilationem hoc indicio, quòd iiſdem gradibus ſol refunderetur, qui ſignificaret tot numero annorum commeatum ei vitæ refuſum.

Rationes quarundã ceremoniarum.

Ezechię mortis dilatio.

## Caput X.

CVm igitur munita eſſet vndique ciuitas plurimorum Regum operibus


bus, & maximè Herodis, qui caſtrum (cui nomen Antoniæ) ad ſummi operis magnificẽtiam communiuit, & ampliſſimo ornauit decore, circumibat Cæſar requirens, qua ex parte ſe poſſet faciliùs vrbi infundere, inſpectóque per totum circuitum muri ambitu, æſtimauit in finitimo tumuli, quo ſepultus iacebat Princeps Sacerdotum Iohannes, adoriendam obſidionem. Cui diligentiùs exploranti, adhærens vnus ex amicis Nicanor, ſtudioſiùs intendens muneri, ſagitta percuſſus, cadit. Propiùs quippe acceſſerat, dum putat aliquem profectum fore pacis futuræ, ſi ſibi conferendi ſermonis daretur copia, qui potens ac validus ad tentandos audientium animos ęſtimabatur. Commotus Cæſar, quòd ei, qui ſalutaria commoneret, improuiſo vulnere mortem irrogauiſſent, in prælium cogit agmina, bellumque accenditur iactu telorum diuerſo, miſsilibusq; maximis, admouentur arietes, quîs feriuntur valida murorum. Quo perturbati omnes, qui antè de dominationis inter ſe ſtudio certabant, in concordiam coeunt,

Antoniæ caſtrum.

Nicanor.

Ii

coeunt, dataque impunitate ſuperiorũ, vnum corpus ſeſe fecêre, & conſpirati cogente periculo, vrbem tuentur. Progreſsi quoq; tumulos, ignem ſuper machinas iaculabantur, vt deſtruerent aggeres, exurerent vineas, arietes incéderent, ac penè omnia machinarum genera exuſſerant, niſi electi plerique militum & ſociorum maximè ex partibus Alexandrinæ vrbis ſtrenuè repugnauiſſent. Quibus tamẽ validè reſiſtentibus, addidit Cæſar adiumentum equitum potentiorum. Ipſe quoq; acriter pugnans ſternit XII. aduerſi agminis propugnatores. Ita vis multitudinis reliquæ exitium declinans, in vrbem reuertit, & ab incendio Romana opera defenſa. Cecidit eo prælio Iohannes Ductor Idumæorum dum ante muros, cognito ſibi Romano militi ſermonem conſerit, ictus terga ſagittæ vulnere, continuò labitur. Arabem ferunt peritiſsimum, de iaculatoribus eius obitus autorem: grauique mœrore affectos Idumæos, quòd virum & manu promptum amiſerant, & bonũ conſilio.

Iohannes ductor Idumęorũ cecidit.

Caput



## Caput XI.

Tres turres ſubitò corruunt.

SEquenti nocte accidit vt tres turres, quas Titus attolli iuſſerat ſupra aggerem, quo Iudæos vel ex æquo, vel ex ſuperiore ſpiculis figeret, ſubitò nulla vi hoſtium ruerent. Quo ſonitu Romanorum exercitus omnis turbabatur, ea opinione quòd ab hoſte deſtructos aggeres, ſuccisas turres arbitrarentur, quæ ruẽtes ingentem latè ſtragem dediſſent: ac penè admiſſum erat facinus miſerabile, vt victores incertis per noctem hoſtibus fuga cederent, niſi quòd tenebræ ruinaque ipſa, excito puluere proſpectũ ademerant, vt quò fugerent incertum haberent: Quærebat vnuſquiſque de proximo quid accidiſſet, nec cognoſcere veri poterat fidẽ, quia ſimiliter ab omnibus eiuſmodi caſus ignorabatur, donec Cæſar rebus compertis, inſinuare præciperet id, quod acciderat caſus repentini, non vllius hoſtilis fuiſſe irruptionis. Sic ſedatus pauor, expugnandæ vrbis ſubſidium omne in viribus locatum. Nam cùm altiſsima murorum

Ii ij eſſent,

eſſent, & pleraque ferro aut ære operta, atque ipſa altitudine hoſtes à iaculis defenderētur, Romani admouêre arietum machinas, quorum ictu frequenti muri valida laxabantur: inniti leuioribus ſpiculis cœpêre & ſagittis, vt propugnātes auerterent, impedimenta prohibentium detorquerent. Sic paulatim quatiētibus murus cedebat: vnde maiorem ipſum arietem exciſorem vrbium Iudæi appellauerūt. Soluta itaq; murorum parte, dereliquêre Iudæi muri ipſius propugnacula, ſecuri, quòd duos alios muros interiores haberent, & conceſſere ad murum ſecundum. Illis fugiētibus, Romani ingredientes per caua muri, portas aperuêre: ſic intromiſſus omnis exercitus, penè diruit murum exteriorem, ne bellantibus eſſet impedimento: aut ſi res aduerſę forent, clauſtrum refugientibus.

Romani ꝑ caua muri ingrediuntur.

## Caput XII.

DIuiſerunt ſibi loca Iohannes & Simon coniurati circa murum ſecundum, Iohannes cum ſuis in caſtro, cui nomen Antonia, præliabatur: ei propinqua



propinqua erat porticus templi, quę vergebat ad partem Septentrionis. Nam & ipſe locus (in quo caſtrum poſteà Antonij vocabulo conditum) duas interiacēs porticus Septentrionalis, hoc eſt, Brios nuncupabatur. Simon verò ad Iohannis ſepulchrum vicē tuēdę vrbis ſuſceperat: his pro ſalute, Romanis pro victoria certamen erat. Quibus etſi virtus potētior ad congrediēdum, locus tamen inferior ad obſidionē: cùm eos de muro grauaret prælium. Temeritas Iudæis inſolentior, fortitudo Romanis acrior erat: imminebant partibus Duces, eoque maior oriebatur contentio, dum quiſque ſuis ductoribus pericula ſua geſtit probare. Simon ſuos vrgebat terrore & formidine: Romanos Titus pudore ſui quàm maximè conueniebat, quòd morte grauius arbitrantur, non exhibere pericula ſua Cæſari, cùm ipſe toties pro exercitu periculis offerre ſe non dubitauiſſet. Armabat eos vincendi conſuetudo, & cedendi ignorantia: præcipueque præſens vniuſcuiuſque virtutis arbiter Titus, à quo non remuneratio fortitudinis expectabatur,

Locus Brios nuncupatus.

ctabatur, ſed ſupra omnia fructus amplisſimi erat præmij, illo ſpectante quicquam ſtrenuè geſsiſſe, quod ei non diſpliceret. Eo incentiuo Longinus equeſtris militiæ vir excit⁹, aduerſas pro muris videns Iudæorum cateruas, tanquam indignatus quòd Romanos bello laceſſerent, & ex equo prodire auderent, deſiliuit equo, atque in medios ſe iniecit hoſtes: Et vnum more ipſo parantem occurrere, telo percuſsit, ſimulque eius vocem & animam rapit: Alteri ereptum de corpore proſtrato telum infigit, & ad ſuos victor ſeſe recepit. De præeminentibus loquimur: cæterùm multi imitatores vtraque ex parte, ſed diuerſo genere: Iudæis deſperatio audaciam dabat, Romanis gloriæ cupiditas virtutem addebat. Par tamen imparibus animis mortis contemptus: Iudæis ſolatium putabatur cum hoſte commori. Titus feſtinabat conficere bellum, ſed ſine ſuorum diſpendio, qui etiam ipſos hoſtes ſeruare ſi poſſet, quàm perdere malebat. Nec aliud monebat militem, niſi cõſultò bellandum; eam ſolam eſſe veram virtutẽ,

Longinus equeſtris militię vir in medios ſe irruit hoſtes.

cui



cui ſit comes prouidẽtia: nam ſine cõſilio fortitudinẽ temeritatẽ videri, nec vſquã magis cauendum quàm in victoria. Perire enim cũ inferiore ſuperiorẽ, victi triũphus eſt. Cõſulendũ itaq; ne videat̃ euent⁹ fuiſſe, ꝙ vicerit: ignauię, ꝙ conſortiũ periculi nõ euaſerit. Iubet itaq; arietẽ admoueri ad mediũ muri ſeptẽtrionalis.

Virtuti ꝓuidẽtia comes.

## Caput XIII.

ERat ibi Caſtor callid⁹, & ad fraudẽ parat⁹, qui fugatis cęteris per iacula ſagittariorũ, cũ alijs nouę fraudis ſocijs prętẽdebat. Is vbi appulſu arietis turrim euerti, murũ labere, ac facilè ruiturũ, ſi tormẽti ict⁹ repeteret̃, animaduertit, manus tẽdens rogabat Cęſarẽ voce miſerabili, vt periturę vrbi iã parceret, nec ſupremo excidio labefactandã putaret. Cæſar ęſtimauit ꝙ ſedulò veniã deprecaret̃, manus daturus vt deditio procederet, iubet tormentum ceſſare, iaculatores temperare à prælio. Caſtori dat loquẽdi copiam. Ille deſcenſum ſimulare, dein quaſi ſuadere ſuis: alij velle, alij reniti, ſubitoque velut indignantes qui coge-

Caſtor callidus.

 rentur,

rentur, ſupra loricam ſe percutientes cęcidêre. Miraculum ingens, cùm fraus lateret, ſic tempus duxêre: Inter quę vnus è militibus Romanis iaculo ſagittæ narem Caſtoris percuſsit. Ille deplorare & conqueri apud Cæſarem, poſcere, vt iuberet aliquem ſibi dextram dare, ita ſe perfugio vſurum. Cæſar Ioſepho mandat negotium: verùm ille, qui caueret Iudæorum inſidias, nihil ſyncerum in eo intelligere ſe reſpondit. Aeneas tamen propiùs murũ ſucceſsit, & vt aduenientem ſuſciperet, occurrit. Cui Caſtor vociferans, vt ſinum aperiret, aurum exciperet, ſaxum dimiſit. Ille oculis vigilantibus lapidem præuidit, celeriq; corporis ſaltu lapſum euadit: alium tamen propè aſtantem ſaxi inuoluit immanis ruina. Hoc Cæſar intuens, acriùs incubuit ad murorum deiectionem, præcipiens maiore vi tormentorũ impelli. Contrà ad exurẽdas machinas ignes iaciebãtur. Sed vbi murus ſolutus eſt, Caſtor cũ ſuis quaſi in ignẽ ſe deiecit, dolo ꝑtexẽs animi magnitudinem in contẽptu mortis, cùm dolo turpi vitæ effugia captaret.

Caput



## Caput XIIII.

VNus iam murus, hoc eſt, tertius ſupererat, ſubuerſis duobus: adhuc tamen Cęſar reſeruabat patientiam, qui aduerterat iam ſibi perire, quicquid periſſet. Dum parcit, & prouocat ad deditionem, nõ expectato agmine, cum paucis irruens ſupra murum ſecundum, cõgregata manu Iudæi in anguſtijs plurimos ſauciauerunt: plerique etiam vtrinque mortui. Tunc Cæſar eminùs ſagittis figebat reſiſtentes, inter confertos iacula nuſquàm eludebantur, nullus ictus ſine vulnere. Sic remouere ſeſe Iudæi cœpêre: & Titus ſuos recepit. Et fames iam vrbem grauiter inceſſerat. Iudæi tamen pro victoribus, quia ſe intra ſecundum murum receperant, quaſi expulſis Romanis gloriabantur: ſed neque lapſa reparare, nec lapſura defenſare poterant. Reſtiterunt tamen aliquantulũ. Pugnatum triduò ad murum ſecundum. Quarto die virtutem Romanam nõ ſuſtinentes, refugêre intra tertium murum. Cæſar ab irruptione interim temperari iu-

Ii v bet,

bet, ſubuerti tamen precepit ſecundum murum. Et quia ſupererat maxima belli portio, ſtatuit, vt miles ſibi conueheret alimenta, ne victores inopia vrgeret, afficeret indigentia. Quatuor diebus ſibi miles frumenta conuexit: ſimulque idoneum viſum eſt tempus, quòd Iudęi, ſi ſibi conſulerent, conuerterentur. Et populus quidem malebat, ſed Principes ſeditionis reputantes, quæ in plebem grauibus flagitijs perpetrauerunt: dum nullum veniæ locum ſperarent, perire cũ omnibus leuius arbitrabantur, quàm ſi ſoli autores perirent. quinto itaq; die, quia nihil à Iudæis pacificum deferebatur, gemino agmine Cæſar mœnia aggreditur: & duos aggeres attolli imperat, vnum contra Antonium, alterũ contra murum, qui erat contra Iohannis ſepulchrum. Eo enim ſuperioris vrbis excidia petebat: Illo autem altero, ſi caſtrũ expugnauiſſet, etiam templo facilè potiretur. Quod niſi in ſuam poteſtatẽ deduceret, etiam vrbem tenere non poterat ſine periculo. Diuiſerat Titus exercitũ in duos ordines. E diuerſo quoq; diſtribuerant


buerant ſibi Iohannes & Simon officia defenſionis: Antoniam defenſabat Iohãnes, Simon cum armatis ſuis, & populo Idumæorum ad ſepulchrũ Iohannis ſpeculabatur, atq; omnes obſidentium conatus de ſuperiori loco, quibus poterat generibus eludebat. Et iam exercitatiores erant, malis edocti occurrere machinis obſidionis, pluraq; genera ſibi tormentorum & ipſi aſciuerant, quibus Romanorum opera deſtruerẽt, cœpta impedirent. Quorum Cæſar aduertens præcipitem pertinaciam, admiſcere operibus ſermonem voluit, ne fortè deſperatione veniæ peruicaciùs obniterentur, ac ſpe promiſſorum poſſent deſiſtere. Suadere itaque cœpit, ne ſe captæ vrbis excidijs inuoluerent, permitterentque eam ſuæ poteſtati, quę armis iam teneretur, & circũuallata obſidione premeret ad excidiũ ſupremũ, cedentibus ſe veniã daturũ: ſi modò vel ſibi vel patriæ conſulerent, ne tota ciuitas dirueretur. Mãdat quoq; Ioſepho, vt ipſe patrio ſermone ciues alloqueret, vt fortè cõtribules ſuos, vel ipſe inflecteret, vt furori ꝑprio renuntiarẽt.
Qui

Qui licet effuſa Iudæorum in ſe odia no uiſſet, tamẽ quantùm à iactu ſagittæ longiùs poterat, remotus à muris, ita verò vt poſſet audiri, profutura ciuibus noto ſibi alloquio proſequebatur.

## Caput XV.

Hebręum ingenium

FVerat Hebræi humani ingenij contendere pertinaciter, antequàm res ad ſupremum veniret: dum putatis vos loco & notæ regionis ſubſidijs fore ſuperiores, licet conuenerit Romanos bello inſuperabiles, armis non prouocari, à quibus ſæpè victi ſunt, qui vos vicerant: ſed tamen habet hunc lapſum improuida mens hominum in rebus ſecundis, ſimul quia plerunque belli dubius euentus: & ideo ſe vnuſquiſq; forti committit virtute inferior. Poſtremò de muris ſperatis: Non putatis etiam vſq; ad templi progrediendum euerſionem. Parcitę aris, parcite altaribus, parcite domicilio quondam cœleſti. Iam enim vos & Deus ipſe deſeruit, quia vos pietatis cultũ deſeruiſtis. In medio templi bellum pertulimus, circumfuſi ignes templum oberrant:

Belli dubius euẽtus.



rant: ſed non quales ſolebant, circumſiſtunt armati. Adhuc tamen puras à ſacrilegio manus habentes, volunt Romani parcere, nec ſacros contaminare poſtes, nec veteres abolere ritus, ſi vos ſinatis: quid expectatur vlteriùs? duo muri euerſi, tertius ſupereſt, & ipſe infirmior lapſis duobus. An pręſidium ſperatur diuinum, atq; auxilium de penetralibus? Sed qui nos defendebat, ad hoſtem migrauit: quoniam quem nos colebamus, Romani venerantur, nos offendimus. Quis autem ignorat cum illis eſſe Deũ, qui ſibi omnia ſubiecerunt? niſi quæ nimio æſtu aut gelu inuia ſunt. Et ideo extra Romanum imperium, qui eadem extra vſum humanum. Diuerſis populis Deum per vices dediſſe potentiam: Primò Aegyptijs, pòſt Iudęis, Aſſyrijs quoque & Perſis auxiliatorem fuiſſe nullus negat: poſteà conuerſum ad Romanos, cum his perſeuerare. Deniq; ceſsiſſe illis vniuerſa regna, omnem terrã in poſſeſsionem datam. Quis vobis cum victoribus vniuerſæ terræ, quibus ſecreta Oceani, & extrema Indiæ parent? Quid attexam

Diuerſis populis Deus p̃ vices potentiã dedit.

texam Britannias interfuſo mari toto orbe diuiſas, & à Romanis in orbem terrarum redactas? Tremit hos Scotia, quæ terris nihil debet: tremit Saxonia inacceſſa paludibus, & inuijs ſepta regionibus. Quæ licet belli curam videatur augere, & ipſa frequenter acceſsit Romanis triumphis captiua, validiſsimum genus hominum perhibetur, præſtans cæteris: piraticis tamen myoparonibus non viribus nititur, fugę potiùs quàm bello parata. Sed refertis, mori præſtare, quàm libertatem amittere: Quãdo vobis iſta Iudæi ſucceſsit ſententia? aut quando apud Hebręos vtilis fuit ſeruitus, libertati inutili non prælata? Iacob ipſe Patriarcha in Aegyptum deduxit Hebræos, ne perirent fame. Deſcenderunt Patriarchæ, ſimul duodecim filij eius, præclara illa generis noſtri exordia. Ibi Iudas ille nobilis Iudæorum proſapia, qui nomen populo dedit. Ibi Ioſeph curru ſublimis, & equis ſubijcere ſe in poteſtatem maluit, vt aleret ſuos, quàm ad originis propriæ libertatem redire. Ibi Beniamin pia fraude germani retẽtus, conſenſit dolo: quia non

Saxões validiſsimũ hominũ genus.



non erat crimen ſeruire potentioribus. Ibi hæreditas eorum, cùm vocaretur à Moſe, tamen hærere deſiderabat. Sic Patribus veſtris etiam dura ſeruitus non diſplicebat, vt periculis anteferretur. Seruiſtis ergo Aegyptijs, atque vtinam ſemel. Sed non ſolũ tunc ſeruiſtis, quando cœleſtis eſcæ pluuijs alimoniam ſeruitutis extremæ præferebatis: ſed etiam poſteà victi atque captiui deſcendiſtis in Aegyptum, cùm Aſſyrios refugeretis. Seruiſtis etiam Aſſyrijs per multa annorum curricula, & dulcis illa ſeruitus erat. Seruiſtis Macedonibus, Perſis, Seleucenſibus, Palæſtinis, ſolos Romanos vobis graues putatis, quibus & illi ſeruiunt, quibus vos ſeruiebatis? Vtrum igitur odium his debetis an gratiam, qui vos Dominis veſtris pares fecerunt? vltionẽ veſtri hãc non contumeliã puto, quia vos de his vindicauerũt, quibus ſubiecti eratis. Seruitio premitur Aſſyrius, qui Aſiæ toti imperitabat. Arat Aegyptius Romanis, ſerit de ſuo, quod ille metat. Macedonia, quę vſq; ad Indos deuicta Perſide, imperium diffuderat, agnoſcit

Potentioribus ſeruire crimẽ non eſt.

agnoſcit Dominos, quos ignorabat, & fruſtrà ſe Regibus ſuis Aeacidarum nomẽ impoſuiſſe reminiſcitur. Certè non aliàs ceſsiſſe, niſi ad Romanorum triumphum, quibus & ipſe Pyrrhus Achilleæ ſobolis, & proſapiam & vocabulum pręferens, victus armis, ita ſe promerendæ pacis ſtudio ſubiecit, vt veniam rogaret. Nam de Paleſtinis quid loquar, quos vnius Præſidis poteſtas coercet? Ingrati nunquid non veſtra nobilitas eſt cum Perſis ſeruire? hoc eſt enim ſeruire vobiſcum Reges, regnumque maximum habere ſocium ſubiectionis: ſed quæro, quando fueritis liberi, qui nunc ſeruitutem recuſatis? Quando ergo liberi fuiſtis? vel cùm alijs dominaremini, qui ſub Rege eratis? Habebatis Regem Deum, repudiaſtis regnum ipſius, ſub quo ſolo eratis liberi, voluiſtis ſeruire hominibus. Cur Patrum reuellitis teſtamenta? hæreditas & in Patres contumax. Elegiſtis Regem, cui nomen Saul. Occiſo illo, Palæſtinus vobis populus imperitauit: ſucceſsit poſt tempora Dauid in totius populi regnum, mitior quidem



quidem Domino, ſed Dominus tamen, priuſquàm requieſceret Dauid, genti tamen & ipſe Regem impoſuit. A Solomone rurſus ſciſſum in duo regnum, & diuiſa per longam ſeriẽ dominationis hæreditas. Vt tranſiliam captiuitates, Cyrus pleroſq; terris ſuis Iudæos, & ſacris ſuis reddidit. Sed patres veſtri cùm Perſarũ prælijs grauibus attererentur, quãuis nobiles Machabæorum triumphis elegerunt ſibi Romanam ſocietatem. Tenet ſcriptura diuina multarum pacta legationum. Facti eſtis Romanorum amici, qui Perſarum ſerui fuiſtis. Sed rurſus maluiſtis Regem habere, quàm ſacerdotum Principem, cui populus obtemperaret, cùm ſæuitia veſtrorum regũ eſſet intolerabilis: defuncto Herode, pulſo Archelao, ſub Cæſare eſſe Romano poſtulauiſtis. Tradidiſtis vos Cęſari, cui ſeruiſtis omnes ad mutandum in melius ſeruitium. In communi enim conditione vniuerſorum ſeruire, quædam libertas eſt: quoniam dignitate dominantiũ honeſtantur obſequia ſeruorum: Quanquàm Romani ſeruitutem non exigant autores

autores libertatis, quia non ſolũ immitẽ Regem necarunt, ſed etiam ſuperbũ nõ paſsi ſunt, & ideo auguſtũ apud eos nomen eſt imperij, quòd augeat ſuos, non quòd alienos opprimat. Sed eſto, ſit vtile vobis non obedire imperio Romano, videamus ſi liberum, ſi non exitiale. Vrgẽt Romanæ acies, vrgent patriæ ruinæ, vrget templi excidium: non quòd vtile ſit, ſed quòd poſsibile perpendite. Nõ enim votorum ſpecies, ſed poſsibilitatis ratio penſanda. Lex nempè naturæ eadem omnibus hominibus, volatilibus, feris, beſtijs infuſa, vt vnuſquiſq; cedat potentiori: taurus, leoni: ceruus, vrſo: leo, pardo: caprea, lupo: aquilæ, accipiter: accipitri, columba: ipſi tauro, iuuenci inferiores: arieti, ouium greges: hirco, caper: ne diuerſi generis eſſe videatur aliqua diſtantia, vos potentioribus. Romani tamẽ neminem expellunt, vos expuliſtis: imò illi augent, ne quis etiam victus de terris ſuis exeat. Antiocho partem regni ſeruauerunt. Et nunc Cæſar quid aliud laborat, niſi vt terra veſtra non deſeratur, regio veſtra non euacuetur, ciuitas non euertatur,

Imperij nomen auguſtum.

Lex naturę omnib⁹ eadem infuſa.



uertatur, templũ nõ concremetur? Non omnib⁹ victoria datur. Paucis pręeſſe natura dedit, pluribus obtẽperare. Tauri armẽtis eminẽt, arietes gregib⁹. Penes paucos eminẽtia, penes plurimos mãſuetudo: Et vos induite mãſuetudinẽ, ſuſcipite ſubiectionẽ, quã etiã feræ induũt. Hęc cũ diceret Ioſephus, cõuiciabãtur de muro. Maledicebant vtilia ſuadenti. Plerique etiam iaculabantur ſagittas, ſi poſſent eum morte affligere. At ille, qui oratione non flectebat indomitos, ſcripturarum quoque teſtimonijs conueniendos arbitrabatur: maximè quia dicebãt Deum templi ſui præſidio non de futurum.

Paucis pręeſſe natura dedit, pluribus obtemperare.

## Caput XVI.

Temerarij, nunccíne demum vobis diuinum auxilium affuturum ſperatis, quando permiſcuiſtis omnia bello, altaria violaſtis, diruiſtis totius vrbis munimenta? Temerarij inquam, & veſtrorum immemores auxiliorum, ſcuta & gladios paraſtis & hoc aduerſum Romanos. Nõ talib⁹ armis vincere

ſolebatis. Quando enim in haſta & gladio fuit Hebræorum victoira? Recordamini vnde orti, & à quibus ſitis profecti, quomodo patres veſtri hoſtes ſuos vicerint. Temerarij, quem vobis adiutorem eripuiſtis, dum aliena ſubſidia depoſcitis? Non in multitudine populi, ſed in timore Dei pater Abrahã penetrauit Aegyptum, & cùm abductæ coniugis captiuam videret pudicitiam, bello tamen abſtinuit, aſſumpſit piæ orationis arma, defenſorẽ adhibuit, qui dormiẽte eo vinceret, & expugnato hoſte intaminatam ſibi coniugem repræſentaret. Redit Sara ſine armis, referens viro triumphalem victoriam. Dormiebat Abraham, & torquebat Pharao. Metuebat Sara, & Pharao crimen negabat. Eijciebat alienam, & damnato crimine honorabat caſtimoniam, quam ſpoliare deſiderauerat. Additur aurum, & argentum ad Saræ pudorem, vt condemnaret voluntatem facinoris expertem. Rogabat patrem Abraham, vt pro ſua ad Dominum familia deprecaretur. Erat enim infœcũda domus eius. Remeat Sara ditior ſaluo pudore, reuertit

Nõ in multitudine populi victoria



uertit Abraham ſanctior, qui coniugalis pudicitiæ remunerationem ſterilitatis remedio compenſauiſſet. Quid de filio eius Iſaac loquar? Is quoque patrio fretus munimine, aduerſus finitimi potentis inſolẽtiam, nõ armatas produxit acies: & certè habebat CCCXVIII. vernaculorum validam manum, quę Reges quinque bello ſuperauerat, ſpolijs exuerat, captiuum Loth Abrahæ patruo reſtituerat: Non gladium vagina exuit, ſed ſolam aduerſum inuidentes patientiam induit, ſimplicitatem retulit. Venerunt rogantes, qui exterminandum denuntiarent, popoſcerunt amicitiam, qui finitimum non ferebant. Contremiſco tanta Patrum recenſere mirabilia: Iacob ſanctus, Eſau fratre parricidium minitante patriam reliquit, parentes deſeruit, ſolius ſecum orationis ferens viaticum, meritoq; in peregrinis locis cùm fratris metueret inſidias, & hominum comitatu atq; auxilio egeret, inuenit Angelorũ conſiliũ, perductus (vt ait) ad caſtra Dei, colluctatꝰ eſt Domino: & ſicut dicit Scriptura: Præualuit Deo, qui imparẽ ſe ho-

minibus arbitrabatur. Quid aliud Moſes aduerſum Regē Aegyptiorum exercitū que & dracones eius, niſi ſolam virgā leuauit? potens virga quę cœlum tenebris obduxerit, terram imbribus inundauerit, ſiccauerit mare fluctibus: cinxerant Hebræos Aegyptij, orabat Moſes & nō dimicabat. Diuiſum eſt mare & populus intrauit, ſequebatur Pharao. Moſes inter fluctus poſitus orabat, demerſus eſt cum ſuis Pharao, cantabat Moſes. Quis hæc & talia conſiderans non admiretur, & non intelligat in oratione nobis meliora eſſe arma quàm in virtute? Illa enim ſibi diuinum auxilium adhibet, hæc corporis. Didicit hæc arma, quæ non carnalia ſunt, ſed fortia Deo Moſi diſcipulus, atq; idem ſucceſſor Ieſus Naue, qui imitator & ſuppar magiſtri Iordanis aquas conuertit retrorſum: idemq; cùm inexpugnabiles Hiericho vrbis muros viderat, ſacerdotes tuba canere iuſsit, iubilare populum, quo facto repentè cecidêre muri, atq; exuſta ciuitas eſt, & omnes necati ſunt, niſi quos Rahab bonæ meretricis fides à memoratæ vrbis excidio defendit.



fendit. Gedeon quoq; trecētos viros ad bellum elegit, eodemq; nō arma preferre ſed myſteria pręcepit. In manu leua hydrias aquæ plenas tenere, in dextra faces: qua ſpecie perculſi hoſtes fugêre ilico, atq; ad Hebræos victoria peruenit. Intermiſſa erat ſacræ cura religionis Heli ſacerdotis negligentia, diuina imperia deſerebantur, irrogatum ab Allophylis prælium, victi Hebræi, capta etiam arca Dei eſt, & ſine armis reddita illis: quo indicio claruit, ꝙ & ſine religione arma non vincant, & religionem ſine armis vincere. Ezechias Rex, infuſo Aſſyriorum populo genti Iudææ, votis Rabſacis imperio Sennacherib Regis, quæ in Deum iacerētur conuitia, quæ populo quā ſuprema exitia denuntiarentur, ſatis cōperiſſet inſinuantibus, non verba verbis, nec arma armis referenda credidit: ſed exurgens, cilicio ſe vt ſcuto induit: pro galea cinere caput texit: pro iaculis orationem intorſit. Aſcendit oratio, deſcendit Angelus, cæſa per noctem Aſſyriorum C L X X X V. millia cadauera numerauimus,

 percuſſorem

percuſſorem non vidimus. Præterieram de quinque Regibus, quos inconſulto Domino bellum adorſos, per deſertum meantes, aquæ inopia vehementer affli-ctare cœperat, ipſosque & equos eorum ſitis vexare. Neceſſitas pretermiſſum of-ficium reparari coegit. Erat enim Rex Iſrael negligens circa Dei cultum, admonitus tamẽ ab alijs, vt Domini Prophetã requireret: cognouit Eliſeum ab ijſdẽ, in quibus degerent locis, non longè ab-eſſe, miſere oratum auxilium orationis, & remedia neceſsitati. Licet offenſus erat Regi Iſrael, quia perfidus non credebat, promiſit tamẽ & hubertatem aquarum, & victoriæ celeritatẽ. Manare cœpit aqua per deſertum, & ſpontè ſe ſine vllis imbribus infundere terris fluenta. Surgẽtes aduerſarij, quos ſecuros victoriæ ſomnus huberior laxata preſſerat ſollicitudine, ſubitò vidêre ſole fuſo rutilare aquas; fuerunt, qui inter populos bellatum putarent, quorum ſanguine terra maderet. Itaque in prędam feſtinãtes paſsim ſine ordine, ſine modo currere, alius alium præuenire, ſic præcipites in




in medium progreſsi hoſtium vallati, interfectique ingentem ſuis ſtragem dedêre: ita oratus Propheta à Patribus noſtris ſitim pariter & metum depulit, idẽque aduerſus famem auxilium tulit. Nam cùm obſideretur Samaria, atque in eo clauſus maneret Rex Iſrael, grauis eos vrgebat fames, vt ne à nefandis quidem alimentis abſtineretur, conuentus Propheta tantæ miſeriæ deformitate, ſimulque Regis nuntio, qui putaret Prophetę diſsimulatione famem adoleuiſſe, reſpondit: Sequenti die, & hubertatem frumenti, & vilitatem videbis. Non credenti nuntio, dixit: ipſum quidem, quia non crederet non viſurum, promiſſorum tamen fidem non defuturam: ſubitoque per noctem in caſtris Syriæ hinnitus equorum, curruum fragor, quadrigarum currentium fremitus, armorum ſonitus, auditu metum incuſſere victoribus, quòd in auxilium Hebræis multę ac validæ gentes commeauiſſent, ac ſeſe imminenti, vt arbitrabantur, periculo fuga eximere properauerunt. Nox conſilium maturauit, terrorem auxit. Fugien

tibus itaque Aſſyrijs, omnes quas inuaſerant copias, in caſtris die ſequenti repertæ. Abundantia vtilitatem creauit, vtilitas fidem impleuit, mors increduli ipſi quidem fructum eripuit, publicum tamen remedium non impediuit. Liquet igitur plurimos Patrum Duces, cùm minimè præliarentur, victoriam adeptos. Alios quoque bello ſuperiores fuiſſe, quibus conſulẽtibus bellandi ius oraculo permiſſum foret. Denique victus Amalech: ſed cùm Moſes manus eleuaret, vicit Ieſus Naue, cùm Solem ſtatueret. Vicit & Gedeon, cùm in aqua dimicaturos probaſſet. Sampſon etiam, cùm adhuc intaminatum crinem ſeruaret: vicit & Samuel, ſed cùm adiutorem lapidem figere propoſuiſſet. Triumphauit Dauid, cùm Bethſabeam (hoc eſt, filiam Sabbari) ſuo coniugio propheticis miniſterijs copulauiſſet: vicit etiam bello ciuili, quod refugiebat, illatum non inferebat. Nil enim bello ciuili fœdius, niſi ſolus qui potuit inferre: vicit & Aſaph prælio, ſed poſteaquàm deſperantibus ſuis, quòd numero eſſent inferiores



res, dixit: nihil intereſſe, pauci an plures ſint, cùm Deus paucos timentes ſe, pluribus faciat validiores. Bonus profectò fide, ſi vſque ad finem perſeueraſſet: vicit & mulier armis, quę fidem Deo reſeruauit. At verò Saul victus eſt, quia Dei præceptum non cuſtodiuit. Vulneratus Ioſias, quia contra imperium in hoſtem proceſsit: Sanctus cæterùm, & ideo raptus, ne captiuitatem noſtris debitam peccatis videret. Clamauit Nechao: non ſum ad te miſſus, ferẽs eius fidei teſtimonium, ſed inuoluit eum ſicut antè Amaſiam, conſortium degeneris ſocietatis. Denique & ab homine Dei monitus erat, vt illos, quos ad belli ſocietatem centũ argẽti talẽtis cõduxerat, dimitteret, ſi vellet vincere. Cui dubitãti, ꝙ tantũ pretij amiſſurus foret, reſpondit Propheta, ꝙ haberet Dominus plura, vnde etiã argentũ eidem reſtitueret: quo fretũ cõductis renũtiaſſe auxilijs, viciſſe cũ paucioribus, ne ipſum quidẽ Deo tantæ victoriæ mercedẽ ſoluiſſe: ſed ilicò ipſis ſimulachris, quæ victor ceperat, detuliſſe ſacrificia, quaſi eorũ beneficio vicerit, q̃ in prędam

prædã captiuitatis redegerat. Sedechias ipſe incumbentibus iam patriæ ruinis, per Hieremiam conuentus Prophetam, cùm hoſtili obſidione premeretur, vt vrbem egredi non metueret, victorem futurum, ſi cœleſtibus imperijs obtemperaret: aut captiuum, ſi defendendum putaſſet, infidelitate ſemetipſum & ſuos decepit. Abductus erat ab Aſſyrijs populus Iudæorum in Babyloniam, reliqui ad Aegyptios transferre ſe, qui reſederant, deliberabant. Mandauit Dominus per Hieremiam Prophetam, & cæteros, vt vnius gentis eſſent imperio contenti, ne geminata captiuitas ærumnam augeret. Verùm illi poſthabẽtes oracula Dei, facti ſunt duarum captiui gentium, qui vnius gentis iugo exire impatienter deſiderauerant. Itaque in Aegypto exules perſeuerauerunt. At verò illi, qui in Aſſyrios ducti ſunt, expleto tempore captiuitatis, quod pro peccatis populi Dominus conſtituerat, poſteà Cyro imperante, remeandi facultatem adepti, reuerterunt cum gratia. Renouatum Dei templum eſt, Regum opibus Cyri & Darij,
cætero-


cæterorumque Perſarum muneribus: ipſi itaq; qui euerterant, reparandi ſumptum dederunt, reſtituerunt etiam ius Sacerdotum, cultumq; iuuerunt religionis. At verò noſtri dum ſacerdotiũ inter ſe competunt, & apud Parthos ambiunt conferri ſibi memoratum honorẽ, de religione mercaturam fecerũt. Quid de Babylonijs querimur? Noſtros experti ſumus deteriores: Illi nobis reddiderũt omne ius religionis, illi Sacerdotum creationem reſtituerunt, & noſtri eam Perſis refudêre. Illi ſacerdotales infulas permiſerunt noſtræ poteſtati, noſtri eas Babylonijs vectigales fecerunt. Quid adijciam cruentatum ſacrarium ſanguine, madere ſacra limina, ſemiruta adhuc ſtare templi faſtigia? Minor eſt circa nos ira Dei, quàm noſtra contentio: illa nos captiuos fecit, iſta ſacrilegos: illa diſſeminauit Iudæos, hæc ſuſtulit. Conferte, ſi videtur, quid interſit inter captiuitatem noſtram, & ſeditionem noſtram. Captiuitas noſtra gentibus infudit noſtræ religionis conſortium. Seditio noſtra etiã Iudæis ademit religionis gratiam. Quis
autem

autem Romanos in Iudęam introduxit, niſi Hyrcani & Ariſtobuli contentio? Quis Soſium, niſi Herodes? Quis Antonium, niſi Soſius? Quis Cæſarem implorauit ſibi Regem, niſi vos? Quis præter vos Antipatrum regno expulit, & libertatem in Antipatro? Et tamen non reprehendo, neque abnuo Florum in vos ſceleſtè conſuluiſſe. Sed querela Romanis deferenda fuit, nõ arma inferenda. Spreuiſtis Neronem, ſed Veſpaſianus ſucceſſerat: qui benignus natura, benignior tamen etiam ſtudio eſſe potuit, quia in Iudæa imperium aſſumpſerat: aut ſi non mouebat pietas, virtus certè eius vos debuit adigere, vt vobis conſuleretis. Sed quomodo vobis non parceret, qui pepercit Ioſepho? Cui enim infeſtior, quàm mihi eſſe debuit? Quis maiora aduerſum Romanos munimenta extruxit? Quis ſtudioſiùs pro patria decernendum putauit? Poſtquàm vobis bellando complacita conditio eſt, bellorum quidem initia non probabam, ſed ſuſcepta non deſerebam: teſtantur hoc Iotapatæ vrbis, quæ bellantem adhuc me texerũt, fauillæ,


fauillæ, bello non deſtituiſſe, me poſt eius ciuitatis ruinas delituiſſe, quoàd potui. In illo euerſæ vrbis ſepulchro pertuliſſe famem, ne Romanis me traderem: quęſiſſe veniendi ad vos effugia: ſed deprehenſum, non ſpontè egreſſum, maluiſſe perire cum meis, ſed peperciſſe Cæſarem: optaſſe vobiſcum potiùs periclitari, non quòd probarem conſilium, ſed quò eligerem periculi vobiſcum conſortium. Gratias tamen Deo, quòd tanti ſceleris non incidi ſocietatem, ne ſeditionũ incentor exiſtimarer: aut quia his miſceri nequibam, parricidium, quod manu declinare poteram, vel morte implerem. Certè ne ſanctiſsimam matrem pro me dilacerari cernerem, meorumque diſpergi viſcera, quę miſeranda quidem, ſed tamen tolerabilius eſt ea pati, quàm feciſſe. Quid igitur adhuc expectatis? An ſigna maiorum? Non ea nobis merita, non ea circa Dei cultum officia. Non ea Romanorum quæ Aſſyriorum infidelitas, qui accepto pretio diſceſsionis fidem fregêre: nec recedendum, ſed acriùs ingruendum putarunt.
Quinetiã

Quinetiam vt ex accidentibus colligamus diuinæ motum ſententiæ, Deum Iudæis aduerſari certum eſt. Deniq; Syloa, quæ ante bellum ſicca fuerat, & omnes extra vrbem fontium venæ, quæ diu fluere ceſſarunt, vt aqua noſtro deeſſet vſui, niſi pretio quæſita: nunc in vſus redeunt ſuos, & Tito ſe aduenienti refundunt. Scaturiunt huberes venæ, atq; ita aquarum redundantium omnia replentur, vt non ſolùm exercitui largè ad potum exhuberent, ſed etiam equis, bellatoribus ac iumẽtis, pecoribusq; vniuerſis, hortorum quoque irriguis non deſit aquarum abundantia, vt tanquàm adnitentibus elementis victoriæ Romanæ, largiores credas fundi meatus. Recognoſcimus prodigia ſuperiora, quę etiam tunc noſtræ vrbis præuenerunt captiuitatem: ceſſauit aqua Iudæis, refudit ſe hoſtibus, ne ſiti obſidio impediretur. Nec mirum eſt, ſi receſsit à Iudęis diuina gratia, quos tãta flagitia circumuallarunt. At verò bonus vir plenum horroris refugit diuerſorium, & domum ſuam deſerit: ſi quid in ea cõmiſſum ſceleris agnouerit,





uerit, declinat indignæ habitationis cõſortia, execratur conuerſantium iniquitates: & dubitamus de ſummo & immaculato Deo, quòd abhorreat tantorum contagia flagitiorum: & funeſtorum ſcelerum auerſetur atrocitatem, nec demoretur in parricidarum cõciliabulis, qui Dathan & Abirom, quia Moſen & Aaron præripiendo ſacerdotij munere laceſsiuerant, ſeparari ab innoxijs præcepit, ne pios aut macula contaminaret de conſortio noxiorum, aut pœna inuolueret. Sed quid ego diutiùs ſermonibus immoror, cũ plena horroris & gemitus omnia circumfundantur, templique excidium properetur, qui iſtud oculi ſpectare, qui ſenſus perpeti, quis tolerare poteſt animus? O ſaxis duriores, ferro rigidiores, qui in tantis rerum humanarũ prodigijs adhuc inter vos tanquã ad virtutis æmulationem de ſcelere certatis, & quod eſt grauius, vos ipſi patriam deſtruitis, atque eius augetis ruinas. Conuertimini aliquando, reſipiſcite, iudicate, & vidite pulchritudinem patriæ, quã prodidiſtis, quę vrbs, quod templũ, quæ

Sanctorum domicilia, ſacrorumq; penetralia, quæ Prophetarũ opera veſtris manibus euiſcerantur? In hæc quiſquã flãmas ducit, & ſpargit ignes & incendia miniſtrat, nec vllo affectu mouetur? rupium ſi ſentiret rigor, reſolueretur. Certè & inſenſibilia plerũq; in maximis rerũ acerbitatib⁹ ſenſus ſpeciẽ metiũtur, vt ſcopuli tremant, & madentes ſanguine guttæ fluant. Vos autem immobiles perſeueratis, vt quid melius poſt hæc ſuperſit, quid dignius quod reſeruetis. Poſtremò ſi iſta nõ mouẽt, quia apud pios præſtantiora ſunt, veſtrarum ſaltem miſeremini neceſsitudinum, ponite ante oculos filiorum veſtrorum neces, aut ferro, aut fame quæ ſunt acerbiores, vxorũ & filiarũ ſeruitutẽ, quibus tuta libertas erit, pacto deditionis, aut captiua ſeruitus vrbis euerſione. Cõſulite dũ licet, ne grauiora poſt mortẽ relinquatis, quàm ante mortem feciſtis. Nec ego liber ab huiuſmodi periculo ſum. Noui & ipſe, quia cũ veſtris ſimul periclitatur ſanctiſsima mihi mater, & chara vxor, haud ignobile genus, & quondam domus clara. Ac fortaſſe


fortaſſe propter meos hæc me ſuadere arbitramini: occidite eos, & accipite meum ſanguinem mercedem, libenter hãc ſoluam mercedem veſtræ ſalutis, ſi poſt me ſapere poteſtis.

## Caput XVII.

EA Ioſephus cum lachrymis vociferatus, pleroſque de populo inflexit: vt ad Romanos confugerent, venditis quæ poſsidebant. Quos Titus quò quiſque cupiebat, direxit: vt etiam cæteri prouocarentur Romanis ſe ſine metu tradere. Confluebant itaque reperta egrediendi copia, ſecuri ſalutis, ſi ad Romanos cõuenirẽt: nec ſoliciti de ſeruitute, quibus libertas reſeruaretur. Hi verò qui ſequebantur Iohannem ac Simonẽ arbitros & incentores ſeditionis, magis ſcelerum pœnas, quam aduerſa belli reformidabãt: ideoque intuta ſibi refugia opinabantur. Nec ſolùm ipſi audebant egredi, ſed etiam inſidias prætendebant, ne cui liceret è populo vrbem exire. Maiorque cura erat egreſsionem ſuorum, quàm Romanorum ingreſſus

Iohannes & Simon incẽtores ſeditioĩs.

 cauere.

cauere. Tenebantur itaque inuiti, & ſi quis deprehenſus foret, graues pœnas dabat. Suſpicio tenuis, grauiſsimæ cauſa mortis. Non argumentis veritas, ſed ſupplicijs quærebatur. Si pecunioſi erãt, affictо crimine ſeditionis rapiebãtur ad necem: ſi qui inopes, quia non habebãt, quo ſe redimerent, morti patebant.

## Caput XVIII.

ETiam grauis fames ſæuire, atque amplius ſeditio graſſari cœperat furore ac veſania: frumentum non reperiebatur, nullus panis in publico vſu. Sicubi eſſe compertum fuerat, ilicò domus expugnabatur. Iugulabatur ædium Dominus, aut frumenti conditor, quòd occultauiſſet. Rurſus non repertis frugibus, quaſi diligentiùs abſconditæ forent, tormenta exercebantur. Optabant plerique mortis compendium, cùm eos aut fames afficeret, aut crudelitas excruciaret. Denique qui ſeniores erant occidere dedignabantur, inuidentes beneficium mortis, quibus iam vehementior carnifex fames, miſerabili macie viſceribus exeſis nuda


nuda oſſa tenuitate texerat. Spirabant ſemineces ſolo adhuc ſpiritu, atq; ægra trahebant cadauera. Sicubi purgamenta holerum vel caſu lapſa, vel quaſi arida proiecta adſpexerãt, reliqua inualidi corpore, ore lambebant iacentia humi. Aut ſicubi internata parietibus viſa fuerat herba, rapientes ſucco infelici miſeram ſolantur famem. Qui ditiores erant, menſuram tritici toto cenſu emebant. Quid enim ſeruarent non profuturum? Qui pauperiores, vel ordei: ita vt nemo vendentem vel ementem videret. Hoc enim omni grauius ſcelere puniebatur. Neque verò coquendi panis vſus expectabatur, ne mors præueniret, aut mora proditorem arceſſeret. In occultis abditi, incoctum mandebant triticum, quibus vlla vel exigua frumenti copia erat. Nulla menſa, nullum ſedile, nulla lux: ne quis interueniret, atque improuiſos deprehenderet. Si ſonus vllus, abſcondebãtur cibi, ſuſpectæ ſolitudines, frequentiæ parricidales, inter ſuos triſte certamen. Omnem enim affectum excludit fames, & maximè verecundiam. Eſurientibus

tibus enim pudor diſpendium vitæ, & detrimentum ſalutis eſt. Si quis vir, cui mulier eſſet, aut filij, aut nepotes aliquid eſcæ haberet, vix fatebatur: ſimiliter & mulieres. At cui mitior animus, vbi appoſuiſſet alimoniam, de manibus eius extorquebatur. Miſerabilis erat cibus, eſca lachrymabilis, rapiebant parentibus filij, parentes filijs, & de ipſis faucibus proferebatur. Pleriſque aliorum vomitus eſca fuit. Nec marcentia ſumere vllus horror, aut verecũdia adimere ſuis vitæ vltimæ ſtillicidia. Et hæc tam infelicis ſpecies calamitatis metus erat, ne deprehenderetur. Clauſis itaq; foribus exercebatur, ne quis ſuperueniret, qui de ore alieno cibum quæreret, & canum more vomitus alienos lingua ſua lamberet. Sed ne hoc quidem impunè: nam vbicunque fores obſeratæ, ſuſpecta fraus alimenti abſconditi. Proſiliebant miniſtri ſeditionum, clauſa expugnabant, intolerabilia & nouæ crudelitatis exigebant ſupplicia. Nec ab ipſis quidem pudendis corporis abſtinebatur. Per ipſa quoq; pœna tranſibat, quòd in his grauior

Omnẽ affectũ excludit fames, & maximè verecũdiã

Noua & inaudita ſupplicia Iudæi ꝑpeſsi ſunt.



uior ſenſus pœnarũ ſit. Multi cùm iam percuſſores irrumpentes viderent, paratos rapiebant cibos, ne vel ipſi defraudarentur ſupremo viatico, vel certè futuram mortem vlciſcerentur: & quò grauior videbatur crudelitas, non eſuriebãt ipſi, qui rapiebant cibos eſurientibus. Rapinis enim ſibi aliorum opes coaceruarant, & alienis conditis paſcebantur: cùm ipſi qui congreſſerant, eſurirent, ieiunioque contabeſcerent. Si qua materno affectu percita, miſerans vagitus infantiæ, ſuccum ciborum ore proprio vellet infundere, pij operis pœnas luebat, ſuſpenſoque ad ceruicem, vel hærente ad mamillas pignore, ſimul tranſfigebantur. Plerique etiam beneficium putantes mori, egrediebantur vrbem, vt herbas vellerent, vel radices depaſcerentur, aut cortices arborum detraherent, ſi quid in his viriditas ad cibi ſolamina ſumminiſtraret, quos inuenientes Romani, necabant. At qui hoſtem euaſerat, in ipſo portæ ruebat limite, fame tabidus, & ore inualidus, quem iam & ipſa mandendi officia deſtituiſſent.

Regreſſos quoq; excipiebat feralior manus, quæ de gremijs miſerorum ſummo quæſita periculo, per acerbiſsimum extorqueret nefas, nec partem reſeruaret pro mercede ſaltem periculi. Moriebantur itaq; maiore ſuorum quàm hoſtium impreſsione. Ea enim quę hoſtis indulſerat, ciuis eripiebat: nec rapuiſſe tamen iſtiuſmodi cibum proderat, quippe non multò pòſt virenti corpore turgeſcentibus medijs intimorum dolore viſcerum quatiebantur; aut aluo ſoluti deficiebãt exhauſtis virib⁹, vt voti pœniteret, quod ad tempus ſolatio erat, pòſt ſupplicio: dein lacertis viridibus, cæteriſque ſerpentum generibus coctis exuuijs, peſtẽ addebãt. Nam equorum cadauera ſi fortè reperiſſent, inter ſe trahentes, prælio graui decernebant: nec ab hoſte quidẽ, quæ coacerbarentur exitia, feriabantur. Nam cùm ſe de vrbe plurimi, cum filijs ac mulieribus egredientes in eam partẽ, quę præruptorũ profundo pręcipitiorũ ſinuauerat, contuliſſent, Romani veluti captiua ducerẽt mancipia, minoris præſertim ætatis velut validiorẽ ferirent, ne quis



quis fortè bellãtibus obrepere auderet, ſpeculabantur, vt ſi quis, cibi quærendi licentia dum rimatur radices agreſtium, ad vlteriora ſpatia prodiret, interciperetur. Nec tamen circumfuſo licet hoſte, cohibere ſe poterant, quibus fames audaciam dabat: cùm paruos liberos macie conſumi, & aperta fame ora fruſtrà extendi, ferre non poſſet affectus parentũ, quos ſocios ſibi aſciuerant ad periculũ, ne pro ſe quaſi fugæ ſuæ obſides, à ſeditionis autorib⁹ occiderẽtur. Cogebat fames egredi, quibus beneficium erat ferro perire ieiunij comparatione. Contrà Romani, quia contemptores mortis eos arbitrabantur, vrgebant genera ſuppliciorum, verberantes priùs, affligentes quoque patibulo crucis, quemcunque offenderant, quò vel cæterorum temeritas cruciatuum ſpecie à laceſſendi inſolentia reuocaretur. Miſeranda itaq; paſſio Tito videbatur, tantarumque acerbitas calamitatum. Capiebantur innumeri, quingenti fermè ad diem cruciabantur, camposque ante vrbem miſerabilis pompæ ordine prætexebant, vt de

 muris

muris aſpicerentur. Miſerabantur Romani, non mouebantur Iudæi: compatiebantur hoſtes, ſocij non flectebantur: faciliùs apud aduerſarios pietas, quàm apud ſocios reperiebatur. Tamen accendebantur plerique indignatione, quòd in tantis malis deteriores fiebant, diuerſis modis afflictos cerneres, variasq; pœnarũ ſpecies, formas ſuppliciorum tam innumerabili multitudine, vt iam locus patibulis deeſſet, patibula corporibus. Furebat intùs Simon, fremebat Iohannes, inſidiabantur ſingulis per miniſtros ſuos: ſi quis fugere tẽtaret, tractus per humum diſcerpebatur. Eorum quoque qui abierant proximi cruciabãtur, aut cruci affixa plerorumque cadauera ſuis, qui elapſi fuerant, oſtentabantur. E diuerſo etiam ipſi murum quadam patibulorum ſegete prętexuerant, quaſi de aduerſarijs triumphãtes, ſi quos de ſuis ad Romanos velle confugere deprehendiſſent, vt cæteros tranſgrediendi metus inceſſeret. Nullus locus immunis acerbitatis: foris captiuitas, intùs fames, formido vtrobique: minùs tamen timebantur

Quingẽti Iudęorum patibulis affixi ſunt

Tãta diſsẽſio inter Iudęos, vt faciliùs fuerit pietatem apud aduerſarios inuenire q̃ conciues.



tur arma, q̃ tormenta, leuiusq; erat confici tumultu poti⁹ hoſtico, q̃ parricidio. Nec intermittebat tamẽ Cæſar inuitare factionũ Principes ad ſpẽ deditionis. Nãque ſtructis aggeribus denuntiabat, nõ longè abfuturũ operis effectũ: imminere vrbi excidia, conſulerent ſibi, vt & ſaluatẽ lucrarẽtur, & templũ incendijs eriperet. Id quò faciliùs crederent, amputatis pleriq; Iudęorũ manibus dirigebant, ne voluntario trãsfugio trãſiſſe ad Romanos æſtimarent, & quaſi perfidis nõ deferrẽt fidem Iudęis, ipſi necarent. At verò illi ꝑ ammonitione ſedula grauia retorquebãt conuitia: funeſtiorem ſibi humanitatem Cæſaris, quàm crudelitatẽ videri, quòd altera libertatem eriperet, altera vitam auferret: malle ſe liberos mori, quàm ſeruos viuere, deuouiſſe animam ſuam templo. Immortalitatem futurã, ſi cum tẽplo exuſtis aris, ac focis paternis immorerent. Nihil egiſſe Titũ, eripuiſſe parua, dediſſe plura, ꝑ tẽplo ſibi Paradyſum ſuccedere, illoq; ſe, qui pro tẽplo Dei pugnauerint, trãsferendos, tantùm ne oculis ſuis triũphos Romanos viderẽt, & capti-

Iudęi manibus amputatis in ciuitatẽ remittũtur.

& captiua iugo colla ſubijcerent. Conſecrari paruulos ſuos, nõ interfici, quorum patentes cœleſtium propugnatores fuerint Sacramentorum. Quo commotior Titus, vt eos ſaltẽ eriperet, qui inuiti attinebantur, admoueri iuſsit machinas.

## Caput XIX.

Antioch⁹ Comageni fili⁹ hortatur Cęſarẽ ad vrbis muros ſuccidendum.

ERat in exercitu Antiochi Comageni filius, qui venerat ad belli societatem, impiger ſanè iuuenis, & manu promptus, ſed cõſilio parùm prouidus, qui moderationem Romani exercitus lentiorem ratus, nec conſiderans muneris difficultatem, inſinuauit Cæſari, mirari ſe, quòd cunctarentur Romani murum ſuccidere. Riſit Titus, & ait: Commune eſt opus. Eo ſermone iuuenis ſeſe proripuit cum his, quos armatos Macedonicum in morem promptiores habebat ad bellandum. Nanque & alijs ſubnixus aduenerat. Cohors tamẽ, quæ appellabatur Macedonum, & viribus corporis, & proceritate ipſa præſtare æſtimabatur. Quibus appropinquantibus bellum



ſum adoleuit. Contrà de muro promptiùs decernentibus, quos extrema vrgebant pericula, & ſucceſſus præſentis certaminis animabat: cùm inferiores à ſuperioribus frequẽtiùs transfigerentur, ad ſuperiores non omnia peruenirent ſpicula, filius tamen Regis iuuenta alacris, armis munitior, comitatu ſuccinctior, alios eludebat ictus, repellebat alios, quos etiam vt caueret ſuggerentibus ſocijs, inſtruebatur: & ideo integer à vulneribus perſeuerauit: ſed de Macedonum cohorte plerique (quoniam pudori putabant, etiam naturæ aut munimentis cedere) pertinaciùs præliantes, vulnerantur. Itaque conatu irrito ceſſere ſuperioribus: docti etiam viris Macedonibus ſi vellet vincere, & alacritatem Alexandri ad præliandum eſſe neceſſariam, & vincendi euentum. Namque ille cùm obſideret vrbem, morantibus cæteris, & circa ſolennes machinas immorante exercitu, appoſitis impiger ſcalis murum aſcendit: fugatisque præſentibus, qui de muro repugnabant, ſolus ſe in vrbem deiecit. Nec erat temporis, vt ipſe

ipſe ſibi ſine comite portas aperiret, cùm vrgerent pericula: ſed immodicus animus, ac victoriæ auidus, in hoſtem proſiliuit. Ceſſere agmina, ſed quantos poterat ſolus proſternere? Deinde per diuerſas vrbis plateas circumfundebantur hoſtes, ſi in vnam partem Alexander incumberet, alijs poſt ſe circumuallandi copiam daret. Retorquebat itaq; victor ingreſſum ſuum, ne à populo circumdaretur. At illi conferti inter ſe, vrgere cœperũt, inhorreſcere ſuper eum telorum vis maxima, reſultabat galea tinnitu, clypeus fragore ſaxorum. Ac ni metuentes Duci irrupiſſent Macedones, victor innumerabilium gentium intra vrbem exiguam fuerat oppreſſus. Fuit igitur alacritatis, quòd murum inſiliuit, hoſtem deiecit, in vrbem ſolus triumphali ſaltu ſeſe proripuit, impetu ſuo fugauit populos: fuit tamen etiam euẽtus, qui maximè Duci neceſſarius eſt, quòd tantis ingruentibus populis, tot ſagittarum iaculis, tot ruẽtibus ſpiculis, nullus fuit letali vulneri locus. Periculum itaque virtus attulerat, mortem quoque alacritas



alacritas inuexerat, ſi euentus bellãtem deſeruiſſet: Ingreſsi ſunt Macedones ꝑrupta porta: ſic temeritas victoriã inuenit, & euentus periculũ in gloriã vertit. Noſter quoq; cùm pugnaret aduerſum gigãtes, inuectus in hoſtem, à tergo percuſſorem habebat, ſed liberantem ictus ſuos comes Regis Abiſai præuenit. Verùm Alexãdrum euentus ſeruauit, Prophetam gratia.

Aliàs intẽtus.

Dauid pugna cũ gigãte, 2 Re. 21. Itẽ antiq. Ioſep. li. 7. ca. 12. deſcribit.

## Caput XX.

CEdente itaque Antiochi Regis Comageni filio, & cognoſcente non quòd formidinis, ſed cautionis eſſet Romani exercitus perpenſa moderatio, vt aggeribus & vineis, arietibus quoq; & cæteris machinamentis murum adorirentur, extruebantur aggeres per numeros opere diuiſò: præcipui quatuor inſurrexerant, ex quibus vnus è regione munitionis (cui nomen Antonia) per mediam ductus erat piſcinam, quam Struthiam vocabant. Hunc aggerem quintus numerus triginta cubitorum in altitudinem fecerat, iuxta

iuxta Iohãnis ſepulchrum. Quibus è diuerſo Iohãnes Princeps ſeditionum cuniculum ſuffodit, & Romanorum opera ſuſpendit: ignorantibus his, qui latenti cuniculo Iudæi machinati forent, quia fulturis tabularum materia æquè ſubiecta, ſuperiora cuniculorum ſuſpẽderat, fraus omnis latebat. Itaque vbi opportunitas viſa, ignem appoſuere, qui adultus ſulphure & pice, quibus illita erat materies, quę fulturam cuniculo dabat, ligna facilè conſumpſit, incendium ſubiectorum ruina ſecuta eſt. Itaque Romanorũ opera ſubitò lapſa, ſonitũ ingẽtem dedêre. Puluere itaque & fumo repleta omnia, plurimùm tenebrarum obduxerãt, maioremque terrorem induxerat latens cauſa. Deinde vbi conſumptis alimentis cęteris, quibus primò opertus erat, liber poſteà ignis eripuit, dolum prodidit, & Romanis ad præſens quidem formido periculi diminuta, ſed euacuati laboris graue ſucceſsit tædium: ſimul quòd inſultabant Iudæi, non mediocris angebat pudor: in reliquum parandæ expugnationis ſpes refrixit. At in parte alia biduò



duò poſt, cum iam murus ariete quateretur, Teptheus de Galilæa, Magaſſalus, & Iabenus, & Agiras direptis facibus in machinamenta muralia proſiluerũt. Nihil his viris audacius, nihil terribilius eo bello ex vrbe in hoſtem proceſsit. In medium nanque hoſtium proruentes, non trepidauerunt, non retractauerũt, ſed tanquam familiarium ſuorum conſortijs immorati, non antè remeandum putarunt, cùm vndique in eos pila, ſagittæ, ſpicula iacerentur, quàm ſubiectis ignibus, adolerent obſidialium inſtrumẽta machinarum. Concurſus ingens Romani exercitus, vt incendium reſtinguĕretur: Iudæorum quoque clamor & ſtudium, quo ſubtexerant impedimẽta, Romanis ne ſubueniretur. Illi arietes properabant flammis ſubducere, iſti adhuc ſpargebant incendia. Vnde comprehenſis omnibus, quæ vri poterãt, Romanos flammæ circunuallauerant, niſi maturè conſuluiſſent. Inſtabant enim acriter Iudæi, atq; hoc ipſo, quòd in ea parte conatus irritos non habuerant, ſucceſſus audaciam alebat. Denique non contenti iam

Teſteus in alijs, præſertim apud Ioſe. li. bel. Iu. 6. ca. 12. Itẽ loco Labenus, Adiadenus, & Agyras Egiras.

iam munimẽtis muralibus, vltrà progrediebantur, atque ipſas Romanorum inceſſebant cuſtodias, & ad caſtellũ, in quo prætendebant Romani vltrò euerſum, perrexerãt. Et niſi Romani nominis gloria, & militiæ vetus diſciplina, quę munia homini deſerere grauioris pœnæ arceret formidine, furentibus repugnauiſſet, expugnatores vrbiũ ipſi proprijs ceſſerant munitionibus. Verſa itaq; ſpecies belli, & vſus obſidionis: catapultis, & velocioris generis iaculis ſeſe defenſabant Romani, vt Iudæos repellerẽt, quo ipſis ante genere reſiſtebatur. Inter quæ Titus aduenit, clamore excitus, & accerſitus ad remediũ. Romanis continuò vires additę prę̃ſẽte Cęſare, & pudor aluit audaciã: Clamante Tito, graue Romani nominis opprobriũ, ſi verſa vice ſuos amitterent, quibus iã hoſtiũ muri, qui diruerent, defecerant, diffidentes Iudæos munitionib⁹, ſola niti temeritate: ſtarẽt tantũmodo Romani, victoriã nõ defuturam. Itaq; hortãdo pariter ac præliando Titus ſtatuit ſuos, auertit Iudæos, quæ non ſolùm animis ad mortem parati, ſed


ſed ipſo niſu corporis ingruebant, vt Romanos gradu mouerent. Nec mediocre fuit periculũ Cæſaris inter confuſa omnia, cùm ab hoſte ſocius non diſcerneretur, inter quę Tit⁹ in medio verſabatur: audax iuuenta, & gloriæ cupiditate ad prę̃liandũ acrior, quò celeriùs victoria conſummaretur, in ſecundis triumphi ponens curam ſalutis.

## Caput XXI.

DEpulſis tamen hoſtibus anceps cõſilium: alij reformandos aggeres, reparanda machinamenta muralia opinabantur: alij abſiſtendum obſidionis periculis ſuggerebant, deeſſe reparandi materiem, commune cum multis periculum, muro claudendam vrbem conſultiùs arbitrabantur, vt conficeret fames defectis ſubſidijs alimentorum. Præponderauit huiuſmodi ſententia, vt clauderentur, ne liberos excurſus haberent, quò ampliùs & deſperatione fugiendi, & indigentia cibi conficerentur. Diuiſis itaque per numerũ portionibus, properè mur⁹ ſurrexit,

quo per circuitum omnẽ incluſa eſt ciuitas. Diſtribuit officia ſuis Cæſar, vt noctibus quoque cuſtodiendi vices non omitterent. Prima vigilia ipſe obeũdi ſingulos cuſtodiarum ordines munia curabat: ſecundam vigiliam Alexandro deputauit: denique per ordinem tribunis (prout cuiuſq; erat ſolertia comperta) vices mandatæ. Caſtellis erat murus per interualla intextus, in his manus militũ prætẽdebat, vigiles ex æquo ſibi ſomnos, & tempora vigiliarum ſortiebantur. Circũibant momentis omnibus murũ, per ſpatia quiſq; præſcripta ſuo muneri, de caſtello in caſtellum per ordinem, & munerum vices, nox frequentabatur. Præciſa vndique ſpes Iudæorum, clauſisque ſe infuderat fames, atque in ipſas populi medullas deſcenderat. Perſonabant õnia gemitibus deplorantium miſerabilis mortis ſupplicia. Repleta erãt vniuerſa ſeminecum cadauerum: & ſi paululũ expectares, intra momentum deficiebãt, quos viuentes repereras. Ipſi quoq;, qui adhuc ſpirabant, macie confecti imaginem mortis gerebant. Exhauſti fame, & tabe



tabe luridi, nec oculos quidem faciles attollere: quia nullum vigorem naturalis motus, conſumpta ieiunio ſubſtantia, dabat. Figura ſola hominis remanſerat, vſus interciderat. Simulachra cerneres, officia deſiderares. Arida cutis ſiccis hærebat oſsibus. Si leuis motus viuentem proderet, fœtor redarguebat: exiles art9 & color ita niger, vt vmbram putares. Nec humandi miſeris officia ſuppeditabant, exhauſtis primò omnibus, & continuò morituris. Et ſi cui vires aliquas recentior cibus dabat, congeſtio cadauerũ ſpem ademerat, impoſsibilitatem incuſſerat. Plerique etiam condendis ſuorũ funeribus immoriebantur, & inexpleta ſupremi muneris officia, ſuo quoq; obitu derelinquebant. Ruebant ſuper defunctos, quos ſuſceperant muniendos, vt ipſe quoque oneri accederet, cui leuãdo aduenerãt, indigens eius miniſterio quod alij deferebat. Nec erat vllus dolori locus in communi omnium calamitate, niſi quòd autores tãtæ miſeriæ ſuperuiuerent, nec tẽpus querelæ liberis quidem iam vocibus, ſi loqui poſſent. Quic

 enim

enim ſibi iam morientes timerent, ſed tamen mutis iam ſenſibus aſpicientes templum, quaſi inde vltio tam diri exitus deposceretur. Aruerant ſupremorum numerum lachrymæ, quia omnem affectũ vis mali clauſerat. Obriguerat animus, omnis ſenſus hęrebat, pluſquam lachrymanda tolerantibus: deerat iam terra tumulis, defoſsis omnibus intra vrbem locis, quę potuerunt dare vſum ſepulchri. Tentabant aliqui inter duos muros nouum oſtium, veteremque vrbis procedere nocturno ſilentio: periculoſa licet, pia tamen furta perſuaſerant. Itaq; pro vno plures inſepulti iacebant, & quod vni deferre geſtierant, pro bonorum munere defraudabantur: ſed etiam vbi hoſtis deerat, fames operabatur. Sepultor plerunq; præueniebat ſepeliendum, & tumulo eo, quem alij parauerat, includebatur ſubitò exanimis: & lapſus cùm defodit, velut quodam ſtudio operis ſui, ius vindicabat. Et vbi terra deerat, tabulata innectebantur, vt defunctorum cadauera loculis includerentur. Pleriq; eos ſibijpſi parabant manibus ſuis, ne deficeret huiuſmodi


iuſmodi miniſterium, atque in his ſeſe ſæpè ſpontè condebãt, ſuſpecti, ne mors præueniret, & ſepultor deeſſet. Silebant omnia metu, inedia vocem ademerat, ciuitas plena mortis, & nullus eiulatus in exequijs totius vrbis: & cùm ſenſus quidem doloris interierat, iniuria non deſiſtebat. Non deerãt etiam in tantis malis, deteriores omnibus, violatores etiam ſepultorum. Quid dicam, non horruiſſe cùm illuderent mortuis, & gladiorum ſuorum aciem in defunctorum cadaueribus prætentarent? Nonnulli etiam viuentium adhuc vrgendis corporibus experirentur, ſi tela ſibi acuta forẽt, & hic tamen vſus pleriſque rogantibus denegabatur, vt miſeros ad grauiora ſupplicia fames depaſceretur. Nequaquam tamen vltio morituris deerat: nam quòd viui non potuerant, vindicabant ſe mortui, vltorem ſui fœtorem creantes, quo ſe de latronibus vlciſcerentur. Qui grauiter ſæuientes quærenteſque remedium, ſpeciem quandam pietatis induerant: etiam ipſi, qui latrocinabantur, vt eos de publico ærario ſepeliri iuberent.

Sed vbi nequitũ occurrere, de muro defunctorum reliquias in profunda præcipitia deijciebant. Itaque aſpiciens Titus præruptos ſpecus plenos cadauerũ, ſaniem de laceratis viſceribus innatantem, altè ingemuit, & manus ad cœlum eleuans teſtabatur, haudquaquam illud ſibi aſſcribẽdum, qui voluiſſet veniam dare, ſi deditio procederet, expectaſſe ſe vt pacem rogarent: paratum ſe vt incolumes ſeruaret, ſi bellum depoſuiſſent: iubet itaque aggeres rurſus iacere, etiam non propinquantibus ſyluis, quia ſuccisa erant omnia ſuburbana nemora ſyluarum. Vehebant materiem milites, ſpe victoriæ ſolãtes laborem. Nec tamẽ frãgebantur animis principes ſeditionũ. Furebat Simon, nec tantorum mortibus exaturatus cedebat, & quia inimici deeſſe cœperant, in ſocios conuertebatur.

## Caput XXII.

Matthias, à quo in vrbem receptus eſt Simon, occiditur

DEniq; nec Matthiam quidẽ, quo autore in vrbẽ receptus eſt, excruciatũ necauit, nulli' apud ſe conuictũ flagitij, ſed inſimulatum proditionis, & ſuſpe-



ſuſpectum conſilij, quod in vſum plebis ſedulò, & ſine vlla fraude, tanquàm famiiliari crediderat inſinuandum. Id altè impreſſum aliquãdiu tenuit, nec iam ſe vt amico credidit, ſed aluit indignationẽ, indicio diſsimulato: ergo inſimulatum apud ſe, quòd cum Romanis ſtudio congrueret, & conueniret, rapi cum filijs iubet. Accerſitur, nec defenſionis vlla copia datur, ante examen adiudicatur ſupplicio, nec eius ſoboles excipitur, ſed pœnæ adiungitur. Orabat nõ vitæ vſuram, ſed mortis celeritatem, naturę ordinem, vt prior occideretur, ne filiorum neces ſpectaret, nec ſuperſtes eſſet funeribus liberorum ſuorum, ipſe continuò funus futurus: non impetrauit, quod ipſa pietas exigebat, etiam ſi non rogaret: Hoc rogabat ſibi reddi pro munere, quòd ei vrbem aperuiſſet: reus quidem patriæ, ſed conciliator Simonis. Debuerit ille hanc pœnam ciuibus, debebat tamen ei Simon gratiam. Quo crudelior, qui nec amico pepercit, nec patrono receptionis ſuę pœnam relaxauit. Ducitur ad ſupplicium cũ tribus liberis: nam quartus fuga ſe exe-

ſe exemerat. Statuitur in conſpectu Romani exercitus inſultationis ſpecie, vt ſupplicium eius viderent, ad quos egredi deſideraſſet. Liberent te itaque, ſi poſſunt, amici tui. Deducuntur & filij, nec ſuprema liberis oſcula dare, nec vltimo complexu filios ſuſcipere permiſſus: nõ fraudatus tamen vocis paternæ libertate, miſerabili filios alloquio proſequebatur. Ego filij vobis hoſtem induxi, ego carnifices adhibui, quando Simonẽ ingredi in vrbem rogaui. Ille dies nobis mortis huius, ille parricidalis cauſa ſpectaculi. Merui fateor, nec culpam excuſo: dum vnum reprimere geſtio, acceſſiui deteriorem. Ad auxilium Simon petitus, & ad parricidium patriæ conuerſus: ſedula conſilia in crimen deduxi. Rei fuimus patriæ, qui defenſorem quęſiuimus. Et rectè quidem ſoluimus pœnam imprudentiæ, non tamen perfidiæ. Abſoluit nos Simon ipſe, dum perimit: qui pronuntiat non ſibi à me donatum, ſed patriæ cõtuitu petitum, vt contra Iohannis ſæuitiam auxilio futurus, quàm primùm adeſſet, & Idumæos induceret.

Matthias, phibitus oſcula dare mox morituris filijs, verbis deoſculatur.

Puta-



Putabamus, duobus inter ſe conferentibus, liberam plebem futuram. Quis mihi crederet, non tibi id meo ſtudio detuliſſe, ſed de malis hoc tolerabilius æſtimauiſſe, niſi tu occideres? Sed quid ego ſic loquor, quaſi crimen excuſem? Nihil ſanè mea ſententia grauius facere potui, quàm quòd te in ceruicibus noſtris locaui. Sed in eo patriæ reus, non tibi fuerim. Debuerim ego ciuibus mortem, ſed tu mihi gratiam. Debuerim patriæ pœnam proditionis, quòd te induxerim. Tibi quando proditor eſſe cœpi? Si fugiendum putaſſem, conſulueram mihi, non violauerã patriæ neceſsitudinem. Quis enim hoſtem non defugit, & hoſtem internum? At te ciuem putauimus, ſed hoſtem inuenimus. Ad auxilium petitus, quid rependiſti? qui d antè pollicitus? & quò poſteà conuerſus? ingreſſus eras, vt hoſtem expelleres, non vt hoſtem exerceres: vt prohiberes ciuium neces, non vt ipſe adiungeres: vt latrocinium repelleres, non vt latrocinareris: ſed vt ſubuenires innocenti populo. Cur in ipſum tua arma vertiſti? Antè latrocinio appetebantur,

Expoſtulatio Matth. contra Simonem.

bantur, tu bellum intuliſti. Antè pauciores ad mortem rapiebantur, tu ſtragem populorum feciſti. Quis proditor patriæ, quis Romana arma plùs iuuit, niſi qui extinxit patriȩ propugnatores? Niſi qui eripuit tãtorum ciuium defenſionem? Niſi qui ab hoſte in ſocios detorſit mucronem? Hoſtis extra muros pacem offerebat, tu intra muros prælia bâre: ille obſidionem volebat ſoluere, tu expugnationem approperabas: Ille prohibebat incendia noſtræ vrbis, tu flammas in ipſa templi iaciebas faſtigia: Ille noſtrorum contuitu Sacramentorũ inducias dabat, tu per ipſos ſacrorum dies altaria Dei ſupremo vrbis excidio, Sacerdotum quoque ſanguine reſtinguebas: Ille muros, tu templum obſederas. Coacerbabo crimina mea. Ego patriæ manus intuli, ego tuum furorem armaui, ego hæc vniuerſa deliramento quodam ſenectutis initia impreſsi. Agnoſco dementis ætatis imprudentiam. Confeſsione leuemus pudorem, quoniam negando peccatum exuere nõ poſſumus. Duo præ cæteris excidium patriæ accelerauimus

Expoſtulatio Matth. contra Simonem.



mus: ego errore conſilij, tu propoſito parricidij. Pendo igitur, patria tibi deditas pœnas: & hoc ipſo Simoni gratias ago, quòd cineribus tuis ſuperſtes non ero. Atque vtinam non liberis eſſem ſuperſtes. Sed ad ſceleris tui Simon acerbitatem, filiorum necis ſpectator adſiſto. Merui fateor, quia Iohannem pictum videre non potui, & te armatum elegi. O præcipitem ſenectutem: imaginem timuimus, tyrannum expetiuimus. Ego fideiuſſor tuus, ego deprecator tuus legationem pertuli. Ego te Dominum rogaui, percuſſorem introduxi. Spectemus ergo quæ fecimus: Iohannis nos cera terruit, Simonis latrocinia delectauerũt. Acceleretur itaq; pompa funebris, veniat carnifex, filios ante ora patris, patremque obtruncet ſuper filiorum cadauera. Hauriam miſerabilis ſenex ictum carnificis, ſuper colla pignorum ſæuam vibrantis ſecurim. Quo ſpectaculo nihil funeſtius, niſi ille qui iubet: Crudelis, ſceleſte, facio, quod præcipis, facio, ſed inuitus. Habet tamen conſolationẽ tantæ calamitatis, Patior, quicquid miſerrimum

mum eſt, dum tu iuſſeris. Quicquid eſt immaniſsimum ſubeo libenter, te arbitro. Impleſti menſuram ſcelerum ſæuiſsimorum, liceat ſaltem affari liberos; extremum pignoribus Vale dicere. Sit vltimus locus oſculis, quæ nobis etiam cũ feris communia ſunt. Non prohibeatur miſerabilis amplexus naturæ, quem etiã defunctis poteſt caſus donare. Quod igitur ad pœnam præcepiſti, proficiet ad pietatẽ mihi. Cadam ſuper funera mea, & inſepulta adhuc, velut quodam corporis mei ceſpite, tegam, ne diſcerpant volucres, aut feræ deuorent. Lambam lingua patria ſanguinem meorum pignorum, & meum diluam, ne lambant beſtiæ. Et fortaſſe addet hoc pietas, & miſeratio naturæ ipſius: vt arctiſsimo amplexu moriens, liberos meos ſtringam: ne tu ſeparare poſsis, cùm velis. Certè ſi ſeparabis corpora, animas tamen non ſeparabis. Sed ſatis iam lachrymarum viaticum ſumpſimus: Præite filij, & ſecuturo patri viam parate. Si potuero cõſequi, comitabor ſimul, & erit illic impedimento ſenectus, quò viuentes iuuenes

Alii, Sit vl. ſiu vltimis locus oculis.



nes minùs conſequar. Ad manſionem præcedite, vt feſſum patrem ſuſcipiatis diuturno hoſpitio. Volui quidem præcedere ipſe, & rogaui, ſed non impetraui, tamen quòd innoxij eſtis, eò meliora vobis hoſpitia deferentur, quàm ſi ipſe acceſſitor Simonis præuenirem. Grauat me illa legatio, licet à ciuibus mandata, petente populo ſuſpecta. Præcedite ergo filij mundiores, ſupernum iter carpentes veſtigio. Et Machabæi matrem præuenerunt: ſed illi ad præmium, vos ad ſupplicium. Spectauit tamen pia mater morientes filios, & ſupra ſuorum ſe volutans ſanguinem, vidit complectentes ſe inuicem fratres naturæ neceſsitudine, & ſuo lætabatur triumpho, quem de tyranno conſequebatur. Diuerſa quidem patientium merita, ſed eadem ſæuitia vtriuſque præcipientis. Inuenit hoc Antiochus Perſica immanitate. Apud ipſos enim nouorum ſunt commenta ſuppliciorum. Tu executus es, ille tamen ſeruauit vltimã matrẽ ad pſuaſionẽ regię volũtatis: tu ſeruari iuſſiſti patrẽ ad cruciatũ paterni doloris.

Iubet Ma. liberos pire ad mortẽ exẽplo matris Machabęorũ

Con-

Conſolamini vos filij chariſsimi, patimur nos, quod paſsi ſunt martyres. Simon ſtatuit, quod perſecutor harbarus inuenit, tyrannus præcepit. Proficiſcamur igitur volentes, & fugiamus conuentus latronum. Sanè cùm in illã perpetuam domũ diſceſſerimus: ſi qui ad nos venerint, qui requirãt, quî agit ille quõdã Dei populus, q̃d illis reſpondebimus? Maximè ſi vobis, vtpote iunioribus, integer cui Ionathas, mihi Saul, vtpotè peccatori occurrerit. Quid (inquam) dicemus, niſi populum illum Iuda nouellũ dilectum, quem mare fugit, cui ſol ſtetit, ceſsit Iordanis: populum (inquam) illum, cui peruius fluctus fuit, aer fertilis, terra cæleſtis: quæ non vt veſtra hæc terra, ſpeciem corruptionis induerit, ſed reſurrectionis gratiam aſſumpſerit: ſeruire nunc Idumæis, & ſubiectum eſſe Simoni latronum Principi, nec ſeruitutẽ ipſam habere ſecuram, nec periculum cum libertate. Quid ad hæc reſponſuros putamus, qui elegerunt bello perire, q̃ libertati patriæ ſeperuiuere? Quid etiam Matathiam reſponſurũ Machabæorum





autorem, qui voluit obſeruando legem ſabbato feriatus mori, quàm præliatus viuere? Si audierit quomodo Simon, nõ ſolùm ſabbato cædes ciuium innumeras agitauerit, ſed ipſos ſacerdotes Domini, neomenijs & omnibus ſanctis feſtæ celebritatis diebus iugulare coegerit? Quãtum ingemiſcet Iechonias, cùm audierit Simonem, qui ſeditionibus primò vrbẽ euerterit, cæde ciuium violauerit templi vetuſtam religionem, cõuentum toties, vt ſui deditione vrbem exueret, incendio *malè perire omnia, excidio vrbem, templum exuri, plebem totam interfici, ne occupatæ inclinet dominationis faſtigium? Quantum (inquam) dolebit Iechonias, licet tempore malorum vrgentium minùs felix imperio, melior tamen filio? Patet enim ſibi minùs felix eſſe, quàm patriæ, licet miſerabiliter, piè tamẽ maluit. Itaq; ſe cum ſua proſapia, egreſſus vrbẽ, Babylonijs obſidentibus in ſeruitiũ dedit, ne euerſam patriam, ne populum Dei captiuum videret. Filius autem ærumna pari, ſed affectu impari: dum ſibi metuit, & ſe in exilium, & vrbem in excidium

Quidam, malle perire omnia, excidio &c.

deduxit.Hic itaq; infelix patriæ,nec ſibi
felix: q & liberos ſuos & oculos amiſit:
ille autē prudentior, qui captiuitatē ci-
uium ſua redemit captiuitate. Denique
exitus docuit:iſte in regno ſenior,ille iu
nior in ſeruitio defecit, quàmuis ei po-
ſteà thronum regium, Babylonius Rex
iuxta ſe conſtituerit, & conſilij detule-
rit prærogatiuam,miſeræ calamitatis ſo
latia. Deniq; tolerabilior iam mea ſors

Crudelis eſt,q filios ante ora patris iugulat.

eſt,poſt liberam mortem mori,quàm vi-
uere:vt ſcias, quàm crudelis ſit,qui fili-
os ante ora patris iugulet. Cuius etiam
regalia munera deteriora ſunt, quàm pi
etatis vulnera. Aut enim tam impia in-
ferre primò non debuit, aut tam hono-
rata poſteà ſubſtituere, quaſi quæuis di-
gnitas redimi poſsit filiorū amiſsione,
aut compenſari cædes ſobolis quouis v-
ſu honoris:nulla profectò, nulla digni-
tas tantum dolorem alleuat.Nullus ho-
nor curat hoc vulnꝰ,niſi ſola mors, quæ
ſenſum adimat, recordationem auferat.
Feſtina ergo percuſſor, remorare tamē,
dum liberos video, dum priuſquàm mo
riant̄, aſpicio,ne qs ætatis forſitan imma





turitate turbatus,mortē timeat,cū ſæui-
orē euadat tyrannū. Beneficium eſt filij
mori,ne patriæ videamus captiuitatē:to
lerabiliora corporis q̃ mētis vulnera. Iā
tolerabiliùs & veſtras neces ſpecto,quas
refugiebā, ne ſpectē neces in commune
omniū,ne videā patriæ buſtū, & totā vr-
bem ſepulchrū ſuorū. Beatior tamē,qui
mortuus fuerit,q̃ qui reſeruatꝰ. Summe
Deus,ne inter innoxiorū greges ſterna-
tur Simō cū liberis ſuis,ſpectet captiuus
quæ intulit:imò minimè,inquit:nā quę
poteſt cogitare,poteſt ferre, nec tamē ea
imprecor.Conſideret,q̃ grande nefas ſit,
quod non poteſt vel voto retorquere, q
patitur, q̃ acerba vltio, q̃ ſæua commiſsi
ſceleris immanitas,quod optat patrię ca
ptiuus ſuperſtes,quia peiora ſunt vitę lu
dibria,q̃ mortis ſupplicia. Sed iam finis
verborū ſit. Feſtina carnifex,dū cruentū
ſanguine filiorū gladiū geris,percute pa
trem,vt nullus refrigeret. Hoc ſolū mo-
rituro medicamentū eſt: hoc ſolo nō ſen
tit̄ ictus mucronis,dolor vulneris. Per-
cute ſub conſpecto Rom.exercitus,ſicut
imperatum eſt, vt ſpectent vindicaturi.

Miſereatur hoſtis, quia ſocius non miſe‑
retur: Iudicent Romani, quia Simon oc‑
cidit ſine iudicio: teſtes ſunt ipſi, me nõ
proditorē patriæ, ſed defenſorem fuiſſe,
qui pugnantem viderunt, non deſeren‑
tem: Liberis ego meis, ſi potuiſſem, ho‑
ſtem auertiſſem, non hoſtem accerſiſſē:
atque vtinam nec Simonem accerſiſſem,
nec finis vllus adhibit⁹ tātę crudelitati.
Iacebant adhuc cum patre inſepulti libe‑
ri: adiungitur & ſacrilegium ſpectaculo
parricidali. Cæditur Ananias ſacerdos,
claro genere ortus, licet nemo clarior
ſit ſplendore generis, quàm munere re‑
ligionis. Illo enim affectatur nobilitas,
hoc non deſideratur. Habebat ſibi vetus
proſapia diuerſorum faſces honorum,
habent & ſacerdotia ſuos faſces: qui ele‑
uantur non humeris, ſed moribus: & at‑
tolluntur non virgarum proceritate, ſed
laborum perſeuerantia, & fidei altitudi‑
ne, pietatis faſtigio. Percuſſus eſt etiam
ſcriba Ariſteus claræ & ipſe originis: &
cum ipſis alij de plebe quindecim præ‑
minentes cæteris, licet iniuſtam necem,
non nobilitas faciat, ſed innocentia. Præ‑
occupantur

Ananias Sacerdos occiditur.



occupantur etiam viri vndecim, qui pa‑
riter conſpirauerant, commoti ſcelerũ
eius atrocitate, & ſibi quiſque metuen‑
tes, quæ in alios exerceri videbant, quòd
infidelis etiam amicis foret, & ſpes adē‑
ptæ, populante vniuerſos fame, Roma‑
nis iamiamq; irrupturis: turbato Simo‑
ne ad opem defenſionis, bacchante ad
officinam crudelitatis, facilique illece‑
bra proditionis, quòd Iudas vnus ex ip‑
ſis turrim tuendam ſuſceperat. Is igitur
cùm Romanos vocaret, traditurum ſe
pollicens turrim, faſtidientibus alijs q̃
tam ſerò proditio procederet, alijs dubi‑
tantibus, quia frequenter promiſſa dedi
tione dolum parauerant, præuenit Si‑
mon, & de vniuerſis conſpirationis ſo‑
cijs pœnam exegit: corpora quoque eo‑
rum de muro præcipitata.

## Caput XXIII.

CLauſus tenebat Ioſephi pater, nec
vllus ad eũ acceſſus patebat. Eò ſtu‑
dioſiùs Ioſephus ad deditionem inuita‑
bat Iudæos, & inconſultiùs murum ſuc‑
ceſſerat, vt liberaret patriam cum patre.

 Quo

Ioſephus ad deditionem hortans Iudæos, graue vulnus accepit, quod cũ mater ei' reſciuiſſet miſerrimè exclamauit.

Quo loci caput percuſſus concidit: ac penè iactatis deſuper telis oppreſſus fuerat, ni pręcepto Cęſaris miſsi forēt, qui eum protectum clypeis eriperent neci. Comperto mater filij ſui vulnere, & inſultantium latronum conſternata vocibus, mortis eius formidinem ſimul & fidem induit: miſerabiliter quoque deplorare occœpit: ad hos fructus fæcunditatis ſe reſeruatam, vt nec officio viuentis filij potiretur, nec ſepeliret defunctum. Voti quidem ſui fuiſſe, vt ipſe potiùs matri ſepulturam daret: inter eius manus ſupremum exhalaret ſpiritum. Ille frigidos artus deficiẽtis foueret, ille vltimos ore anhelitus legeret, ille oculos morientis clauderet, ille ſpirantia adhuc ora componeret. Sed quia voto exciderat, ſolatiũ fuiſſe, ſi vel ipſa intereſſe potuiſſet filij morientis ſupremis. Miſerabili quidem ſorte, ſed tolerabili tamen, vt quem ſuperſtitem optauerat, eius vel funus teneret. Veruntamen vel de muro, inquit, ſpectare mihi mea funera liceat: & ſi cōtingere non licet, vtinam quidem nemo arceret. Sed quem metuam tanto deſtituta filio?



ta filio? Quid pertimeſcam, cui beneficium eſt mori? Vtinam in me tela ſua omnes contorqueant, omnes gladio me trāſfigant, quod viuens non potui, ſaltem filij mei corpus veſte mea protegam. Abũdat vnius veſtimentum ad ſepulturam duorum: & fortaſſe quiſquam hoſtium miſerebit, vt amictu filij matris oculos tegat, & oculos oculis, manus manibus, ori ora connectat. Proripiens itaque ſe ad muros, cœlum ipſum miſerabili queſtu replebat. Inſultabant ſui, flebant Romani: apud ſocios crudelitas, apud hoſtes miſericordia. Figite (inquit) me, ſi qua eſt pietas, ego genui, quē perſequēdum putatis. Ego infelicia hubera dedi, me extinguite, ſi de illo vindictā q̄ritis.

## Caput XXIIII.

DVm illa deplorat, ecce ad vocem matris proceſsit Ioſephus, & deflere cœpit quòd euaſerit, cui dulce fuerat ante patriam mori, & pro patria dum ſalutaria ſuadet, procumbere. Sed iam non pro parentum contendere ſalute, qui depoſiti æuo cùm in carcere

vitæ finem ſupremum exigant: Liberantur, ſi moriātur: ſed pro ara, pro templo, pro ſemirutis adhuc vrbis mœnibus trepidare. Obtuliſſe ſe vulneri, ne patriam euerti videret. Qua excitati querela, plerique ad Romanos tranſeundum rati, qua potuerunt via, ſubtraxerunt ſeſe inſidijs latrocinantium, & cuſtodijs protendentium. Quibus quidem Titus miſericordiam promiſſam ſeruauit, ſed alia grauior ærumna accidit. Nanque vbi data alimenti copia, cœpit oneri eſſe cibus, qui priùs vſui erat, deſuetisque edendi officijs, miniſterinm feriabatur. Nulla vis dentium, vt cibum manderent, nulla arteriarum ſubſiſtentia, panem arrodere nullo poterant modo. Si quid ſanè ſorbuiſſent mollioris alimoniæ, interclusis iam faucium meatibus, ſtrangulabātur. Obriguerant interiora viſcerum, obſtructi erant ductus ciborum. Aruerant iecoris venæ, quæ cibos attrahunt. Perierat vſus, auiditas cumulabatur, virtus defecerat, appetentia manebat. Ruebant ſupra cibos miſeri, & inualidos morſus, more infantium meditabantur. Pleriq; viſis



viſis alimentis, ipſo gaudio deficiebant, atque inter exoptatos ſibi cibos moriebantur: ſolati miſeriam, quòd votum impleuerant. Sed erat pompa lachrymabilis, cùm plures à cibo ad periculum ſurgerent, quàm ad ſalutem, vt & victus noceret. Inflabant enim inſolito cibo potiùs, quàm reficiebantur, & quaſi quodā hydropiſis morbo, diſtenta cute pœnas dabant. Et ſi quibus vlla adhuc virtus edendi, auiditas modum neſcia, quod ferre non poterant, ſupra menſuram ingerebat, repentino cibo farti dirumpebantur. Quid enim graue non erat, quibus erat grauis & ſolus affectus, vt obeſſet vidiſſe, quod deſiderauerant? Incapaces enim affectuum per longam famem, oppreſſit etiam ſenſus naturæ: & ipſe gaudij motus grauauit. Nihil enim mirum, ſi exhauſtis periculo cibus eſt. Denique poſt biduanum ieiunium, ſi quod auidius ſumpſeris, ſtatim crudeſcit. Vnde pleriſque moris eſt, vt ſuccum lactis infirmis viſceribus infundant, eoq; cum melle permixto temperent, humorum exaſperatā ieiunijs intemperantiam, &

Multi Iudæorū viſo cibo deficiebant.

 deſe-

defectionem corporis, velut infantiam quandam, molliore cibo nutriant. Sic ergo nonnulli Iudæorum, qui ad Romanos confugerant, poterant euadere, quadam arte penſantes moderamina cibi, donec deſueta edendi caro, in ſuos rediret vſus. Nec hoc tamen profuit miſeris, ſed cauſa maioris exitij fuit. Nam cū ex his pleriqueaccepto cibo aluum purgarent, egeſſerant aliqui bimones aureos, quos abſorbuerant, cùm adornarent fugam: ne deprehenſi, quia inſidiatores omnia perſcrutabantur, non ſolùm diſpendio, ſed etitm periculo forent: Scelus enim ducebatur, aurum quenquam præter latrones habere. Hoc itaq; poſteà Iudæi, ſpecie miſerabili inter inquinamenta alui aurū legebant. Cōperit id quidā Aſſyrius, & ab vno in oēs opinio manauit. Quod genus hominum præceps ad auaritiam, & paratum ad verſutiam: nihil tam atrox ſit, quod refugiat, nihil tā turpe, quod erubeſcat ſtudio pecuniæ. A Syris in Arabas diffuſa fama eſt, quibus & non minor auaritia, & feritas barbariç propior immanitati, eò quòd farti auro

Iudęi aurū abſumptū in famis ā guſtia, in excrementis recolligunt



ro Iudæi forent: diripiunt quoſcunque offenderant aduenientes, contra fas, cōtra leges deditionis, contra promiſſum Cæſaris, quòd occidi non licebat: incidunt adhuc viuentes, cruentiſque manibus euiſcerant ventris ſecreta. Aluum ſcrutantur, & inter eius manantia purgamenta aurum requirunt, non minùs turpiter quàm illi, quos adigebat fames: inſuper etiam ſæua crudelitate. Multa acerba eo commiſſa prælio, nihil hoc vno acerbius. Denique vna nocte duo millia ferè virorum diſciſſa ſunt tali flagitio, diuiſiſque viſceribus, quæſtus ſuos Syria numerabat: Arabia negotiationis recenſebat emolumenta, quæ ſine transfretati maris periculis nouo crudelitatis cōmento in vſum lucri verterant, & mercem putabant: Quod etiā nunc in huiuſmodi hominum genere reperias, & nonnullis ſæpè Aegyptiorum, vt curandis funeribus negotiētur, & officia humanitatis vendāt mercaturę cōpendijs. Miſera fames auri, nihil ſequendū putat, niſi quod ad pſens lucroſū: nihil honeſtū, quod pęcuniæ vacuum. Grauis iādudū, grauis

Arabes incidunt viuentium viſcera, vt ex ijs corradant aurum

grauis inoleuit humanis affectibus quærendi cupido, & mercatura facta eſt vita hominũ; veno & empto viuitur. Serpſit itaque vitium in innumeros, vt iam tolerabilior cõmutatio mercium ſit, quàm morum animorumq;. Infecit Syrorum auaritia etiam Romanum exercitum. Nihil enim faciliùs in alterum tranſit, quàm amor pecuniæ, & deſiderium habendi: præſertim finitimas opes, quibus vicinus abũdauerat. Nec eſt vlla paſsio, quæ magis virtutem animi effœminet, quàm cupiditas diuitiarum. Deniq; verſutia laudi datur, paupertas probro habetur. Impediuit hoc vindictæ ſæueritatem, quia innumeri reperti tanto furore obnoxij: ideoque Titus, qui vallare circumfuſo exercitu Syros & Arabes propoſuerat, contemplatione multitudinis reuocauit ſententiam: vt ſuperioris delicti gratiam faceret, & ne poſteà committeretur, pœnam denuntiaret, verborumque auſteritate grauiori ſuos argueret, quòd auro ſuccincti & argento, pretioſiſque telis nitentes, nec arma ſua erubeſcerent, vt tanto ſe dedecore dehoneſta-



neſtarent. At verò Syros & Arabes increpare, quòd immemores Romani nominis, dictu quoque horrida excogitaſſent: veniſſe eos ad belli ſocietatem, non ad exercitium flagitiorum. In exercitu Romano non ſolùm virtutem corporis, ſed etiam mentis requiri: nec tantummodò fortitudinem in hoſtem, ſed etiam diſciplinæ normam ſpectari: ne crudelis, ne impius, ne inſolens miles ſit: ſed ne prædæ potiùs quàm victoriæ intentus. Ea grauia videri militiæ flagitia, & vindicari atrociter. Inter arma quoq; leges valere, fide meliùs bella geri, quæ ſeruetur etiam hoſtibus. Si ergo & armatis debetur, quantò magis precantibus? Proinde cauerent ab huiuſmodi flagitijs, ne & victoriæ exortes, & ſalutis fierent: Neque ſe diutiùs paſſurum, vt eorum ſceleſta flagitia Romanis aſcriberentur, qui plùs oneri, quàm vſui forent. Itaque repreſsit aliquantum non execuit auaritiam Syrorum, vt arbitrum fugerent, non vt præceptum fouerent. Denique explorato priùs, ſi fortè Romani militis deeſſet præſen-

**Inter arma leges valere plurimùm debẽt, vt etiã hoſtib⁹ ſeruãda fides ſit.**

præſentia, de miſerorum viſceribus exe-crabile lucrum proferebatur, nec tamen in omnibus ſequebatur etiam prædæ e-uentus, ſed in paucis, quò crudelior fe-ritas: quia non ſolùm propter opes, ſed etiam propter ſpem lucri plurimi extin-guebantur: cùm latrones ipſi, & ſeniores piratæ, latronibus à latrocinio tempe-rent, vbi prædam non ſenſerint. Solius enim barbaricæ immanitatis eſt gratis nocere. Nam & ipſę feræ, vt interficiant, prędam ſequuntur. Foris itaque pœnę acerbę, intùs immanior Iohannes.

## Caput XXV.

DEnique cùm talia gererentur à Sy-ris, etiamſi aliqui reuocarentur, indicio comperto, transfugere tamen a-lij non deſinebant. Inter quos Manneus Lazari, qui aſſerebat per vnam portam ſibi creditam centumquindecim millia mortuorum elata, additis adhuc octin-gentis octoginta funeribus, ex quo ip-ſe tuẽdi vicem huiuſmodi recepiſſet mu-neris: idque ſolo eorum numero colle-ctum, qui mercede publica ſepulti forẽt, præter



præter eos, quos ſepelierant ſui. Quæ autem ſepultura, niſi vt de muro cadaue-ra deijcerentur? Poſt ipſum plerique nõ ignobiles viri, confugientes ad Titum, ſexcenta millia defunctorum fuiſſe, qui per portas elata numerata ſunt, comme-morabant. Eorum verò cadauerum, quę propter infinitam pauperum multitu-dinem efferri nequiuerunt, atque in ma-ximis domibus, diuerſorumq; operum ſpatijs conſtipata ſint, numerum fuiſſe inæſtimabilem. Et adhuc erat proceſſus malorum, quæ iam ſuperiorũ omnium finem vicerant. Adhuc ſæua obſidio, bel-lum graue: maioribus iam tamẽ Iudęorũ animis, quàm viribus. Super omnia verò fames terrior, quæ inſidiaretur iumen-tis aluũ purgantib⁹, & vetuſta rimaretur boum ſtercora: vt quod viſu erat horribi-le, hoc fieret eſca eſuriẽtibus. Miſerabilis congeries inſepultorum corporũ, & cir-cuitu lõgo terra ipſa tecta cadaueribus, repleta ante muros omnia, terribilis ſpe-cies, horror grauis, odor peſtilens: qui nec victores, nec victos diſcerneret. V-triſq; ſimul noxi⁹, & maiore Romanorũ impedi-

Quidã viri nobiles detulerũt ad Titũ, ſexcenta millia mortuorũ p vnã portam elata.

impedimento, quibus neceſſe erat iacentes reliquias cruentato proterere veſtigio: terra ipſius inculta, ſucciſis omnibus, quæ ad vſum militis & machinarũ neceſſariò conueherentur. Per tredecim fermè in circuitu vrbis miliaria longè lateque vaſtata humus, & nudum gignentium ſolum. Omne illud pomerium, in quo antè nemora viridantia, horti inhalantes floribus, diuerſa pomaria, ſuburbana prædia gratam ſui ſpeciem dabant, ſi quis poſteà vidit hoſpes, ingemuit: incola non recognouit, & ad genitalem regreſſus locum, cùm præſens adeſſet, patriam quærebat.

## Caput XXVI.

REparatis itaq; aggeribus & vineis, cæteriſque machinis obſidionis, renouatus eſt belli furor, & quaſi ad extremam operis manum vtrinque ſtudijs conſpiratum: Totius enim periculo certaminis decernebatur: quia & Romanis ſoluenda obſidio foret, ſi aggeres & arietes incenderentur, quibus per inopiam ſyluarum reparationis ſubſidia non ſuppetebãt:



petebant: & Iudæis excidium patriæ incumberet, ſi manu cederent, cùm quaſſata murorum repetitis arietum ictibus reſoluerentur. Proceſſere itaque Iudæi cum facibus adeò feroces, vt tanquam ceſſuro ſibi Romano exercitu, incendia in machinas ſpargerent, obſidionẽ ſoluerent. Sed exhauſtæ iã vires fame, & res fractę priores ſucceſſus negarũt, ſubſtantia defecerat, audacia manebat. Contrà Romanis maior pudor, ſi ab his, qui extremum fame ſpiritum traherent, victoria de manibus diriperetur. Conſerto itaq; prælio, repulſi Principes ſeditionis, ad murorum ſubſidia bello impares recurrerunt. Sed vbi dubia murorum cæſura repetitis ictibus, Iohannes haud incurioſus extremi ſubſidij circumſpexit, interiorem murum, quaſi in.C.literam duxit. Poſtero itaq; die conuulſa parte murali, fragor labentis beneficij, & clamor Romani exercitus ſimul increpuit, quaſi patrato excidio muri prolapſione. Sed vbi conclamatæ vrbis inſultauit ſonus, verſa vice rerum noui muri ſpecies, improuiſa Romanorum gaudia reſtrinxit,

Iudæorum audacia ſucceſsit, quia periculum differebatur. Tunc Cæſar exercitum adhortari cœpit, vt nouum illum murum ſine vlla cunctatione adoriendum putarent, quem conſtructio recens infirmũ, & facilè ſolubilem proderet: auderent modò animis procedere, fragmẽta muralia aſcendẽdi facilitatem datura, vt præliantes Romani Iudæis, de ſuperiori loco decernentibus, adæquarentur. Et quia cunctantes videbat rei difficultate, validiſsimos quoſq; iuxta ſe cõgregãs, in bellum accendebat tali oratione.

## Caput XXVII.

Oratio Cæſaris, qua nititur animare ſuos ad muros augrediendos.

OMnium rerum exitus plus negotij, quàm principia habere, nulli incognitũ eſt fortiſsimi commilitones, quia cõſummatio ſuſcepti muneris maiorem quærit laborem: ſiquidem toto libera mari currit nauis, etſi non ſemper à puppe ventorum aſpirent flamina, gubernator tamẽ obliquat velorum ſinus, & ſine refragio ſcinditur fretum. Sed vbi ad portũ venitur, opportuna aurarum temperies neceſſaria eſt, & anguſto ingreſſus



greſſus nauium coercetur limite. Maior itaq; periculi cura, vbi ſpes propinqua: ædificantibus quoq; plana exordia fundamentorum, ſed ardua celſorum opera faſtigiorum. Et plerunq; in ipſo operis claudendi fine, mercedis ſuę munere defraudatur miſerandus faber, aut culminis lapſu obrutus, aut inſtabili deceptus veſtigio, vt ad inferiora decidat. De agricola quid dicam, cui procinctus laborioſior meſsis quã ſegetis, vindemiæ quàm putationis: & adultis fructibus grauiora ſemper metuenda pericula? Nihil ergo nouum, ſi adhuc nos in ipſo portu conſummandi curſus periculum manet: igitur per anguſtiora viarum ſcandendum eſt ad Antoniam: quò deiectis inde aduerſarijs, ſuperiorem occupãtes locum, ac ſupra verticem locati hoſtium, ipſos quodãmodò anhelitus eorũ intercludamus. Sed difficile hoc nobis videtᷣ cõmilitones, quaſi verò ad ludũ, non ad bellum conuenimus: in quo aut vincendũ, aut moriendũ ſit viris. Tũc ergo debueratis excuſare, quando ad præliũ veniebatis, vt vindicaretis cladem Rom. exercitus,

 & ma-

& maculatæ militiæ probrum dilueretis. Si Neronis tempore vlciſcendam iniuriam Romani nominis æſtimabatis, quid vos decet velle Veſpaſiano Imperatore? Lauemus ſuperioris imperij notã, ne noſtro adhæreat, quã Nero quidem remoturus per Veſpaſianum æſtimabatur. Veſpaſianus per Titum in ſe transfuderit, niſi vicerimus: Exequenda nobis tantummodò ſupplementa victoriæ pater reliquit, quò fuſis incaſſum tantis laboribus, dedecores inultique referemus gradum, victoriam derelinquẽtes: quaſi non leuius crimen ſit de militia decedere, quàm victoriam deſerere: illud enim formidinis, hoc proditionis eſt. Sed periculoſum putatis in hoſtem deſcendere, & murum armis circumſonare: quaſi verò muliebria de nobis, & non virilia opera ipſa natura expetat, quę nobis ideo vitalem infudit ſpiritũ, vt eum pro gloria libenter refundamus. Ad quę igitur, niſi ad maxima quæque à Duce ſuo bellator adhortandus eſt? Nam vſitati operis adhortatio, non ſolùm conuentis, ſed etiam conuenientibus affert pudorem,


pudorem, vt exigas, quod ſpontè debetur: id enim de ſe militem præſtare oportet. Et tamen quid immoderatum à vobis exigo? Nónne præſtat mori per virtutem, quàm viuere ad ignominiam? In medias Romanorum acies frequenter Iudæus excurrit, ac ſeſe hoſtilibus cuneis impauidus infundit, non ad ſpem victoriæ, ſed ad indicium fortitudinis, & oſtentationem glorię: Vos, quibus terra & mari nemo impunè adhuc reſtitit, quibus non eſt nouũ vincere, & crimen non viciſſe, cùm tanta de cælo habeatis vincendi ſuffragia, nec ſemel quidem proripuiſſe in hoſtem gradum non pudet? ſed armatos otium tenere, & in procinctu poſitos, feriatis animis expectare, vt fames pro nobis dimicet, atque inedia potiùs ſua, quàm noſtris fuſi gladijs, in opprobrium nobis erubeſcendos vertant triumphos? Non pudet (inquam) ſtrenui commilitones, vniuerſarum victores gentium, nihil de armis ſperare, nihil de viribus, ſed de ſola obſidione, & operiri, quando hoſtis morbo conſeneſcat, atq; in ſuo moriatur lectulo? Et quę
 poteſt

poteſt eſſe ſine bello victoria? omnia ſunt repleta cadaueribus, & deformes exuuiæ iacent, exangues reliquiæ defunctorum, niſi quos ipſi inter ſe ſuis manibus trucidauerunt. Quid timemus eos, quos iam fames, ignis, latrocinium, ſeditio extinxit? Quid destituimus diuina beneficia? Cuius enim niſi Dei nutu in ſua colliſi arma ſunt? Deſtituti quoque ſubſidijs alimentorum, nec vllus domeſtici finis furoris. Vereor, ne iam & religionum videamur rebelles, qui & noſtris, & ſuis religionibus infidos tam diu reſeruamus. Verùm eſto, ſit atrox bellum & formidoloſum. Quid enim vos belli demulceo facilitate? Sit victoria incerta, certum periculum. Nónne apud eos mihi ſermo eſt, qui humana prudentia nouerint, in periculis promptiorem eſſe omnium animantium fortitudinem, quàm in remiſsioribus contentionibus? Feræ ipſæ cùm ſe circumuallatas armis viderint, maiore in eos impetu ruunt, vt vi ſibi aperiant iter. Et atrociora ſerpens latibulis excuſſus, infundit venena. Sunt etiam

A feris cõparatio ſumpta.



etiam, quæ naturâ innoxia, in periculis tamen ſuis ad nocendum fortiora ſunt. Habent cerui ſua arma, ſi quis ſe obuium ferat, & mortem cornibus repellunt. Habent & læſæ apiculæ ſuos morſus. Quid autem de viris bellatoribus apud Romanos loquar? cùm Leonides ille Lacedæmone genitus, præliaturus aduerſus innumerabilem Perſarum exercitum, dixerit: prandeamus in terris, apud inferos cœnaturi. Tantum valuit apud Græcos hic ſermo, vt non ſolùm de trecentis illis Lacedæmonijs viris, quibus ipſe præerat, ſe nemo ſubtraxit, præter vnum tantùm, quem ſuperſtitem poſteà nullus recepit: ſed etiam de cæteris, qui ſimul ad bellandum proceſſerant, niſi quos Leonides tanto degeneres bello repudiauit. Quid de Romanorum integris legionibus loquar? quos Cato Romanæ aſſertor facundiæ, & veritatis ſyncerus interpres, aſſeruit cum exultatione ad bellum proceſsiſſe: de quo ſe redituros non arbitrarentur, vniuerſoſque libenter procubuiſſe, ne mutarẽt ſentẽtiam.

Beati, quorum nemo ſuis hoſtium fuga victoriam annuntiauit. De trecentis tamen Lacedæmonijs vir vnus ſubterfugit, & illi in anguſtijs præliabantur, ne circunuenirentur. De Romanis legionibus nullus vitæ elegit, ſed omnes mortis hæreditatem, quorum vos poſteri eſtis: ſed contemptu periculorum, quaſi glorioſa indoles virtutis, proſapiam nõ abnuatis. Quis enim fortium virorum eſſe ſe mortalem nõ nouerit, omnibusque poſitum finem viuendi? Quantò igitur melius patriæ impendere, quod patriæ debeas, & neceſsitatem commutare gloria? Nec anhelæ ſenectutis ſuſpirijs obnoxiam vitam deijcere, nec feruentis ægritudinis caſus reformidare, cùm depoſitis æuo quotidiana faſtidia ſint. Illorum autem, qui languore marceſcunt, deficiẽtibus viribus pariter ac ſenſibus, vt multorum opinio habet, animæ ſimul cum corpore ſepulchro adiudicentur. At verò bellatorum, & ſtrenuiſsimorum virorum, qui ſe pro patria, pro liberis, pro religione morti deuouerint, animas de vinculis corporis huius ferro abſolutas:





ſolutas: nulli dubium, quin purũ illud æthereum elementum ſtellarum lumine refulgens, in cœleſtibus ſuſcipiat habitaculis, hoſpitio quodã ſupernæ quietis: in terris quoque remanere, inſigne aliquod eſt gratiæ vel iniuriæ, vt & languore cõmaceratos obliuio abſcondat: & aduerſum pectus in hoſtem ferentes, ſi mors conuenerit, ſequatur gloria. Ad hæc vos inuito præmia commilitones, vt in hoſtem pergamus, quem clauſum tenemus: & aſcendamus in murum per ruinam muri validioris, quæ nobis velut quendam aggerem præſtat, & æquatur muro inferiori. Quiſquis virtutis vexillum præferens, primus in murum aſcenderit, vel ſecundus, vel tertius, vel pluribus comes, haudquaquàm mihi nõ donatus opimo abibit munere, etſi nulla maior remuneratio, quàm fortitudinis gloria, quæ plerunque eſt tutior. Nã vbi primùm animis, & viribus confidentiſsimus quis aſcendit, fugient, qui reſiſtebant: aut ad inferiora ſe conferẽt, aut latibulis abſcondent: ita quòd maximo nunc periculo ſit, ſi in inferioribus quærimus,

rimus, ſine labore magno ſequetur, vt deiectis hoſtibus bellum conficiatur.

## Caput XXVIII.

Sabin' primũ offert ſe Cæſaris monitioni, vir exiguo admodum corpore, at animo magno.

VIx ſermonem Titus clauſerat, & Sabin' ſe obtulit ex Syriæ viris, egregius bellator, ante Cæſarem conſiſtens, ait: obedire ſe imperijs, aſcenſioni paratum, ſi euentus ſibi adeſſet, vt Cęſari placeret: ſi deſtrueretur ſecundis, nihil prę ter ſpem ſibi accidere, qui iudicio proprio delegiſſet pro Cæſare mori. His dictis læuam extendens, clypeum ſuprà caput extulit, & dextera vibrans gladium, immane, quantum in arma inſurrexerit: vt quiuis eum non recognoſceret, quem paulò antè exilis corporis ſpecie deſpicabilem putauerat, ſubitò cùm videret pergere in aduerſum, & hoſtibus pariter, & muris minantem ſeſe extendere, quaſi iam celſior in ſubiectos prełiaretur, & murum quateret manu. Sequebantur eum vndecim viri ſtudioſi adimitandum, ſed impares ad conſequendum. Repugnabant de muro Iudæi ſpiculis, ſaxis, ſagittis: & quod cuiuſq; manus inuenerat telum, in Sabinum deijciebatur. At ille interritus, curſu concito inſilijt fragmentorum aggerem, & in ſummo locatus, hoſtem auertit, dum proximus quiſque formidat periculum. Sed dum ſe librat in murum attollens, & ſecurus victoriæ in hoſtem intendit, lapſus in faciẽ, cum maximo ſonitu ruit. Quo reuocati Iudęi, cœperunt iacentem miſsilibus vrgere. Ille genu nixus, & ſe protegens ſcuto, quàm diu potuit, à vulnere defendit, nec immunem reliquit, quem proximum reperit. Ad poſtremum tamen *conſertus vulneribus, ſpiritum priùs quàm bellum depoſuit, nec deiectus gradu, nec muro excuſſus eſt, niſi mortuus: tribus quoque alijs necatis, octo ſemineces, licet à cęteris tamẽ exitio ſubtracti.



Sabinus telorũ ictu obrutus, cadit, quẽ volẽtes cęteri vindicare, fortiter pugnã aggrediũtur.

Alij, cõfect' vulneribus.

## Caput XXIX.

NEc tantùm non terrori reliquis mors Sabini, ſed incentiuo fuit. Nam Romani viri, qui prętenderent vigiliarum munia, compenſare cupientes operis effectu, ꝗ Sabini ſtudio præuenti forent,

forent, viginti numero ineũt conſilium magnum & memorabile: vt aduocato quinti ordinis ſignifero, & duobus equeſtris militię viris, quos promptiores arbitrabãtur, atq; vno tubicine, quinta hora noctis ſilentio per aggeres ſeſe fragmentorum muralium in ſuperiora attollerent, cæſiſque cuſtodibus, Antonię murum occuparent. Quo peracto, terribilior ſolito ſonitus increpuit tubæ, & feſsi labore Iudæi, & ſomno ſoluti, de improuiſo perturbarentur, quia omnia repleta hoſtibus crederent. Antè itaque fugere cœperunt, quàm veri fides pateret. Neque enim periculi ſors, tenebroſęque noctis caligo patiebatr, vt quanti eſſent, cognoſceretur. Et Cęſar audito fragore tubæ, armari exercitum iubet: ipſe cum electis primus in murum aſcendit, ſuis auxilio, hoſtib' impedimẽto. Illuxit dies, & iam Cæſar conſpicuus è muro ſuos adhortabatur: alij manibus ſuorum in murum eleuabantur, alij per cuniculũ, quem Iohannes ad ſubuertendos Romanorum aggeres defoderat, in vrbem ſe deferebant. Verſa in perniciem perfidis ſubſidia



ſubſidia ſua, excluſi vndiq; in templum ſe conferunt. Eò quoque volentes Romani irruere, cohibentur anguſtijs, armiſque repelluntur. Fit in veſtibulo graue prælium, nec iã ſpiculis aut ſagittis, ſed gladijs cominùs geritur, manus ad vulnera, gladius ſuper gladium, ictus ſuper ictum, percuſſor cæſorum ſanguine perfundebatur, vt ipſe potiùs percuſſus æſtimaretur. In ipſo templo furor bellicus dominabatur. Natabant pauimenta ſanguine, morientium gemitus, vincentium clamores ſine ordine & modo perſonabant: Romanos perficiendi certaminis ſpes accenderat, Iudæis ſuprema patriæ excidia ademerant mortis formidinem. Hi ſumptu gloriæ virtutem alebãt, illi deſperatione ſalutis omne effundebant virtutis viaticum, nec reſeruabant.

Roma. volentes irruere in templum, phibetur à Iudęis atroci cõmiſſo pręlio.

## Caput XXX.

PVlcherrimum quoque facinus adorſus eſt Iulianus Centurio, vir armis maximus, ex Bithynia profectus Prouincia, ſed Romanis aſſuefactus diſciplinis

Iuliani cẽturionis fortitudo

ſciplinis belliſque exercitus,& honoratæ militiæ clarus ſtipendijs. Qui cùm Cæſarem propter aſtaret, vbi aduerſos vidit Romanos, quia Iudæi erant numero preſtantiores, & adhuc Romani pauciores aderant, ſubitò de Antonia ſe præripuit, & inſequentes auertit: nec ſunt auſi reſiſtere, ipſa ſpecie præcellentiſsimi viri, & ſuperba quædam vltra humanam formam virtutis autoritate, ita vt ipſe Cæſar miraretur. *O varia atque incerta, velut quædam bellorum alea, quæ ſicut iactu quodam, ita caſu quodam potiùs quàm virtute, plerunque inopinatis ludit euentibus, ſufficiens nouos exitus. Namque & hîc iactus ſunt, non teſſerarum quidem, ſed ſagittarum, telorumq; pluriũ, lapidũ quoq;, quibus ſæpè victor ſternitur alieno vulnere. Et cũ aliena ſpolia rapit, ipſe diſpoliatur: velut hic Iulianus, qui tergo imminebat hoſtiũ, dũ alios perimit, & clauſtro coercet, ipſa alacritate incautior, confixũ clauis calceamẽtũ gerens, vſu militariũ virorũ: nõ conſiderauit polito lapide ſolũ ſtratum, quod cauendum foret, ſed quaſi in campo preliaretur

Ominaria in quibuſdã legitur



liaretur ſecurus, labitur, & ingentẽ ſtrage ſua ſonitum dedit. Nec potuit aſſurgere lubrico ſoli fuſus, genu tamen ſe ſuſtinens, regreſſum hoſtem repellebat, vt appropinquantes cæderet, iaculantes, quantum poſſet, caueret. Sed ipſa fatigatus atque oppreſſus multitudine, ſolus licet, quia nullus tanto ſe inſerere periculo auderet, non deſpicabilis tamen, neque inultus, impigrè occubuit. Haud equidem, vt arbitror, tali dignus exitu fuit, vt tanta virtus viri ſic deciperetur. Sed plurimùm in bello prudentia valet, quæ cauta ſemper & perſpicax incertorum prouidet caſus. Solus ſe de Antonia proripuit, ſolus in hoſtilia arma ruit, ſolus ſe armis miſcuit, ſolus in templum Iudæos redire compulit. Vereor, ne iſtud obfuerit magis, quia de templo fuerunt exterminandi Deo infideles, ideo lapſus non inuenit remedium. Spectabat Titus vincentem cum gaudio, periclitantem cum ingenti dolore, volebat ſubuenire, ſed longè aberat. Reuocabatũ à ſuis, quia in milite vnius ſors eſt, in Imperatore vniuerſorũ periculũ: docebat

Mors Iuliani.

docebat exemplum, quid cauēdum potiùs, quàm ſequendum Cęſari foret. Denique ſic conſternati fuerunt ſocij, ſic elati aduerſarij, vt & corpus Iuliani in poteſtatem veniret hoſtium, quaſi adhuc & defunctum timerent, ſi Romanis reſtitueretur. Cæteri Iuliano cæſo, facili negotio ceſſere. Nondum enim aſcenderant numeroſi, & Iudæis occaſio necis eius virtutem auxerat: promptiſsimis eo prælio ad repellendos Romanos Alexa & Gitteo Iohannis coniuratis, qui factionis eius propugnatores forent: ex Simonis quoq; parte Malchio & Iacobo Idumęorum duce egregijs bellatoribus: Arſimone quoque & Iuda tertiæ factionis viris pariter adnitentibus, qui coniuncta manu pulſos Romanos intra Antoniam clauſere.

## Caput XXXI.

Contrà Titus non munimento ſibi, ſed impedimento anguſtias Antoniæ ratus, iubet dirui munitionem eius funditùs, vt congreſſuris iter in hoſtem aperiretur. Compertoque quòd ſolennitas



nitas Iudæis feſtorum dierum appropinquaſſet, præcepit interpretari Ioſephum Hebræo ſermone, quæ ipſe alloqueret. Quæ, malum, ratio Iohanni ſuaderet, vt Romanos laceſſeret. Si virtutis fiduciam gereret, eligeret alium pugnæ locum, eò progrederetur, dūmodo vrbi parceret, templum non contaminaret, ſacrificia feſtorum dierum non impediret. Relinqueret quos idoneos ſacrificiorum miniſterijs æſtimauiſſet, fortitudinis ſuæ documentum vbi vellet, præter vrbē & templum, ederet, congreſsioni milites Cæſaris non defuturos: inuitum ſe cogi ad totius vrbis euerſionem: cuius reliquias ſeruare vellet, ſi pateretur Iohannes: imminere templo faces, non quo tēplum Romani feſtinarent exurere, ſed è templo educere belli incitatores. Si victos ſe crederent, manus darent: at ſi victores futuros ſperarent, non intra clauſtra ſe reciperent, ſed in campis defenderent, quo templum labentibus iam incendijs eriperetur, vacaret purificationibus. Ea interpretante Iudæis Ioſepho, cū ſilentio audita, tacitum vulgus proba-

bat, ſed metuebat ſententiam ſuam pan-
dere: quibus reſpondet Iohannes, nul-
lum præſtabilius Deo eſſe ſacrificium,
quàm pro aris, pro focis, pro templo po-
nere animam, viros DEO ſacratos: & ideo
ſi neceſſe ſit, libenter procumbere pro li-
bertate, tamē ſperare ſe, quòd excidium
perpeti non poſsit ciuitas Dei. Titus ad
hæc. Meritò igitur puram Deo ſeruatis
vrbem, & ſanctũ immaculatum, necan-
do ciues, interficiendo innoxios, peri-
mendo Sacerdotes? Talibus flagitijs non
placantur diuina, ſed offenduntur. Ab-
dicaſtis Deum veſtrum ſacrificiorũ * ſu-
orum cultibus. Si tibi aliquis negaret ci-
bum Iohannes, quæreres eum: Deo ve-
ſtro ſuæ hoſtiæ non immolantur, non
redduntur ſua munera, iugulantur ho-
mines, & adhuc putas Deum auxiliari?
Reuerà ſic geſta edocēt, ſic teſtificantur
cæſorum congeries, & cumuli veſtrarũ
calamitatum. Quis hæc videns, non in-
gemiſcat? Nec reprehenderem, quòd pu-
gnares pro patria, ſi nollem parcere, ſi
nollem patriam veſtram aut templum
reſeruare. Neque enim digna Carthago,
aut

*Suorum, abundare videtur.*



aut metuendus Hebræus Annibali, qui
partem mediam orbis Romani ſubege-
rant, & tamen ipſa quoque reparata Car-
thago, quæ vſque ad excidium ſui, rebel-
les ciuium animos tulit. Fide mea ſalua,
hæc omnia tibi futura ſpondeo, veniam
tibi ſalutis polliceor, non pro mercede
ſceleris, ſed pro redemptione vrbis, vt à
te redimam periturorum culminum ſta-
tum. Deſinas moneo latrocinijs tuis cõ-
turbare propoſitum pietatis Romanæ.
Non formidabitur Hieroſolyma, vt di-
ruatur: quando potior viribus reſerua-
ta eſt Antiochia. Certè Iechonias veſter
& Perſis credidit, & vrbē egreſſus, cõmi-
ſit ſe cũ ſuis proximis barbarico furori,
ne propter ſe ciuitas euerteret. Celebrat
à vobis ei' memoria, ſicut veſtri aſſerũt:
adeſt Ioſephus aſſertor ei', celebritatisq́;
teſtis, qua honoratis virum, qui pro pa-
tria ſe captiuitati obtulit. Seruauit eum
& barbarus Perſa, & ego tibi ſpõdeo im-
punitatem. Certè & Ioſephus arma Ro-
manis aduerſa intulit, crede promiſſo,
cuius & exemplum præmiſimus. Vadē
tibi ſpõſionis noſtræ Ioſephum damus:

 imò

imò iam dedimus, quem reſeruauimus. Loquatur vobis ſermone patrio, obliget ſe ritu quo ſoletis: non pudet nec vadem quærere, nec fideiuſſorem dare, ne euerſionem exhibeam, qui volo parcere. Flere ad hæc Ioſephus, rogare Iohannem, deplorare patriæ ſtatum, obſeruare ſermone flebili, appellare vt ciuem, ſed cæteris pertinaciorem: teſtare Dei omnipotentis gratiam, ſaluum fore cum ſuis, tãtummodo deſiſteret excitare milité Romanum ad vrbis euerſionem. Quem vbi flectere nequiuit, non mirum, inquit, Iohannes, ſi perſeueras vſque ad excidium patriæ, cùm iam relinquerint eam præſidia diuina. Sed mirum quòd perituram non credis, cùm legeris propheticos libros, quibus excidia patriæ nobis annuntiata ſunt; & reparata culmina, rurſus à Romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim quòd iam factũ erat, ſed quod poſt futurum, prophetabat: quæ eſt abominatio deſolationis, quam vociferatus eſt venientibus Romanis fore, niſi iſta quæ nunc imminet? quod eſt illud oraculũ, quod


quod à noſtris ſæpè commemoratũ eſt, à ſummo denuntiatum Deo? Tunc ſcilicet perituram vrbem funditùs, cùm ciuium manibus contribulis ſuus fuerit extinctus, niſi quòd nũc impleri videmus? & fortaſſe, quia iam defendi templũ non placet, interdicto maculato ſanguine purgari incendio placet.

## Caput XXXII.

Compleuit ſermonem Ioſephus, ſed nullis Iohannes mouetur fletibus, nec promiſsis flectitur. Vrgebat Deus iamiudum perfidas mẽtes, ex quo impio ſe parricidio commacularũt, Chriſtum Ieſum crucifigentes. Hic eſt ille, cuius mors Iudæorum excidium eſt: Natus ex Maria, qui ad ſuos venit, & ſui eum non receperunt. Quando enim ſuos non occiderunt Iudæi? Nónne filium Saul ſui occiderunt? Naboth Propheta à ſuis vtique lapidatus eſt. Iudæa fuit Iezabel, quę iuſsit Iudæis, ſenioresque præceptum executi ſunt. Iudęus Achab, qui cauſa mortis eius factus eſt. Quanti alij à ciuibus ciues perempti, & tamen diu integra ciuitas

Naboth ꝓpheta à ſuis lapidatur.

uitas manſit, etſi diruta à Babylonijs poſt annos innumerabiles, ſed reparata poſteà. Hoc eſt ſupremũ excidium, poſt quod irreparabile templum, quia auerterunt ſceleribus ſuis præſulem templi, reparationis arbitrum.

## Caput XXXIII.

TAli afflatu Cæſaris, & repetita oratione inflexa eſt aliquorum ſententia, qui ſe ſubtrahere potuerũt, vt ad Romanos conuenirent. Cæteros reuocauit periculi metus, qui à latronibus intendebatur (Et fortè quędam inclinatio mentium erat, ne plures eriperentur futuræ euerſioni) quos Cæſar confugientes ad ſe, quia erant inter eos & viri ſacerdotales cum filijs, & alijs ſplendidioris familiæ viris, ſuſcepit bona gratia, pollicens ſecuritatem ſalutis, ius poſſeſſionum ſuarum, atque ad vrbem, cui nomen Goſna, direxit: ne quid offenſionis oriretur ritu diſpari & cultus diuerſitate. Quod ab his, qui in vrbe poſiti repugnabant (ſeu quia huiuſmodi ſuſpicio inceſſerat, ſiue vllus compoſuerat dolo, ne plures dilaberentur) in argumentum eſt deriuatum necis, vt extincti obijcerentur. Eo comperto, reuocatos Titus iuſſit cum Ioſepho propiùs muros obire, vt à ſuis agnoſcerentur. Illi cum lachrymis gemituque magno, non ſua deflere, ſed patriæ templiq; excidia: rogare ciues, vt ſequerentur Cæſaris fidem, eriperet templum parato incendio, nihil ſibi aduerſus legem pręceptum, nihil de libertate imminutum. Acquieſcerent, & ipſi experirẽtur Rom. clementiã, quorum inſuperabilem virtutẽ experti ſunt.



## Caput XXXIIII.

CVm talia miſerabiliter deplorarẽt, proturbantur à ſuis, bellumque accenditur, inſiliunt Iudæi, atque in ipſa irrumpunt temeritate penetralia. Omnes receſſus, omnia ſecreta occupãt, quę inacceſſa viris erãt ſacrorum exortibus. Romani quoque ſe prælio parant: temerantur interdicta Patrum belli neceſſitate, maiore tamen Romanorum, quàm ſuorum reuerentia. Gentiles enim cum formidine templum ſpectabant, Iudæi

cum furore ac temeritate adibant,& madidas manus humano gerentes ſanguine, ipſa tractabant altaria. Titus adhuc in propoſito manens, alloquebatur Iohannem,& inultum ſe deduci ad excidium vrbis,& templi conteſtabatur, dicẽs ad eum: Quid ſibi volunt Iohannes, impreſsi illi ante fores templi apices elemẽtorum? Nónne ſignificant neminem, niſi ſacratum debere templo appropinquare? Quid illa ſepta pro templo? Nõne vt conſpectus arceant vniuerſorum liberos, ſolisque myſticis pateat ſecretorum cognitio; atque his ſit liber aſpectus, quibus eſt legitimus ingreſſus? Proſpectus excluditis peregrinorum & acceſſus cogitis. Scribitis, vt nullus ingrediatur aduena, nullus peregrinus introeat,& peregrinum ſanguinem intra templũ funditis, aduenarumq; ſimul & ciuium cruore veſtra altaria cumulatis. Teſtificor ego non impreſsionis noſtræ eſſe, ſed veſtræ præuaricationis, quòd violatis quæ veſtra ſunt. Ego alienus non exigo, imò obteſtor, ſi velitis diſcedere, incolume tẽplum futurum: neminem Romanorum

hoſtiles



hoſtiles irrogaturum manus, nihil de veſtris temerandum eſſe ſacrificijs. Seruabo templum vobis & proſelytis: cultus enim ſacrorum diuerſus, ſed operis communis vſus: Quod cultus fuit, à vobis receſsit: quod operis eſt, victorib' remãſit.

## Caput XXXV.

Vbi ne Ioſephus quidem poterat ſuos mouere ad deditionem, Cæſar cum electa manu inuadit vrbem. Aliàs, Aduertit factionis Principes (putabant enim diffidẽtię &c.) in prelij neceſsitatẽ inuit'.

VBi ne his quidem per Ioſephum inſinuatis reuocari Cæſar* aduertit (factionis enim principes putabant diffidentiæ potiùs, quàm pietatis eſſe) tam frequentem deſiſtendi conuentionem, ad prælium neceſsitate, inuitus reuertit, iubet adeſſe Romanos. Sed quia tantæ multitudini anguſtia impedimẽto erat, XXX. electis viris, ſingula deputat bellatorum *millia*. Non enim totum exercitum reciperent tam denſa ædificiorum obſtacula. Ipſe quoque ſimul deſcendere volens, reuocabatur à ſuis, ne in anguſto nocturnis etiam plerunque temporibus, quibus neceſſe erat inſidiantiũ fraudi occurrere, periculi aliquid in ſe excitaret: cùm ampliùs proficeret, ſi ſpectator belli adeſſet, quo vnuſquiſq; prom-

 ptiùs

ptiùs ſibi decernendum arbitraretur, ſub oculis Cæſaris præliaturo. Omnia enim, quæ circa templum gererentur, velut in theatro quodam, ex loco Antoniæ deſuper viſebantur. Inflexus ad eam ſententiam Cæſar, Cereali mandat negotium, vt prętendentibus circa templũ Iudęis, hora noctis nona ſupueniret, cęterosque hortatur ſtudioſe ingruere certamini, ſe quoque dimicantium meritis non defuturum, cùm deſuper aut ignauiæ cuiuſque teſtis, aut virtutis arbiter pugnam examinaret. Cerealis præſcripto tempore impigrè adeſt, ſed cuſtodes vigilantes reperit, prælium conſeritur. Siquidem & intra templum ſiti non dormiebant, & congredientibus qui excubias obibant, facilè ſe cæteri ad bellum pararant. Conferto agmine, inſtabat Romanis: Iudæi, dum clauſtris atque anguſtijs nituntur, ne circumuenirẽtur, percurſabant diuerſa: vt frequentiùs ſibi à ſuis eſſet periculum, dum in tenebris nõ cognoſcerentur, & plerunque transfigerentur à ſocijs, dũ hoſtes putantur. Quis enim nocte diſcerneret, ſocio an hoſti occurre-

Cerealis præficitur exercitui.



occurreret? cùm interrogare ſerum eſſet, cauere vtile, conſultum pręuenire: & tolerabilior culpæ exitus errare in alieno vulnere, quàm proprium eligere periculum, vbi hoſtis timetur. Ancipiti itaque per noctẽ periculo laborabant Iudæi, vel quod inferret hoſtis, vel in quo ſocius erraret. Nec minore per diẽ pernicie affictabantur, nocte plus erat periculi à ſuis: per diem Romanus vehementior aderat, quem totius ſpectator certaminis Titus vel tacitus vrgebat. In horam quintam pugnatum eſt acriter: Iudæis quoque ſtrenuè rebellantibus, vt neutra pars loco cederet.

## Caput XXXVI.

DVm hæc inter ſe prælia gerunt, ſeptem dierum ſpatio depoſitis omnibus, vſque ad fundamenta terræ, quæ caſtro, cui Antoniæ nomen, Herodes immuniuerat, latior facta eſt via, quæ ad templum ducebat: vt non ſolùm percurſandi militibus eſſet facultas, ſed etiam in munimentis conſtituendis, & coaceruandis aggeribus,

quantum

quatum eſſet neceſſarium locorum, pateret, quò pulſarentur etiam templi faſtigiorũ ſumma: per quæ Romanis intẽtiùs immorantibus, cùm intolerabiliùs fame vrgerent, Iudæi cœperũt inſidiari Romanorũ iumẽtis: ſi quis bellatorum equum pabulo laxauerat, aut mulum leuando oneri neceſſarium, rapto auertebant, nec ſolùm cibus eis diſpendio Romanorum, ſed etiam militiæ flagitio *pe- tiebatur. Cuius incuriæ probrum in exordio ſtatim præſcripto necis ſupplicio Cæſar remouit, fraudem tamen peruicacium non compeſcuit. Excluſi enim ab huiuſmodi rapinæ neceſſario eſurientibus alimento, herbarum ſubſidia captantes, deſtruẽdum murum, quem circa pomerium Titus duxerat, excogitauerunt, vt vagandi & quærendi radices arborum, pabulorumque liberior fieret excurſus, quos ad cuiuſdam carceris vicem circuitus muri clauſerat, nec erat iam, quo famẽ leuarent. Obrepunt itaque, & excurſu repentino ad montem Oliueti ingruunt prætendentibus, nec illi commiſſo defuêre muneri, & tubæ claſsico

*Pariebat.


claſsico de cæteris caſtrorum aut turrium munimentis alios accerſerunt ad prælij ſocietatem. Conſeritur pugna acrior in in principio: dùm pudor hos, illos fames vrget ſeuo imperio ac neceſſario: ſed confluẽtibus Romanis repelluntur Iudæi, atque ad vrbis ſuæ muros reflectuntur. Tũc vnus è turba, Pedanius nomine, concito equo dextrã extendit, & ſe paululùm inclinans, vnum de Iudæis fugientem ſuſpendit, captiuum Cęſari ferens, glorioſæque victoriæ victor rapinę: velut lepuſculum aquila, aut accipiter fulicam ante pedes Cæſaris viuẽtem deiecit. Quo delectatus admodũ Titus, laudatum & honoratũ eum dimiſit.

Pedanij fortitudo & audacia

## Caput XXXVII.

IAm circumfuſæ templi ardebant porticus, vbique luctus, vbique mors: foris bellum, intùs ſuprà bellum & incendium. Nec frangebantur animis Iudæi, putabant vindictæ perire, quicquid ſine fraude gererent, vel inſolentia. Quando aliter iam nequibant, prouocabant Romanos ad excidij celeritatem. Ionathes quidem

quidem exiguus corpore, deſpectu dignior, iuxta Iohannis ſepulchrũ laceſſebat Romanos, vt ſecum, qui vellet, manu decerneret. Alijs deſpicientibus puſillitatem hominis, alijs faſtidientibus cum eo decertare, quem continuò captiuum alij habituri forét, alijs conſiderantibus periculoſo certamine rem geri cũ viris, qui in extremis ſalutis non aliqua fortitudine, ſed ſola temeritate vindictã quærerent: nihil laudis futurum, ſi vinceretur excidio finitimus: & plurimum dedecoris, ſi quis lapſu aliquo communem victoriam turparet. Iactabat ſe inſolentiſsimus, & metum obijciebat victoribus: cõuitia ferens, ꝙ non ſuis viribus, ſed alienis auxilijs Romani inniterẽtur: nec Iudæos bello hoſtium, ſed domeſticis afflictos ſeditionibus. Erat in numero militum Romanorum Pudens nomine, qui præſtrictus inanibus contumelijs, dum inconſultè pudori conſulit, ſalutem neglexit, atque ipſa indignatione incautior, vulneri patuit, fuſusq; in terram, incuſsit ſocijs verecundiam: inſultationis quoq; cauſam Ionathę ſimul & mortis reliquit. Nanque is ſucceſſu lętus certaminis, & pompam attollens triumphi, dum tripudiat, atque exultat, cõcuſſoque clypeo ſimul & gladio proludit, excitauit in ſua vulnera Centurionẽ Priſcum, qui ſuperba & tumida iactantẽ non tulit, atque incautum victoria penetrauit ictu ſagittæ. Quo ſtratus Ionathes, docuit in ꝑlio neminẽ irrationabiliter inſultare oportere: vbi victoris & victi cõditio incerta, donec bellũ claudat.

Ionathes ꝓuocat & Romanũ ſibi in monomagiã.

Pudens incautior in certamine ſuccubuit

Priſcus Ionathen interimit.



## Caput XXXVIII.

AT in vrbe interiore, cùm hoſtem intra muros cernerent altiſsimis eminentem aggeribus, vniuerſiſque imminentẽ mœnibus, & tanquàm vulnus in corpore, ita periculũ introrſum pergere reformidarent, intercidunt porticum ſeptentrionalẽ ex ea parte, qua adhærebat Antonię, ne per ipſam hoſtis in tẽpli ſuperiora aſcẽderet, vel in inferioribus ſitos ſuperior vrgeret: & ꝓxima quęque demetũt, ne populantibus incendijs tẽplo finitima, etiã templũ ipſum ignis depaſceretur, atq; interciſa igni exurũt: ita

ita quòd ab hoſte metuebant, priores cœperunt. Solomonis quoq; porticum ad fraudem pararũt, vt culminum interiora replerent pice ac bitumine, quæ infra fornicem ſummi laterent faſtigij, ſimulatoque quòd eam vellent defendere, & frequentes hoſtes inceſſerent, ſollicitant Romanos, atque in ſeſe excitant. Illi admotis ſcalis, ſumma porticus petunt, Iudæi loco paulatim cedere, quò plures Romani aſcenderent. Hi certatim irrepere, tamen prudentiores ſuſpecti dolum cauêre: ſed vulgus intentum victoriæ, præfeſtinare, vbi res fraude carere viſa plurimis, quaſi inter retia locatis, admouetur ignis fornicibus interioribus, atque additis pice & bitumine, atquæ cæteris incendij nutrimentis, in totum diffunditur porticum. Circumuallabant flammæ victores Romanos, vt nec reſiſtendi facultas ſuppeteret, nec fugiendi copia: quod facerent, non reperiebant. Spectabat Titus ſuos periclitantes, indignans quidem, quòd iniuſsi aſcenderant, ſed miſerans, quòd victores perirent. Plerique ſe præcipitio dabant, ſed



ſed vbi incendium euaſerant, fractis cruribus, colliſi corpore moriebantur: miſerius erat, ſi debiles ſuperuiuerent. Volebat ſubuenire Cæſar, nec poterat, hortabatur tamen proximos, clamabat, vt auxilio ſuis eſſent. Has voces, hunc dolorem Cæſaris pro ſupremo illi habebant ſolatio. Hoc erat morituris viatitũ, hoc ſe velut ſublimi ſolantes ſepulchro, ad mortem feſtinabant, quòd in viſceribus Ceſaris reconderētur: nec vita eorũ periret, quorum viueret gloria, qui morerentur pro Ceſare, relinquentes ſui hæreditatem triumphum. Itaque alij circumueniebantur ignibus, alij præueniebantur: nec longè hoſtis, qui flammas fugientem feriret.

## Caput XXXIX.

Longinus alias Longus, maluit proprio perire gladio, q̃ contaminare fortitudinē Romanę indolis

Longinus tamē egregię virtutis vir, cùm prouocaretur à Iudæis, vt ſeſe his cōmitteret promiſſa ſalutis ſecuritate, maluit ſe ſolum transfigere gladio, quàm maculare probro Romanæ indolis fortitudinem. Artorius autem ſatis aſtutè voce magna clamauit Lucium, dicens:

Artorius q & Argori[9] decidens, excipitur, ſeruatur-q; à Lucio q oppreſ-ſus ponde recõtinuò moritur.

cens: Hæres mihi eris, ſi me decidentem exceperis. At ille miſerãdus occurrit ruenti, atque in ſe morituri necem transfudit. Verè bellicum teſtamentum, non atramẽto ſcriptum, ſed ſanguine: nec in charta, ſed in mucrone. Quòd hæredem promiſit, magnum planè ingenium, vt inueniret voluntarium mortis vicariũ. Incenſa eſt itaque porticus vſque ad turrem, quam Iohannes cùm bellum aduerſus Simonem gereret, ædificauerat ſuper portas Regiæ domus, quam Ezechias ſibi Rex ad habitandum condidit, reliquam eius partem ipſi diruerãt Iudæi. Sequenti quoque die à Romanis quoq; exuſta eſt omnis porticus ſeptentrionalis, vſque ad orientalem. Nam cùm ſuis ipſi manus inijcerent ædificijs, docuerunt Romanos illis non parcere. Nuda erat iam templi facies, & ſæua hominũ fames: inſidiabantur ſibi inuicem, quis cui raperet cibum: & vbi alimenti ſuſpicio, ibi bellum, inter domeſticos pugnabatur pro cibo. Necabantur chariſsimi, diſcutiebantur defuncti, ne quis intra amictus eorum cibus lateret. Simulare aliqui



liqui mortuos æſtimabantur, ne viuẽtes aliquid habere alimenti ſuſpectarentur. Sed ne viuentes quidem, aut vitæ fungi munere, aut mortem ſimulare poterant. Verùm aperto ore, ſicut rabidi canes, aurarum captantes ſpiramina, huc atq; illuc circumferebantur inopia duce. Sæpè etiam quaſi ebrij in eadem domicilia regrediebantur, vt iterum quæ vacua reliquerant, perſcrutarentur. Et cùm alia famis ſolatia non reperirent, detrahebant coria ſcutis, vt cibo eſſent ſibi, quæ præſidio nõ eſſent. Mandebãt calceamentũ: nec pudor erat ſolutum pedibus ſuſcipere ore, & lingua lambere. Vetuſtæ quoq; paleæ, quæ olim proiectæ fuerant, non mediocri ſtudio requirebant: & ſi quis repererat, grandi pretio mutuabat.

Coria ſcutorum atque ipſa calceamẽta Iudæis loco cibi erant.

## Caput XL.

QVid adoriar dicere factum Mariæ, quod cuiuſuis barbari atq; impij mens perhorreſcat? Ea erat de locupletib[9] fœminis regionis Peræ, quæ tarns Iordanem iacet, belli horrore oborto, cum cæteris ſe in Hieroſolymitanam

tanam vrbem contulerat, quòd eſſet tu-
tior: eò quoq; ſuas deuexerat opes, quas
Principes factionum certatim inuaſere.
Alimētorum etiam ſi quid pretio quæ-
ſiuerat, de manibus eruebatur. Exagita-
batur à perfidis, dira imprecabatur, vo-
lebat mori, ſed percuſſorem non inueni-
ebat. Malebant inſultare diutiùs, affligē-
re grauiùs, quàm citò perdere. Putabāt;
quàmdiu viueret, prædam fore. Defece-
rant iam omnia, & delicijs aſſueta, aſpe-
riora palearum, vel coriorum dura non
emolliebat. Sęua fames intimis ſe infudit
medullis, exaſperauit humeros, mentem
exagitauit. Habebat mulier infantulum
quem genuerat. Vagitu eius excita, cùm
ſe & paruulum commacerari videret, tā-
tis victa immanitatibus, atq; impar tam
atroci calamitati affectum amiſit: & pie-
tatis genitalis vſu obliterato, dolorem
abſorbuit, furorem aſſumpſit. Conuerſa
itaque ad paruulum iam matrem oblita,
& furens animi, ſic ait: Quid tibi faciam
paruule, quid faciam tibi? Sæua te cir-
cunſtant omnia, bellum, fames, incēdia,
latrones, ruinæ, cui te moritura credam,
aut



aut vitæ tantillum relinquam? Sperauc-
ram, quòd ſi adoleuiſſes, me paſceres ma
trem, aut ſepelires defunctam. Certè ſi
præuenires obitu, quòd ego te pretioſo
tumulo meis manibus includerē. Quid
agam miſera? viuendi tibi ac mihi nul-
lum ſubſidium video. Omnia erepta no-
bis, cui te reſeruabo? aut certè quo con-
dam ſepulchro, ne canibus alitibusúe,
vel feris præda ſis? Omnia, inq̃, erepta no
bis. Potes tamen dulcis meus, & ſic ma-
trem paſcere, idoneæ ad cibum manus
tuæ. O mihi ſuauia viſcera tua, artus iu-
cundi, priuſquàm vos penitùs cōſumat
fames, reddite matri, quod accepiſtis: re-
di fili in illud naturale ſecretum, in quo
domicilio ſumpſiſti ſpiritum, in eo tibi
tumulus defuncto paratur. Ipſa com-
plectar, quem genui, ipſa exoſculabor: et
quod impatientia amoris habet, habeat
vis neceſsitatis, vt ipſa deuorem meos
artus, non ſimulatis ſed impreſsis mor-
ſibus. Ergo eſto cibus mihi, furor latro-
nibus, & vitæ fabula, quæ ſola deeſt cala
mitatibus noſtris. Quid faceres fili, ſi &
tu filium haberes? fecimus, quod pietatis

 fuit

fuit,faciamus quod fames ſuadet.Tua ta
men cauſa melior,&quędã pieatis ſpeci-
es,quia tolerabilius eſt, ꝙ matri dederis
cibũ viſceribus tuis,q̃ ꝙ te mater,aut oc-
cidere poteſt aut deuorare. Hæc dicẽs,a-
uerſo vultu gladiũ demerſit, & in fruſta
filiũ ſecãs igni impoſuit, partẽ comedit,
partẽ operuit, ne qs ſupueniret:ſed ni-
dor incenſi puenit ad principes ſeditio-
nis: cõtinuoq́; odorẽ ſequuti,introierũt
mulieris hoſpitiũ, minantes necẽ,quòd
auſa eſſet ieiunantibus ipſis edere,atque
exortes eos facere cibi, quem reperiſſet.
At illa, partem, inquit,veſtram vobis ſer
uaui, nõ fui auara nec inhumana:nolite
indignari, habetis quod & vos edatis,de
meis vobis viſceribus cibum paraui.Cõ
ſedite ocyùs, menſam apponam, mirari
habetis,& miniſterium meum indicare,
quòd talem nullius inueneritis mulie-
ris affectum,quę vos nec dulcis filij frau
daret gratia. Hæc dicens, ſimul redope-
ruit ambuſta membra,& epulanda obtu,
lit cum adhortatione huiuſmodi ſermo-
nis:Hoc eſt prandium meum,hæc veſtra
portio,videte diligentiùs, ne vos frauda
uerim.

Maria quędã matrona locupletiſsima ꝓpriũ filium coxit,& ſibi vnam, alteram ſeditioſis ſeruauit partem.



uerim. Ecce pueri manus vna, ecce pes
eius vn⁹, ecce dimidiũ reliqui corporis,
& ne alienum puteris,filius eſt meus,ne
alterius opus arbitremini,ego feci, ego
diligenter diuiſi mihi quod manducarẽ,
vobis quod reſeruarem. Nunquã mihi
fuiſti dulcior fili,tibi debeo,quòd adhuc
viuo. Tua ſuauitas animam tenuit meã,
& produxit matri miſeræ diem mortis.
Subueniſti in fame, tu munus ſupremũ
ſenectæ,percuſſorum repreſſor.Venerũt
necaturi, conuiuæ facti ſunt: habebunt
ipſi quod debeant, cũ epulas meas ſum-
pſerint. Sed quid refertis gradum, quid
horreſcitis animo, cur non epulamini
quod mater feci? Poſſunt & vos delecta-
re, quæ matrem exaturarunt. Non eſu-
rio iam, poſtquam me filius meus pauit,
abundè exatiata ſum,famem neſcio:Gu-
ſtate &videte,quia ſuauis filius meus.No
lite fieri molliores matre, infirmiores.
muliere.Aut ſi vos in meo vulnere miſeri
cordes, & non ſuſcipitis hoſtiã meã,atq;
auerſamini holocauſtũ meũ, ego cõſum
mabo ſacrificium meũ, mãducabo quod
reliquũ eſt. Videte ne vobis oppbrio ſit,

 quòd

quòd fortior vobis mulier reperta ſit, quæ abſumeret epulas virorum. Ego quidem tales paraui epulas, ſed vos ſic epulari matrem feciſtis: me tenebat paſſio, ſed vicit neceſsitas.

## Caput XLI.

REpleuit continuò totam vrbē tanti ſceleris nefas, & vnuſquiſq; tanquàm ante oculos poſitum, parricidalis conuiuij miniſterium perhorreſcebat. Cœperunt & ipſi incentores ſeditionis examinare poſt hæc, quos raperent cibos, ne ſimiles eſcas inuenirent, & velut imprudentes ſumerent. Cœperunt vniuerſi timere, ne diu viuerēt, & mori vellent. Peruenit etiam ad Romanos huius facti immanitas. Nam plerique hoc horrore perterriti, ad hoſtem fugerūt. Quo comperto Cæſar, execratus infelicis terræ contagium, manus ad cœlum eleuās, talia proteſtabatur: Ad bellum quidem venimus, ſed non cum hominibus dimicamus, aduerſus omnem rabiem beluarum ac ferarū, quid ſenſibilium loquor? aduerſus omnē rupiū immanitatē decernimus,

Cęſar audiēs immanitatē Marię in filiū in verba hęc prorupit execrāda.



nimus. Diligūt feræ fœtus ſuos, quos etiam in fame nutriunt, & quæ alienis corporibus paſcuntur, à conſimilium ferarum abſtinent cadaueribus. Hoc vltra omnem acerbitatem eſt, vt membra, quę genuit, mater voraret. Mundus ego ab hoc contagio, tibi me abſoluo, quæcunque in cælo poteſtas es: Scis, ſcis profectò, quia intimo affectu pacem frequenter obtuli, & quod non pudet dicere, victor rogaui: quia parcere etiam ipſis tantorum flagitiorum prodigiorumque autoribus volui, parcere populo, vrbem ſeruare: ſed quid facerem repugnantibus, ſed quid facerem aduerſus ſuos furentibus? poſitis plerunque armis, quia illi à ſuorum cædibus non deſinebant, in bellum reuerti, vt liberarem obſeſſos, non perderem: ipſi nos de muris hortati ſæpè ſunt dimicare, ne grauiùs à ſuis perirēt. Quales ſunt ciues, quibus hoſtis remedio eſt? Audieram equidem intolerabilem huius eſſe populi ferocitatem, qui incredibilibus ſe opinionibus in omnē excitat inſolētiam. De cælo ſe genus ducere, ibi primùm induiſſe corporis for-

mam, cœli ſe fuiſſe incolas, deſcendiſſe ad cultus terrarum, de terris ad cœlum redire, tranſiſſe per maria ſicco pede, fugiſſe ante ſe fluctus maris, conuerſa Iordanis fluenta, in ſuum fontē recucurriſſe, ſtetiſſe ſolem vt hi hoſtes ſuos vincerent, ne nox impediret: raptus in cœlum igneis curribus ſuos, prẹliatas pro ſe cœli poteſtates, & abſentibus his vniuerſas hoſtium fuſas copias, dormientibus partam victoriam. Hęc compereram, ſed putabam quòd diuina circa ſe iactarent beneficia, non vſquequaque audaciam ẹxtenderent, vt ſe nec à Romanis vinci poſſe arbitrarentur. Agnoſco itaque cū his nobis eſſe prælium, qui ſe inſuperabiles credant, cùm ſe iactitent diluuij ſuperſtites, hæredes fluminum, terrarum hoſpites, viatores æquoreos, aſcenſores ẹthereos, quib⁹ vnda murus eſt, aer via, cœlum habitatio, cedunt flammæ, nec vincula tenent. Sitientibus petra ſoluitur, ac ſeſe fundit in potus. Eſurientibus cœlum aperitur, cibus mittitur, carne volatilium caſtra implentur, & panem angelorū manducat homo. Stringuntur liquentia,


liquentia, amara dulceſcunt, ſol ſtatuit, tenebrẹ illuminant. Poſtremò quid ampliùs poteſt eſſe, quando hìc audacia deeſſe poteſt? Qui, vt aiunt, mortui viuūt, & ſepulti reſuſcitant. Aduerſus diuina quoq; conſpiraſſe homines opinio frequēs, & pœna indicio eſt. Ardent hodie quoq; terræ propter incolarū impietatē: plerosq; etiam ex iſtis hiatus ſoli abſorbuit. Quàmdiu igitur in his locis morabimur? vbi & terrarū ruina eſt: vidimus & mare mortuū, vidimus etiam mortua terrarū naſcentia, humum aridā, virentium fructuū vmbras inanes, foris gratiā, intùs fauillam. Quis dubitare poteſt, quin apud inferos verſemur, apud quos etiā elemēta moriunt? Ipſa quinetiā, quę poſt mortē viuere ſolet, apud quos naturæ pietas mortua, & ſupſtes defunctis religio? Quis enim parentes non etiā mortuos diligat? quis enim amiſſos filios nō amet, & loco pignorū teneat? Manet affectus, etſi pignus obierit, pſeuerat nomē naturæ, gratia non intercidit. Apud hos verò nec viuētē mater recognoſcit filiū, nec appellātē audit, nec vagiētis miſeret: &

& propter vnius horæ execrabilẽ cibum parricidales iniecit pignori manus. Sed quid quaſi nouum arguo, cùm parricidio fraterno generis ſui numerent exordia? cùm ipſius Abrahę, quem appellant patrem, & diſciplinæ autorẽ, ac ſui Principem cultus, in eo maximè fidem prędicent, quòd nec filio parcendum putauerit, eumque ſicut hoſtiam aris admouerit, atque holocauſtum offerre non dubitauerit. Non condemno deuotionem, ſed quæro pietatem: Alium quoq; è ſuis vouiſſe, aiunt, victorem, vt quicquid ſibi primùm occurriſſet domum reuertenti, immolaret Deo ſuo: & cùm rediret, occurriſſe filiam, atque illum iniecisse filię manus, multaque alia huiuſmodi exempla. Qualis iſta gens, quæ religioni tribuat hominis necẽ, & ſacrificium putet eſſe parricidium? Quis Deus poſsit hoc exigere, aut qualis Sacerdos, qui hoc poſsit deferre? Denique veterem illum quaſi prudentiorem non feciſſe aiunt, ſed voluiſſe iſtum quaſi conſultiorẽ perſeueraſſe. Habeant ſuos ritus duritatum homines, apud quos diſciplina eſt filios occidere,



occidere. Infelix ciuitas, in qua talis officina, tale myſterium eſt. Operiant eam ruinæ ſuæ, atque abſcondant inuidi ipſi contagionem, ne ſol videat, ne ſtellarum globus ſpectet, ne maculentur aurarum ſpiramina, purgatorius quoque ille exuret ignis. Thyeſteas dapes fabulam putamus, flagitium videmus, veritatem cernimus atrociorem tragœdijs. Ibi enim firmior ſexus & partus alienus, hîc mulier, cui partus proprius fuerit cibus. Ibi aliena fraus, hîc propria volũtas. Ille doluit, hæc inſultauit digna talibus viris eſca, qui pertinaciter bellando mulieres ſuas ad tale perduxerunt conuiuium. Equidem eos tantis malorum afflictos acerbitatibus iam furere arbitror, amentesq; factos, qui hæc non ſentiant. Quare maturiùs bellum conficiamus, quia emendari nõ queunt: ingruamus inſtantiùs, vt fugiamus regionum iſtarum morientes aquas, terras ruentes.

## Caput XLII.

His dictis admoueri templo arietes iubet, ſed nihil validi ictus profi-

cie-

ciebant. Plerique tamen territi de ipſis ſeditionum Principibus, confugêre ad Cæſarem, quos Titus tanquàm neceſſitate compulſos, non quaſi promiſſum ſecutos dubitauit ſuſcipere, ſed fides temperauit iracundiam. Non eò loci tamen habuit, quò perfugas ſuperiores, intentiusque ſuos vrgere cœpit, vt vniuerſi hoſtium diſcederent perculſi metu: Sed vbi parietes inoffenſos ab ictu arietum mole ſua viderunt permanere, aluerunt audaciam: ingenio tamen Cæſar præueniens, ianuas argento opertas ſuccendi iuſsit, quibus igne admoto argentũ defluere cœpit: deinde paulatim etiam lignum ardere: Sic in porticum interiorẽ aditus pateſcere. Sed miſeratus Cæſar, ne finitimis interioris veſtibuli porticibus comprehenſis, templum exureretur, ad conſilium vocauit Duces exercitus, dicens: non cum inſenſibilibus ſibi certamen eſſe, nec bellum cum ædificijs, quæ victoribus proficerent, ſi inexuſta reſeruarentur: Duces tamen aſſerebant valitudinem parietum & munitionem templi, Iudæis in reliquum quoque incentiuo

Ianuas tẽpli auro incruſtatas incẽdi iubet Cæſar.


tiuo futura, quibus eſſet grata inſolentia radices rebellionis eruẽdas funditùs, ne iterum temeritas recrudeſceret. Diſtulit tamen Cæſar conſilij tractatum in poſterum diem, verùm Iudæi ſe infundendos putarunt: ſed Romani conſertis clypeis, quàmuis pauciores, primum impetum ſuſtinuêre. Nutabat tamen acies concurſu innumerabilis multitudinis. Vnde Cæſar cum quitibus properè affuit, proterens facilè, quos reperiſſet, atque hoſtile agmẽ reflexit, eo fretus, quia iam pateret veſtibulorum portio. Maiore ſuorum manu ſequente die diſpoſuit in hoſtem irrumpere, templum ſuccendere. Quod factum eripuiſſet vrbem incendio, niſi læua mens populi flammas in ſe hoſtium prouocaſſet. Iubet enim Cæſar reſtingui ignium globos, ne irrupturis impedimento forent. Quod vidẽtes Iudæi, dum inſidiantur volẽtibus incendia tẽpli reſtinguere, cæſis aliquibus, hoſtẽ accenderãt: vnus de Rom. ſemiuſtã nact' materiẽ, quæ de faſtigio deciderat, adulto igne portæ admouit, q̃ aurea nuncupabat, ꝙ auro veſtitas habebat fores. Lique-

Liquefactus ilicò flammis auri rigor lignum nudauit, quod velut intecto latere patuit incendio. Exuſtis itaq; valuis, in interiora ſe tẽpli penetralia inſeruit ignis. Iamque portæ eius veſtibula lucebant. Turbati omnes, qui ſe templi munimine defenſabant, trepidare ilico, & quædam iam inclinatio mentium erat, illum diem eſſe templo excidialem, quia in ipſo die quondam Babylonijs ingruentibus fuerat incenſum, quia erat decimus dies *Ioma menſis, quem iamdudum inter funeſtos annumerabãt. In ſuperiora quoque ſe aurarum ſpiramine ignis attollens, victoribus lætitiam, victis tanta labe dolorem dignum infudit. Clamor quoque vniuerſorum exortus, nec multò pòſt nuntius hoſtilis excidiũ Cæſari manifeſtum reddidit: qui ſe proripiens quanta poterat voce, reſtingui ignes iubebat. Sed neque per tumultum audiendi facultas erat, neque parcendi voluntas, cùm Romani milites vindictæ ſtudio feruerent, notaq; pietas Cæſaris, inobedientię metum ſuis demeret, nulli fraudi ſuis futurum, cùm etiam hoſtibus ignoſceretur.

Decimo die menſis Auguſti, q erat Iudęis fatalis; templum ſuccęſum eſt.



Nutu tamen & manu Titus reuocabat, quos poterat, mandabat aliquibus inhiberent impetus militum. Sed ira duce adolebat incẽdium, hoſtem vrgebant deſperatione ſalutis, iam ſui prodigum, & totum ſe expendentem periculis. Vulgus maximè ignobile feriebatur, vbicunq; occurrerat, quia nullis munitum armis, nec repellendo vulneri, nec retorquendo idoneum erat.

## Caput XLIII.

FAtigatus itaque clamoribus Cæſar, gradum retulit, cùm flamma adhuc conclauia templi depaſcebatur. Quibus deuſtis, in ipſam ædem ſe furens intulit. Qua ſpecie plerique exanimati: alij ſe in ipſos miſere ignes, quorum oculi ferre non poterant, vt ſuperſtites templo reſeruarentur. Rurſus cucurrit Titus, cuiuſmodi ædes eſſet, circunſpectare. Cuius gratia motus, præcellentiorem omnium templorum fuiſſe operibus fatebatur. Mirabatur ſaxorum magnitudinẽ, metalli nitorem, venuſtatem operis, gratiam pulchritudinis. Nec immeritò tantam

Cęſar omnibus locis templi circumſpectatis, laudauit mirũ in medum.

tam fuiſſe loci celebritatem pronuntia-
bat, vt eò ex locis omnibus conuenire-
tur, quia tantum non niſi ſummi Dei cre
deretur eſſe domiciliũ. Adiungebat ho-
nos fidem religionis, quo etiam barba-
rorum gentes templum illud venerabã-
tur: & inferebant munera prædones re-
ligionis, quæ tamẽ tunc diripiebant ſui,
& diſperdebant latrones, irruentes in
omnia quæ depoſita viduarum fuerant,
vel pupillorum, tanquam de victoribus
vindicarentur, ſi quid ex præda Roma-
nis minueretur. Templum quoque ar-
dere conſpicientes, ipſi incendebant cæ-
tera, ne quod excidio templi ſuperſtes
eſſet ædificium: religioni deputantes, ſi
omnia cum templo perirent. Nec adhuc
tamen Iudęi perfidiam deponebant, quę
cauſa maioris excidij fuit. Nam cùm ani
mi multorum inflecterentur, vt ſe, fra-
cto agmine, Romanis traderent, Pſeudo
propheta quidam iactare cœpit in ex-
ceſſu mentis ſuæ, templo diuina præſi-
dia non defutura, vocare populum ad ſe
velut quodam oraculo, adhuc ſe in tem-
plo ſuo manere: ilicò repulſurũ hoſtium





cuneos, flammarum incendia. Sic miſeri
dum infeliciter falſis circumuẽtionibus
credũt, dedecores atq; inulti ſicut peco-
ra trucidabantur. Qui ſi voluiſſent cre-
dere, euidentia imminentis ſigna excidij
habebant: quibus veluti claris vocibus
admonebantur, finem ſibi affore.

## Caput XLIIII.

NAm per annum fermè ſupra tem-
plum ipſum Cometes, paſsim ig-
nis gladij quandam præferens ſimilitu-
dinem, denũtiabat quoque ferro & igni
gentis & regni vrbisq; ipſius vaſtitatem
futuram. Quid enim ſimilitudo gladij,
niſi bellum? Quid ignis, niſi incendium
denuntiaret? Viſus eſt autem, priuſquã
populus à Romanis ſeſe diſſociaret: ipſis
autem Paſchæ diebus Xantici menſis o-
ctauo die, & per ſingulas noctes hora cir
citer nona, templum & ara eius ita lumi
ne refulgebat, quaſi dies eſſet, per dimi-
dium fermè horæ quotidiè manens:
quod vulgò interpretabatur, cumulan-
dæ gentis indicium videri, eoq; impulſi
ſunt, tanquàm tempus afforet libertatis

Cometes ante euerſionem vrbis ferè ꝑ annum viſus fuit.

recipiendæ. Prudentiores contrà opinabantur, quòd id genus ſtellæ bellum ſoleat denũtiare, ne quiſquam arbitretur aliena nos à cultu noſtro, & diſciplina locutos. Primùm, quia non quod nobis videatur, aſtruimus, ſed quid acciderit, quæue opiniones tũc temporis fuerint, quid prudentes ſenſerint, quid imprudentes. Neque cùm de ſecta Iudæorum aliquid dictum eſt, ita ſcriptum videatur à nobis, quaſi in veritate cultus eorum, non quaſi in vmbra & figura præmiſſos contexeremus, vt ſequerentur perfectiora. Nam de ſignis ſtellarum etiam in Euangelio docemur, quia erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis. Vitulæ quoque partu aſſeruerunt, cùm immolanda aſtaret altaribus, in medio templi agnum editum, in ipſis ſacrorum (quæ ſuprà memorauimus) celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem ſolido ære grauem, quæ ſoleret ad veſperam viginti virorum multo claudi labore, obſeratam vectibus ferreis, per aliquot noctes ſpontè reſeratam, & vix poſteà à cuſtodibus clauſam. Id quoque arbitrabantur plerique

Vitula immolanda ante aras edidit agnum.

Porta ænea vrbis ꝑ aliquot noctes ſpõte ꝓpria reſerata.



plerique futurorum ſigna bonorum, quibus ingreſſuris porta aperiretur. Cõſultiores autem aiebant cuſtodiam templi reſolutam videri, vt quæcunque intùs forent, ab hoſtibus diriperentur: exiret cultus, introiret vaſtitas, euacuaretur celebritas, ſacrificiũ deſtrueretur. Quod etiam antequàm crucifixiſſent Chriſtũ Ieſum liquidò ſignificatum lectio docet. Poſt multos quoque dies, figura quædã apparuit inæſtimabilis magnitudinis, quam plurimi circumſpexêre, ſicut libri Iudæorum manifeſtarunt: & ante Solis occaſum ſubitò viſi in nubibus currus, & acies armatæ, quibus totius Iudeæ regionisque eius vrbes incurſarentur. In ipſa autem Pentecoſtes ſolennitate, qui ingredientes Sacerdotes in templi interiora nocturno tempore, vt ſacrificia aſſueta celebrarent, primò motum quendam ſenſiſſe ſe prodiderunt, & ſonum editum, poſteà etiam audiſſe repentina voce clamatum: Tranſeamus hinc. Ieſus quoque Ananiæ filius ruricola vir, ante annos quatuor quàm bellum Iudæorum populus adoriretur, in ſumma pace

Currus & acies armatę in nubibus viſę.

Voces auditę à Sacerdotib⁹ in tẽplo: Tranſeamus hinc.

 vrbis

vrbis & abundantia, cùm ſcenopegia ſacrificijs ſolennibus celebrarentur, templum aſcendens, cœpit clamare: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox ſuper Hieroſolymam & ſuper templum, vox ſuper ſponſos & ſponſas, vox ſuper omnem populum: hoc noctibus & diebus vociferabatur. Quo moti Primores loci, corripuerunt eum, terribile vocis eius indicium perhorreſcentes, & plurimis eum ſupplicijs affecêre, quo ſaltem afflictus dolore, deſineret terribilia & plena prodigijs denuntiare. At ille nec metu vllo, nec verberibus aut grauioribus interminationibus territus, vſum aut vocem mutauit, eadem denuntiationis perſeuerãtia & contextione ſermonum, nulla obſecrationis interpolatione in ijſdem manebat, iniuriæ negligens, affectu immobilis. Quod nequaquàm perfunctorium rati, ſed in exceſſu mentis, vt erat, exprimi, detulerunt ad loci iudicem, qui tunc tẽporis à Romanis per id locorum, publica agitabat negotia. Is rimandæ veritatis gratia, ſæuiſsimis cum pœnis exulcerauit:

Cuiuſdã agricolę cõtinuus clamor.



cerauit: quò magis perſeueraret, eò vehementiùs corripi flagellis hominem iubens, vt ſi qua ſecretiora futuri tumultus comperiſſet indicia, manifeſtaret. At ille neque fleuit, neque rogauit, ſed ad ſingula verbera nõ ſuum, ſed patriæ excidium flebiliter plorabat, dicens: Væ Hieroſolymis. Neq; interrogatus, quis eſſet, vel vnde, vel cur eadem diceret, reſponſum reddidit: ſed tantummodò lamentationem illam patriæ, queſtu miſerabili proſequebatur. Defeſſus itaque Albinus, hoc enim nomen viro, dimiſit eum, tanquàm dementi furore, quid diceret, non ſentientem. At ille neque ſermonem vllum cum quoquam habebat, nec aliud loqui per reliquum tempus auditus eſt, ſed hoc tanquã lugubre atq; funereũ canticũ canens, diebus ac noctibus iugiter reſultabat: Vę Hieroſolymis. Neque verberanti conuiciabatur, neque cibum impertienti gratias agebat. Vna erat ad omnes, eademq; plena funebris vlulatus reſponſio, & maximè ſacrificiorum celebritatibus. Per ſeptem itaq; annos & quinq; mẽſes eadẽ verborũ ſeries,

idem vocis ſonus manſit. Itaque indefeſſus tanto tempore, vbi obſidio cœpit, eadem illa vociferari deſtitit, quaſi ceſſare oporteret denuntiari, cùm adeſſent, quæ fuerant denuntiata. Sed vbi flamma cœpit pariter vrbem & templum inuoluere, circumiens murum, clamare iterũ cœpit: Væ ciuitati, populo & templo. Et ad poſtremum addidit: Væ etiam mihi: & fundibulo ictus, in eadem voce amiſit ſpiritum. Vrbem quoque ipſam cum tẽplo, vetuſtis literis ſcriptum erat, tunc perituram, cùm tetragonum templum factum fuiſſet. Itaque ſiue obliti, ſiue obſtupefacti ingruentium malorum neceſſitate, vbi occupata eſt Antonia tetragonum circuitum templi fecerunt. Inter quæ illud præcellentiſsimum, quod in literis æquè vetuſtis, quas ſacras vocabant, manebat impreſſum, quòd ſecundum illud tempus futurus eſſet vir, qui de regione eorum imperium aſſumeret in orbem terrarum. Quæ res eos in tanto furore poſuit, vt ſibi non ſolùm libertatem, ſed etiam regnum pollicerentur. Id alij ad Veſpaſianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Ieſum, qui eorum in terris ſecundum carnem genitus ex Maria regnum ſuum per vniuerſa terrarum ſpatia diffudit. Tantis itaque rebus aduenientibus, non potuerunt capere, quod diuinitùs decernebatur.

*Iudæi occæcati præſagia delectionis non intellexerunt.*



## Caput XLV.

*Rom. incẽſo tẽplo, fugatisq; ſeditioſis, Imperatorem Titũ ſummis vocib⁹ declarant.*

FVgientibus itaque autoribus ſeditionum, cùm templum exureretur, Romani poſuerũt ſigna intra circitum templi ipſius, & contra portam Orientalem ſacrificauerunt, Imperatorem Titũ ſummis prædicantes vocibus. Intereà puer quidam eò loci, vbi etiam Sacerdotes erant, quos & inopia aquæ, & æſtus finitimi incendij commacerabat ſiti, rogauit vnum de cuſtodibus Romanis dexteram ſibi dare, potũ offerre. Porrexit ilico, ætatem pariter miſeratus ac neceſſitatem, bibit puerulus: & quia ſedulò innoxiæ creditum fuerat ætati, rapuit aquæ vas, & curſu ſeſe proripuit, vt etiam Sacerdotibus bibendi copiam miniſtraret. Voluit ſequi miles, ſed non potuit

*De reuerẽtia pueri erga Sacerdotes, quos Cæſar occidi iuſsit.*

comprehendere. Ille periculo ſuo Sacerdotum ſitim leuauit. Bona fraus, quæ neminem læderet, ſubueniret neceſsitati. Denique miles ipſe miratus eſt magis affectum pueri, quàm dolum deteſtatus, quòd in illa ætate atq; excidio totius vrbis, & communi periculo, quid deberetur reuerentię Sacerdotibus, quod potuit miniſterium, non inexpreſſum reliquit. Nec multò pòſt Sacerdotes confecti fame & ſiti, vitam rogarunt. Quos Titus iuſsit occidi, degeneris animi eſſe reſpondens, vt templo & muneri cuperent ſuperuiuere.

## Caput XLVI.

Sermo Titi ad ſeditioſos, quo multis modis totũ penè orbem ſubiectũ Roma. imperio oſtẽdit.

Iohanni autem & Simoni, & cæteris Principibus ſeditionum rogantibus, vt pauliſper ceſſare iacula telorum & ſtrepitum iuberet, dicendique ſibi poteſtatem daret, ab indulgentia non abhorreret: facto ſilentio ita reſponſum edidit: Serum nequiſsimi tempus ad miſericordiam, cùm iam, quid reſeruetur, nihil relictum ſit. Offerebam vobis, & deſpexiſtis, & diffidentiam putaſtis, non indul-



indulgentiam. At ego innoxia ædificia veſtro ſcelere perire ingemiſcebam, vulgus ignobile cogi ad mortem dolebam: parcere volebam, vos non ſinebatis: ſuſpendebam prȩlia, vos irruebatis: pacem offerebam, vos non recepiſtis. Alloquebar frequenter, crebrò conueniebam. Non pudet dicere, inſolentiores vos feci rogando. Quid putabatis, quòd Romanæ acies vobis cederent, & multitudine circumueniretis victorem, victorem omnium exercituum? Quota portio vrbis pugnauit, quia vniuerſum nec regio veſtra ſuſtinere poterat, nec ſinebat neceſsitas. Maior enim cura tuẽdi nobis orbis, quàm propugnandi. Quòcunque eamus nihil eſt nouum, nihil eſt alienum, quibus omnis terra poſſeſsio eſt. Latrocinium hoc, quaſi neuũ in corpore diu diſsimulandũ putauimus, aliquando cõmoti auferendũ credidimus, ne fulgorẽ imperij Romani veſtra inobedientia & quædã interpolaret caligo: Senſiſtis Romanã virtutẽ non bellãdo, ſed moriẽdo. Neq; enim in campo veſtra vidimus agmina, ſed in muro, cũ vobis nec clauſtra prodeſſent

prodeſſent ad tutamentum ſalutis. Quis enim murus reſiſteret, quibus Oceanus non reſtitit? Aut quæ ciuitas noſtræ obſidioni inexpugnabilis foret ſepta præſidio murorum, cùm Britannias quoque Romana arma penetrauerint, muroſ fremen tis circumuallatas elemẽti? Subſtratus eſt nobis ille præruptus aquæ mons. Patres veſtros, vt Iudaicæ fabulæ ferunt, rubri maris vnda, muri ſpecie tranſeuntes, circumuallauerit: Romana fortitudo murum Oceani perfregit. Non inuideo vobis aliena beneficia. * Viditvos mare & fugerit, vt clauſi ab hoſte effugeritis, quia perrumpere hoſtem non poteratis, nec ſuſtinere. Nobis fuga Oceani damno fuiſſet, ſi fugiſſet. Geſſimus antè bellum cum fluctibus, inſanum mare antè ſuperauimus, quàm ad hoſtem perueniremus. Excepit nos Britannia, iam victores elementorum. Quibus illi fidebant, nos ſubegimus, vt ad triumphi cumulum ipſe Oceanus accederet. Sed fortè de virtute corporis præſumebatis. Nunquid vos Germanis fortiores, quos ſeptos Alpium muro, fortitudo Romana in

Aliâs, viderit. Aliàs, effugeretis.



in ſeruitutem deduxit? Nec illa ſimilia Tauri montis accliuis collibus, aut Canopeis agminibus Aegyptiorum, cum quibus vobis bellandi vſus eſt. Supra nubes aſcendimus, & de nube deſcendentes populos vicimus, aerium cunctis aperuimus iter, æquoreum vobis non inuidemus, dummodò illud triumphantium fuerit, hoc fugientium. Romanæ itaque virtuti concederunt fontes, amnes exaruerunt, amiſſo curſu, quem natura direxerat, & inflexo quò victores iubebāt. Conuerſus ſit Iordanis veſter, vt dicitis, atq; in fontem reuertit, vt vobis iter panderet, non eo Cloelia Romana virgo eguit, quæ ruptis vinculis hoſtem euaſit, & fluuio decurrens, Romanis ſe intulit caſtris. Nec incendia veſtra miramur, de quibus Hebræos pueros euaſiſſe, maximos edere cantus ſoletis. Mucius noſter nullo cogente, manum admouit ignibus, nec remouit, donec victor incendij, miraculum hoſtibus ſuæ infunderet fortitudinis, quæ flammas non ſenſerit. Denique pacem rogarunt, qui triumphum ſperabant. An verò cœleſtia illa

Cloelia Romana virgo.

Mucij Romani animus.

illa vos extulêre pabula, & eſca pluuiarum aduerſus virtutem Romanam? Sed conſiderare decuit altricem ipſam orbis terrarum Africam eſſe ſubiectam Romanæ fortitudini. Nobis ſeruit, quæ omnes alit: in noſtra poteſtate eſt fames omnium, & victus vniuerſorum. Quod natura omnibus dedit, virtus Romana iuſ ſuum fecit. Ipſum Annibalem perculit, in exiliumque coegit, quem non capiebat orbis terrarum. Anguſtior ciuibus Africa fuit. Non idoneæ ad demorandum viſæ Hiſpaniæ, arcta vianti Gallia, indigna Italia amicitiæ fœdere, & ſocietatis conſortio. Iactetis liceat, quòd flumina militauerint vobis, cœleſtes poteſtates pugnauerint: Nos Annibalem inequitantem fluminibus vicimus, atque intonantem vndis. Ipſius tempeſtatibus quatiebatur mundus. Et ille muros noſtros armis pulſabat. Neque verò neceſſarium fuit, vt hoſtes noſtri, ſicut Aſſyrij veſtri, dormientes extinguerentur, ſed præliantes. Nõ enim in ſomnis victoria quæritur, ſed in prælio: non virtutis adorea eſt, vbi fortuita gratia. Hoſtes noſtri nõ

aquarum



aquarum rutilo decepti renitentium ad ſolis exortum in manus noſtras inconſultiùs inciderunt, dum fuſi ſanguinis ſpecie, nos extinctos putauerunt: ſed ſcientes & ad bellum parati, campos terrarum corporibus ſuis texêre, ac proprio ſanguine repleuerunt. Quæ vos fortitudo in tanta poſuit inſolentia? Non videbatis eos ſeruire nobis, qui vobis imperitarunt? Aegyptus, quæ vos affligere ſolebat, nobis annuum pendet tributum, & viam præbet vſque ad Indicos tractus, extra orbem terrarum egredi, atque alterum orbem quærere: maris ſecreta, Solis Oceanique vltima, & alterius orbis incolas noſtro imperio adiungere. Quid Antiochi regnum, qui vos grauibus ſuppplicijs affecit? Ius quoque ipſum ereptum religionis, nos ipſi vobis refudimus, glorioſius arbitrantes imperare Regibus, quàm regnũ tollere. Ipſa auferre Antiochia ſedes Dominorum veſtrorũ, nõ ſtudioſe ſuos repudiauit, & nos Dominos elegit. Vos ipſi nõne ad nos cõfugiſtis, vt illos Dominos fugeretis? Nõ ipſi vos ſuſcepim', & ad-

& ad-

& aduerſum illos defendimus? Seruiuimus vobis, vt veſtris legibus viueretis: dedimus poteſtatē veſtris inſeruire cultibus. Sacra veſtra ſcire noluimus, ſed honorauimus. Poſteà rebellandum putaſtis. Pompeius templum cepit, ſed non diruit: vrbem occupauit, ſed integra omnia reſeruauit donaria. Pro quib⁹ ô grati ſocij, hanc vicem nobis rependiſtis, vt tertiò rebellaretis. Fuerit Nero deſpiciendus, ſed non in vno Romana virtus ex pendebatur: ſed habebat militem Veſpaſianum, qui iam ad pacem reuocauerat Gallias: tam fortis in prælio, vt per illū & Nero vinceret, per illū Nero eſſet hoſtibus formidabilis: tam fidelis domino principi, vt ſolus imperium non quæreret, quod ſolus merebatur. Sed Ceſtius læſerat: querelam deferri decuit, non arma irrogari. Miſſus pater Veſpaſianus, qui improuiſus potuit in imparatos ſe effundere: Galilæam circumibat, longin qua exurebat, vt vos deponeretis inſolētiam, veniam poſtularetis. Oſtendit virtutem, & cū vniuerſos clauſos teneret, Aegyptum petijt, vt inducias reſipiſcendi daret.

Pompeius templū cepit.

Ingrati quidam.



di daret. Inſolentiores vos noſtra abſentia fecit, quia nos occupatos putaſtis. Sed nunquàm ita occupati ſumus, vt abſentes ſimus orbi terrarum. Nam & abſentes aſſumus, & longè poſitis propiùs aſſiſtimus. Nanque vt anima in corpore omnia membra viuificat ſua, ſic Romana prouidentia omnibus imperij ſui partibus adeſt, & totum orbem Romanum, tanquam præſens gubernat. Nam ſi ſingulis animis illa vis diuina regendi corporis virtutem dedit, quantò magis Romano vigore, quo quaſi vnum totius imperij noſtri corpus animatur, tuendi eius vitalem quandam ſubſtantiā ſubminiſtrauit? Suſpenſum itaque bellū vos reparaſtis. Profecturus itaque pater ad vrbem Romam, à tyrannis recipiendam, me à ſua diuiſit ſocietate, ne vobis ſuæ pietatis executor deeſſet. Veni ad bellum ſpecie terrentis, affectu rogantis. Quoties à mœnibus veſtris vocaui exercitū? Quoties poſteà à penetralibus templi retraxi? Quoties reſtrinxi incendia? Quoties monui? Sed nunquàm audiſtis. Nunc me demū rogatis, quaſi iam quic-

quam ſuperſit, quale conſumptum eſt, & tamen à cęde, incendio, direptione eximi militem? Quid deſideratis? quid adhuc ſtatis armati? quaſi daturi leges, nō accepturi? Si deditionem petitis, deponite arma, iam non metuenda victoribus, ſed ſuperba victis, & plena inſolentiæ: vt armati rogetis, quaſi de fide noſtra dubitandum vobis ſit, aut adhuc virtutem laceſsitis, bellum minantes? Populus extinctus eſt, templum ardet, vrbem tenemus. Quid reliqui ſperatis, niſi vt vita vobis donetur? Proinde ponite arma quaſi victi, viuere vobis donabo, etſi non meremini, quia noluiſtis quæ veſtra ſunt vobis conſeruare. Tunc illi petere cœperunt, vt ſibi obſtrictis ſacramento, ne vnquàm ſe Romanis traderent, egrediendi per murum poteſtatem daret, quò cum ſuis familijs in deſertum pergerent, vrbem Romanis cedentes. Eo commotior Titus, etiámne, inquit, conditiones nobis imperatis? Quin potiùs defenſate patriam, adeſtote templo, omni virtute inſurgite, ſeruate ſacramētum mortis, quando vitæ repudiaſtis. Et ſimul iubet inſurgere Romanos in necem hoſtium. Plurimi cœpêre grauiore victorum indignatione labefactari: tradiderunt ſe tamen Zaræ Regis filij, & fratres eius, & plurimi cum ipſis de plebe. Nec Titus, quamuis excitatus ad iracundiam, propoſitum ſuum ſoluit contuitu regalis faſtigij, ſed recepit con fugientes: ſolius tamen pietatis (quod maximum eſt) lucrum fecit. Nam prædam omnem domus regiæ, ſeditionis autores diripuêre, vt nihil ex ea ad Romanos perueniret.

Peruicax ſeditioſorū reſponſio, qua Titus cōmotior reddit' ſeuerè obiurgat.



## Caput XLVII.

SImul autem vt facto impetu, in aulam irruêre, duos de Romanis militibus inuadentes, vnum pedeſtri militiæ virum trucidauerunt: eques verò popoſcit ſe ad Simonem duci, allegans ſe habere, q̄ memorato inſinuaret Principi ſeditionum. Sed perductus ad eum, cùm vana quædam attexeret, perimi iuſſus: dum percuſſor moratur, clauſis iam faſciola oculis, ſeſe proripuit ad Romanos. Qui cominùs præliantes, ſuſce-

ſuſcepêre fugientem, perductumque ad ſeſe Titus quaſi indignũ videri morte, qui ab hoſte viuus potuerit capi, exutũ armis iuſsit dimitti: reſeruans ei quod p hoſtis ignauiam non amiſerat, & auferens militiæ ſacramentum, quod captus prodidit, fugitiuus dehoneſtauit: Id illi maiori ſupplicio fuit: apud viros enim grauiora militiæ probra, quàm mortis vulnera ſunt. Repulſi tamen illicò Iudęi, ad ſuperiora vrbis ſe contulêre, relicta tẽpli, & vrbis defẽſione. Strages magna in eos qui reſederunt exercebatur, ſeminecibus aut cadaueribus repletæ viæ. Iuſsit Cæſar etiam ad ſuperiora admoueri machinas: quod videntes Idumęi, elegerũt viros, quos ad Titum mitterent, qui deditionem rogarent. Eo cognitò, Simõ præuenit, & electis quidem petendæ deditionis viros intercepit. Sed Idumæi nõ multò pòſt, quãuis deſtituti adiumẽto principum, cùm ſuſtinere diutiùs vim nequirent, tradiderunt ſe exercitui Romano. Ita primùm fames, & ad poſtremum deſperatio reſiſtendi deditionem patrauit. Nec Romani multa cæde iam feſsi abnuebant

Omnes viç plenç cadaueribus.



nuebant vitæ indulgentiam, & ſtudio captiua mancipia vendendi promptiores erant ad reſeruandam ſalutem. Plurimi venales, ſed pauci emptores: quia Romani habere in ſeruitutem Iudæos dedignabantur, nec Iudæi ſupererant, qui redimerent ſuos, cùm ſe euaſiſſe vnuſquiſque vel inopem gratularetur. Paſsim itaque ſe tradebant remoto metu, quoniã latrones aberant, Romani ignoſcebant.

Plurimi Iudæorum venales, pauci emptores.

## Caput XLVIII.

Denique & Ieſus vnus ex ſacerdotibus, Thebuti filius ſe dedidit, & vaſa ſacerdotalium miniſteriorum, lucernas duas, mẽſas, crateras, phialas, & omnia vaſa aurea: ſed & peripetaſmata, & indumenta principum ſacerdotij, cum lapidibus, accepta fide ſalutis, volens tradidit. Cõprehenſus etiam Phinees cuſtos gazophylacij demonſtrauit ſacerdotum purpuram multam, & coccum, & alia cõplura, quæ ad vſum reſeruabantur. Cũ quibus cinnamomum & caſiam & aromata plurima, & thymiamata, vaſa quoque ſacramentorum multa: etiam ipſe tradidit

Ieſ' offert Tito vaſa miniſteriorum.

Phinees cuſtos gazophilacij cõprehenditur.

tradidit & veſtem ſacratam, ſed coactus metu, vnde & veniabile apud ſuos flagitium fuit: tamẽ etſi voluntas defuit, deeſſe virtus non debuit: Licet plerunque ſeueriùs iudicemus, quàm præcauere poſsimus, ſi ipſi in tali verſemur neceſſitate: refugere tamen debemus furti miniſterium, & iudicium proditionis.

## Caput XLIX.

IAmque inſurrexerant aggeres, & ferire cœperant arietes murum ſuperiorem ſeptima die menſis, quem Gorpienſem nuncupant: ventum ad ſupremum. Conturbati & perterriti ipſi factionum Principes, qui in extremis inſultabant periculis, genibus ſingulorum aduoluebantur, opem orantes. Cernere erat, quàm miſerabilis illa mutatio foret ex illo terribili ac ſuperbo faſtigio, in hanc humilem & plebeiam deiectionem: in lachrymas, fletus, pauorem. Necdum ceſſerat murus vrbis ſuperioris, iam illi percurſabant ſingulos, nihil ſupereſſe præſidij ingemiſcentes,


tes, hoſtem ingreſſum arbitrabantur: Plerique tanquàm iam de ſuperioribus pugnantes, Romanos videre ſibi videbantur: quod metuebant animo, oculis præfigurabant, & mentis pauor fiebat imago viſus. Denique pro certo iam hoſtem ceruicibus ſuis incumbere credentes, quibus adhuc tres turres Mariamne, & Phaſelus, & Equeſtris ſuperérant, cæteris validiores: deſeruerunt ſuperiora confugientes ad hypogea, vel retruſos ſpecus. Iohannes tamen non multò pòſt fame tabidus, & confectus ieiunio, tradidit ſe Cæſari, qui reſeruatus ad triumphum, ſed perpetuis vinculis innodatus, vſque ad mortem magis trahens ſpiritum vitæ, quàm vllam voluptatem viuendi expertus, ſecurim euaſit. Simon autem latuit etiam intra exuſtæ vrbis ruinas, in hypogeis ſe cum paucis recondens fidelioribus. Iam Cæſar diſceſſerat cremata vrbe, æſtimans etiam Simonem aut igni exuſtum, aut ruina oppreſſum, aut à quocũq; homine interemptũ. Verũ ille quàndiu cibus ſuppeditauit, in de-

Tres turres vrbis Hieroſo.

in defoſsis ſpecubus defodiebat introrſum. Sed vbi & cibus defecit, & nullus euadendi exitus patuit, ſubitò ad ſuperiora erepſit, indutus veſte candida, & purpureo deſuper veſtimento, vt terrorem quendam incuteret aſpicientibus. Qui primò ſtupentibus militibus, Romanis mandat, vt ad Ducem ſuum deducerent. Erat in eo loco Rufus Terentius, quem Titus loco Præfectum militiæ dereliquerat. Quo adueniente interrogatus, quis eſſet: primò alia, pòſt Simonem confeſſus eſt. Inde tranſmiſſus ad Cæſarem, & ipſe ad triumphum reſeruatus. Sed quia crudelia exercuerat in ciues, nec ſe Cæſari tradiderat, poſt triumphi pompam neci adiudicatus. Octaua die Gorpiei menſis concremata eſt ciuitas. Cæſa per omne tempus obſidionis innumera millia, decies centena millia: CX. myriades, vt plerique aſſerunt. Iudæorũ tamen omnium, ſed non eiuſdem regionis omnium & loci, quia eò vndique cõuenerunt tempore Paſchalis feſtiuitatis. Captiui abducti ad nonaginta ſeptem millia, latrones propè omnes perempti ſtatim

Decies cẽtena millia Iudæorũ (vt plerique, centum & decem myriades) occiſa.

ſtatim: qui validiores erant, per triumphum ducti, poſteà beſtijs obiecti, cæteriſque ſupplicijs dati, per ſingulas ferè vrbes, quà iter agebat Titus, vt per vniuerſos rebellionum ſupplicio metum ſpargeret.



## Caput L.

Alanorũ gens fera Scythię.

PEr idem tempus Alani gens fera & diu ignota noſtris, quòd interiorũ locorum difficultate & clauſtro portæ ferreæ, quam Magnus Alexander prærupti montis impoſuit iugo, cum cæteris feris, & indomitis introrſum gentibus, cohibebantur: Incolebant Scythicũ Tanaim, finitimaque eius, & Mæotidis paludes, velut quodam clauſi carcere memorati ingenio Regis, vt ſuas terras exercerent, alienas non incurſarent. Sed ſiue ob ſterilitatem locorum, quòd auari votis agricolæ, ſperata culturæ non reſponderet fœcunditas, ſiue prædandi cupiditati Regem Hyrcanorum, qui locis præerat, ſolicitarunt, pretióne an defenſione incertum, vt reſerata porta, eruptionis ſibi copiam daret: quo impetrato,

crato, infudêre ſe genti Medorum, & impetratis breui velocibus equis, & alijs pariter ad dexteram nexis, in quos per vices, cùm foret libitum, deſilirent, totam propè regionem percurſauêre: vt primò perturbarent omnia, maiorisque multitudinis ſpeciem darent, adueſus quam nullus fugæ locus vacaret. Deinde circumuentis omnibus, quantam vellent, ſtrage edita, prædam abduceret. Erat enim regio populis frequẽs, & pecoris abundans, quæ nullo reſiſtente, facilè patuit direptioni. Siquidem ipſe Pacorus Medorum Rex, in abſtruſa loca ſe contulit, ſaluti potiùs quàm regno conſulens, ita vt vxor eius, ac liberi, ac concubinæ captæ ab Alanis, centum talentis poſteà redimerentur. Nec Tyridates Armeniæ Rex immunis fuit periculi, ſed alieno malo cautior, peſtẽ præuidit: & viriliter voluit occurrere, vt à finibus ſuis hoſtem auerteret. Dum prœliatur tamen iaculo incertus, in poteſtatem hoſtium viuus conceſſerat, ni præacuto gladio nodum informem velociter intercidiſſet. Nam inſolentia quadam

Pacorus Medorum Rex.



dam propriæ fortitudinis, & in cæteros deſpectu ſuperbo, ſimul vt familiarem ſibi eminùs decernẽdi conſuetudinem, refugiendique facultatem fraude tali prætexerent, laqueos iacere, atque hoſtem innectere, ars Alanis, bellandique mos eſt.

## Caput LI.

FVgit itaque Tyridates, cui euaſiſſe ſatis fuit. Regnum autem ſuum depopulandum reliquit. Nam quaſi accepta iniuria, quòd congredi auſus foret, vehementiùs Armeniam, quàm Mediæ regnum deuaſtauerunt. Opimis itaque vtriuſque regni ſpolijs, ad propria recurſum fecêre. Quorum comperta incurſione, Titus Antiochiam contendit: ſenſim tamen, vt triumphatorem decebat, cauſamque diſsimulans, per ſingulas vrbes pompam celebrat victoriæ. Perimebantur in arena Iudæi, quàcunq; pergebant, ac dilacerati à beſtijs, pendebant merita rebellionis. Antiochiæ quoque eos vetuſtis odijs gentilis populus inſectabatur: eò quòd Reges Perſarum, quæ

Titus ad Antiochiam contẽdit, triumphans ſingulis in ciuitatibus.

quæ de Hieroſolymitana vrbe donarij iure victoriæ vindicauerant, ſynagogis contulerant. Antiochenis de ſuo quoq; alia largiti. Itaque congeſtæ opes inuidiam facilè mouêre. Nam vt illa nunc omittamus, quę aduerſum Machabæos geſſerint Sacerdotij cōpetitores, & quantæ cladi ciuium fuerit ambitio, ſicut ſuprà memorauimus. Antiochus poſteà ignobili genere ortus, ſed moribus perditus affiicto crimine, quòd Iudæi vrbem Antiochiam incendio exurere conſpirauiſſent, patrem proprium, qui eſſet de Iudęorum Primoribus, & pleroſque alios inſimulatos gentilis impetu multitudinis, ad mortem coegit. Nec eo parricidio multorumque cæde exaturatus quieuit: ſed poſteà quoque nactus facultatem, quod fortuitu incendio acciderat eiuſdem vrbis porticus, & tetragonum plateam, maximamque partem ædificiorum cremari, fraude prædictæ coniurationis, iterum Iudæos vrgere cœpit, atque inceſſere, ac propè vniuerſorum ſtragem feciſſet, niſi aduenienti Tito reſeruata cognitio foret metu, ne Cæſar vſurpato


vſurpato plurimorū ſupplicio commoueretur. Ea res Iudæis ſaluti fuit.

## Caput LII.

Maſſadem in qđ multi Iudęorū ꝓpter corporis ſalutē cōfugerant, Syllę Titus expugnandam cōmittit.

MAſſadæ quoque plurimi ſe Iudæorum freti loci munimine congregauêre, cuius expugnandi negotium Titus indignum arbitratus, quòd Imperatorē teneret, Syllæ mandauit, cui ſummam in iiſdem locis militiæ Romanæ, cauendique, ne quid iterum rebellionis oriretur, commiſerat. Ipſe Alexandriam contendit, & inde nauigio Romā tranſmiſit. Sylla gnauiter inſiſtens iniuncto ſibi muneri, Maſſadæ murum ariete diſſoluit. *Illi interiorem ligno* cōpoſuêre, eò quòd ad huiuſmodi ictus machinamentorum muralis materies facilè non cederet. Sed Romani mutato bellandi genere, ignem iecêre, qui & facilè ligno inhæſit, & ſine vlla adoleuit mora. Magnus itaq; adultus incēdio flāmæ ferebatur fragor, qui primùm Boreæ ſpiramine à munitionis partibus repellabatur, & Romanorum magis vineas exurebat. Deinde exorto Noti ſpiramine, in caſtel lum

lum ſeſe retorſit, ita vt conflagraret omnis ille ligneus muralis obiectus materiæ conſumptæ. Romani, quoniam nox interuenerat, ſecuri victoriȩ in caſtra ſeſe receperant, vt ſequẽti die nudatos, atque omni exutos præſidio debellarẽt. Sed ne quis elaberetur, intextis caſtellis cuſtodijs circumuallauerunt.

## Caput LIIII.

Sermo Prĩcipis Sicariorũ Eleazari ad populum.

DEſperatis itaque rebus, Eleazarus autor turbarum, videns nil præſidij ſupereſſe, hunc exorſus eſt ſermonẽ, quem nos quaſi epilogum quendam claudendo operi deplorabilem, more rhetorico non prætermiſimus. Quid agimus Abrahamitæ viri, genus Regale, ſacerdotalis gratiæ, virtute inſuperabiles? Non enim ex euentu victoriæ, quæ frequenter incerta eſt, ſed ex propoſiti conſtantia virtus expectatur. Vnde conijcere liquet, quia hoſtem ſubijcere fortis eſt, non mutare mentem, virtutis eſſe. Iure igitur* inſuperabiles vos dixerim, ſi nullus adhuc vos mortis vicerit metus. Sed non ita vos pater inſtituit Abraham:



ham: ſed qui in filio vnico docuit, non mortem eius, ſed immortalitatem futurã, ſi pro religione immolaretur. Quid Ioſiam prædicem, quo nemo fuit melior interpres religionis, contemptor mortis, aſſertor libertatis? Nanque is in illo ſuggeſtu Regali locatus, cui liceret differre mortem, tamen quia videbat propter peccata grauia captiuitatem plebis Iſrael futuram, bello ſe alieno miſcuit, vitam refugit. Clamabat Nechao: Non aduerſus te miſſus ſum, ſed aduerſus Regem Iſrael: Ille tamen non prius receſsit, quàm lætalẽ ſagittæ ictum ſubiret. Quo fuſus vulnere, indicio nobis eſt, vtrum in bello meritum, an caſus præponderet. Victus eſt Ioſias priorum inſtaurator ſacrorum, vicit Nechao omnium ſceleratiſsimus: ſed ille victus, nunc cum Angelis eſt, hic victor in ſupplicijs. Quis enim neſcit, non in hac vita repoſitam eſſe mercedẽ hominibus, ſed poſt huius abſolutionem certaminis? Hic enim currimus, vt illic ad palmam perueniamus: hic certamẽ, illic præmiũ eſt. Nõ ergo illa hic longæuæ ætatis gratia eſt.

Deniq;

Denique Abel citò occiditur, Cain ſu-
peruixit:ita mors innocentiæ fuit, & vi-
tæ ærumna. Ex illo in eandem ſortem
ſucceſsimus, vt viuere miſerrimum fo-
ret, mori beatum. Quid eſt enim vita, ni-
ſi carcer animæ, quod intra hoc ergaſtu-
lum clauditur,&carnali adhæret conſor-
tio? Cuius infirmitatibus quatitur, la-
bore affligitur, ira conteritur, accendi-
tur cupiditatibus, vexatur furore, nec ſe
facilè attollere poteſt humi nexa, con-
creta puluere, ſtricta vinculo, neruis ir-
retita. Non mediocris tamen poteſtas, vt
corpus viuificet, atque infundat inſen-
ſibili materiæ ſenſus vigorem, & in hoc
inuiſibiliter ſingulis anima ſua cõferat,
totumq́ue hominem regat, atque vltra
mortalem prouehat fragilitatem, vt co-
gnitionem capiat cœleſtium ſecretorũ,
vt mentem intendat futuris. Itaque ad
imaginem ſimilitudinemq́ue ſui Prin-
cipis non videtur, cùm ſit in corpore ſi-
ta, ſed nec corporalibus oculis cernitur:
nec ingreſſus eius, aut exitus eius vllo a-
ſpectu deprehenditur: inſtar quoddam
diuini muneris repræſentans: Cùm in-

Vita præſẽs animę carcer eſt.

gred-



greditur, vitam infundit: cũ excedit cor-
pore, mortem operatur. Vbi anima, ibi
vita: vbi ea defuerit, ibi mors eſt. Quic-
quid inuiſerit, exuſcitat: quicquid reli-
querit, ſtatim ſoluitur, & continuò mar
ceſcit: infuſione animæ, mortuus reſur-
git: diſceſsione, viuus exanimatur. Quis
ergo dubitet, quòd ei ineſſe videatur im-
mortalitatis operatio, cui *virtꝰ ſit mor- Vſus.
tem auertere? Ea tamẽ ſibi oneri eſt, quã
uis alijs ad vſum redundet. Et quod cor-
pori donat, ſibi detrahit. Grauat̃ enim
& quaſi in terram inclinatur cum iſto
mortali corpore. Itaque vita corporis,
mors eſt animę: & rurſꝰ corporis mors,
animæ libertas videtur: dum enim ſumꝰ
in iſto corpore, ſeruit anima noſtra. Ah
miſeram quidem ſeruitutem, quæ de pa
radiſo exulat, & à ſuo principe peregri-
natur. Vbi autem fuerit iſtius carnis ab-
ſoluta vinculis, in illum purum, & ſplen
didum ſuperioremq́ue reuolat locum,
atque adeſt Domino Deo ſuo, ſanctorũ-
q́; habitaculis fruitur, & beatorum gau-
det conſortijs: quòd nullam iam habeat
cum mortuo ſocietatem, & contuberni-

um cadaueribus dereliquerit, aſpiret el
cœleſtis gratia, nec vlla eam curarũ hu-
manarũ ſolicitet exagitatio. Indicio no-
bis eſt quies, quantam anima per obitũ
corporis reſumat gratiam: ſopito enim
corpore, & quaſi mortuis eius cupidita-
tibus, atque vniuerſis motibus, cum ſan
ctis ſæpiùs conuerſamur: recipimus,
quos amiſimus: vt nobis & abſentes ad-
ſint, & mortui viuant, & omnis quieſ-
cat dolor. Appropinquemus & confabu
lemur Deo, cognoſcamus futura. Affe-
ctis requies, ſeruis libertas ſit. Quod igi-
tur dormientes ſomniamus, hoc defun-
cti adipiſcimur. Et quod in ſomno ima-

Mos quorundã hominũ eſt, vt hominem natũ fletibus mortuum gaudijs, proſequãtur. Indi quid in agone.

go, in morte veritatis paſsio eſt, & liber-
tatis gratia. Vnde nonnullis gentibus
mos eſt, vt ortus hominum fletibus, oc-
caſus gaudijs proſequantur: quòd illos
ad ærumnam generatos doleant, hos ad
beatitudinem rediſſe gratulentur: illo-
rum animas ad ſeruitutem veniſſe inge-
miſcant, iſtorum ad libertatem remiſſas
gaudeant. Indorum quoque ſapientes
feruntur, cùm moriendi affectum indue
rint, proteſtari quòd diſcedere velint, ne
que vllũ



que vllũ obſtrepere. Deinde vbi appara-
tus mortis proceſsit, inſilire lętos arden
tem pyrã, & aſtãtibus valedicere: dolere
mulieres, quaſi ſubſidio deſtitutas, vel li
beros paruulos quòd derelinquãtur: be-
nedicere alios, nec inuidere, quòd ad me
liores ad ſplendidiora loca purioraq́; fe-
ſtinẽt conſortia. Quid igitur de vobis a-
liud opinari poſſum, cũ etiã barbaris gẽ-
tibus libertatẽ ſequendi mos ſit? Iamdu-
dum itaq; vos optimè mihi cognitos, &
inſtitutis patris reſpondere paratos, ꝙ
neq; Romanis, neq; cuiquam gẽti, niſi
ſoli Deo ſeruiendũ putetis, qui ſolus iu-
ſtus, & verus omniũ Dominus ſit. Dies
aduenit, qui probare operibus volũtatẽ
exigat, nec dehoneſtare veteris indolis
claritudinẽ, vt in libertate geniti, domi-
nationi vos hominũ ſubijciatis: pſertim
cũ licuerit vobis ãtè ſeruire ſine pericu-
lo, nũc autẽ neceſſe ſit dura ſupplicia ſuſ
cipere cũ ſeruitute: ſi Romanorũ impe-
rio ſeruituros nos offeramus, quos pri-
mi omnium bello laceſsiuimus, & vlti-
mi adhuc armis tenemus, Imperatori
non dedimus manus pacem offerenti,

 Syllæ

Syllæ dabimus acerbitatem minanti? O miſeri, ad quam ſpem iſtius vitæ nos reſeruauimus? Eſto, hoſtis ignoſcat, quid proderit, cùm offenſa Dei clara ſit? igni ab hoſte in nos verſi, mutata ventorum flamma, flammæ retortæ, vt noſtra ſubſidia deurerentur. Quis poterit aduerſante Deo viuere? nullus veniæ locus, ſed manifeſtũ imperium mortis voluntariæ. Quid enim nox interuenit, niſi vt nos hoſtis non prçueniret, aut deuſto muri ſubſidio, continuò irrumperet: ſed vt nobis exercendæ mutuę necis tempus reſeruaretur, liceretq; cum liberis noſtris, & neceſsitudinibus mori: ne videremus anhelos ſenes, anuſque à Romanis pertrahi, charisſimas coniuges ad victoris libidinem rapi? Commoriamur patriæ, ne ſimus ſuperſtites tanti dedecoris opprobrio. Quò igitur fugiemus à facie Dei, quò ibimus infenſo nobis cęli Domino? Si cadant ſuper nos montes, & concauis ſpecubus abſcondant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ poteſtatis? Quò enim progrediemur, vbi non ſit Deus, cũ vbique ipſe ſit? An mediocria



mediocria exempla ſunt, quibus doceamur, quòd iamdudum genti noſtræ pro peccatis noſtris infeſtus ſit, qui antè præſidebat? Quis hoc dubitet, cùm videat, quòd in nos conuerſæ manus noſtræ ſint: pluresque ſeditio domeſtica, quàm bellum extinxerit? Non donabo Romanis quòd vicerint, nec ipſi ſibi hoc vendicant, qui ſciunt quòd omnes ferè noſtris potiùs armis, quàm alienis perierimus. Quæ enim Romana arma viderũt Cæſaream inhabitantes Iudæi? quorum feriato die ſabbati, inter ſolennes noſtrorum ſacrorum cultus, multitudo gentilium Cæſarienſium repentino quodam impetu, & miſſo deſuper furore ſuccenſa, viginti millia deleuit, omnes fugauit, vt totam vrbem exinaniret. Nónne Syriam totam quidem impleuit dementia, vt Iudæi atque gentiles in ijſdem vrbibus ſiti, & incolatus gratia ſibi priùs nexi, poſteà inter ſe armis colliderentur, quo Romanis vadum futuræ victoriæ conſtitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar, quò Iudæi primò contenderant, vt gentilem populũ præuenirent, ne quid

aduerſus noſtros, exemplo cæterarũ vrbium, machinarentur? Itaque quos par fuit, cõiunctis aduerſum alienigenas viribus, bello decernere, hæc è contrario aduerſum ſe Iudæi decreuerunt, vt pars eorum aduerſus cognatos, & proximos ſuos præliaretur. Deinde ipſi pro pretio laboris, & impenſi ſanguinis, à gentilibus perimerẽtur, quod phibuerunt ipſi fieri gentilibus. Damaſceni nulla exiſtente cauſa, octo millia Iudæorum ſtrauerunt. Aſcalonitæ duo millia quingentos. In vrbe quoq;, cui Ptolemais nomẽ, cæſa duo millia. Alexandriæ verò vetus erat odiũ inter Iudæos, & gentiũ populos, ex quo Magnus Alexãder vſus eſt ſtudio Iudęorũ ad Aegyptios ſubijciendos: vnde cõdita vrbe ex æquo Iudęis, & Aegytijs attributa priuilegia, & habitationes diuerſę, ne eorum cultus permiſceretur: qui purificationes ſuas ſine vlla volebãt contagione ſeruare. Hinc frequentes inter eos conflictus fuêre, exorta iurgia, iudicium petitum. Nihil tamẽ ex tanti Regis temeratum liquet fuiſſe beneficijs, ſed poſteà à gentilibus exorto tumultu, cùm

Aliàs, decertauerũt

Damaſceni octo millia Iudęorũ ſtrauerunt, Aſçalonitæ duo millia quingẽtos



cùm Iudæorum necati aliqui, alij ad pœnam detinerentur, iniuria motum Iudæorum populum, aduerſum autores iniuriæ inſurrexiſſe, & cùm pertinaciùs ſe de ciuibus vltum iri vellent, inductum exercitum Romanum, qui ſexaginta Iudæorum millia intra vrbem fuderit. Verùm quid in leuioribus moror, cùm excidium totius vrbis, in vnius ciuitatis ruina deplorandũ nobis ſit? Vbi eſt maxima ciuitas Hieruſalem, vbi decora Sion, vbi templum mirabile, vbi ſecundum illud tabernaculũ, ſanctitatis ſacrarium: quo ſemel in anno ſolus Princeps ſacerdotum ſolebat intrare, non ſine ſanguine, quem pro ſe offerret, & pro populi delicto? Profanatum gentibus, habitant in reliquijs vrbis, qui eam deſtruxerũt. Vbi (inquam) es ciuitas referta populis, venarabilis Regibus, acceptabilis Deo, gratiæ ſedes? Pauimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioſo ſplendebant marmore, portæ tuæ micantes auro, aliæ argento renitentes. Omnes interfecti, & qui te iugiter inhabitabant, &

& qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conueniebant: vt non dubium ſit totum in te mundum perijſſe. Nudata omnia, à culminibus cremata, à fundamentis diruta, facta eſt habitatio tua deſerta, nec eſt qui in tabernaculis inhabitet, & adhuc quenquam viuere libet, & non vixiſſe pœnitet? Duri oculi qui hæc videre poſſunt, immites animi qui velle poſſunt, quòd tãtis ſuperſint doloribus, non quòd defecerint clades, ſed quòd iam nulla requies. Quò enim circumferamus oculos, aut quid decernere delectet? Vrbs tota ſepulchrum mortuorum eſt, ſolæ ſpectantibus occurrunt fauillæ, viæ vacuæ viuentium, repletæ cadaueribus. Miſeri ſeniores cinerulẽta canicie, & ſciſſo amictu ſupra reliquias mortuorum ſedent nuda tegentes oſſa, quo defendant à volatilibus ac beſtijs. Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam ſeruauerit. Quis hæc videns, & de comperendinatione viuendi cogitans, audeat ad cœlũ leuare oculos? Quis ſic immemor patriæ, hoſtis ſuorum, pietatis alienus,





expers dulcedinis, cuius tam ſemiuiri ſit mollis ſpiritus? quis ita meticuloſus, quem non pudeat his reſeruatum? Vtinam quidem olim defuncti eſſemus, aut ſi vita ſupereſſet, oculorum lumen perijſſet, priuſquam ſanctam vrbem dirutam hoſtium manibus intueremur, templumque hoc à maioribus noſtris ſacratum Deo, tam impiè flammis cremari, aut ſacerdotes in templo cõſpiceremus iacere interfectos. Emendemus ergo, quòd his ſuperuiximus malis, vt videamur non vitæ ſtudio diſtuliſſe mortem, ſed virtutis intentione. Circunuallauit hoſtis omne munimentum, nil supereſt niſi aut nos, aut coniuges noſtræ. Iam ſibi filios noſtros in auctione conſtituũt, certantque inter ſe, quis cuius abducat vxorem: vtrum pro dignitatum meritis perſonarumúe ordinibus diſtribuendæ ſint, an ſortibus ſubire cogendæ miſerabiles. Nobis quoque parantur prodigia, pœnarum tormenta exquiſitiſsima, nõ ſolùm ardentes flammæ aut diuerſæ neces victricis ictu ſecuris: duro quidem poſt vincula, poſt carcerem, poſt iugum

ſupplicio, ſed tolerabiliore viris, ſi ludibrio vacet, ſed etiam auulſi artus viuentibus, & pręcipuæ truncatæ manus. Nec immeritò, quia defuerunt ſuo muneri, cùm poſſent ſibi ſubuenire. Subeundi quoque morſus ferarum ad victorũ ſpectaculum, quod diuerſis iam celebratur arenis vrbium: vel exemplo nobis debet eſſe pudẽdum, vel viſu miſerabile, vt reſeruemur aut beſtijs, aut fratribus prœliaturi. Quid ergo moramur? iam non eſt liberum nobis, quod metuimus, euadere. Si liberos interficere nolumus per miſericordiam, aut nosmetipſos per virtutẽ, neceſſe erit, vt per germanos, aut propinquos noſtros interficiamur per flagitium: hoc ſuadet affectus, illud victores exigunt. Si nolumus exequi miniſterium pietatis, cogemur ſubire pompæ parricidalis ludibrium. Adoriamur ergo, quod proſit liberis coniugibusque noſtris: * Si infirmiores ſumus, auferamus eos cruciatibus futuris: ſi fortiores ſumus, vincamus compaſsiones parentum, affectus neceſsitudinum: & in hoc vincamus hoſtem, cùm prædã tollimus:

Aliàs, Neque ſi.


tollimus: Hoc virtus exigit, hoc ſuadet pudor. Non timere mortem virtus eſt. Etenim ad mortem omnes naſcimur, & ad mortem generamus liberos, quorũ mors naturæ aſsignatur, captiuitas probro datur. Ergo quos non potuimus periculo eripere, eripiamus ludibrio. Miſeremini igitur patres liberorum, mariti coniugum, omnes paruulorum, miſereamur, quod eſt præcipuum noſtri, dũ eſt miſerandi poteſtas: vt de noſtro miſereamur, ne ad dedecus videamur, & nati, & reſeruati. Quis enim poſsit perpeti parẽtes ãte ora filiorũ, filios in cõſpectu parentum interfici? Trahi canitie feſſos ſenes, vel ad necẽ, vel quod peius eſt, ad ſeruitutẽ, mulieres ſparſis crinib9 duci ſub cõſpectu coniugũ, & violenter ad opprobriũ trahi? Audire vocẽ paruuli vagiẽtis vocãtis patrẽ, vt auxilio ſit petẽti, cũ iã fruſtrà audias reuinctas manus, & captique ceruicis iugo ſubditos? Ergo dũ adhuc liberę man9 ſunt, dũ ferrũ ſtringimus, aggrediamur opus, quod victor hoſtis miretur. Mulieres noſtræ ſupremum coniugalis munus dilectionis, quaſi

quaſi dotale recipiant patrimonium. Has illi claues refundimus noui ſanguinis teſtimonio, vt ſint noſtræ heredes libertatis. Hoc ipſæ hortantur, certè merentur, quæ volunt: cogendæ, quæ refugiunt: nec paruuli ferrum pauebunt, quod per ætatem neſciunt, quod ſuſcipere à parentibus pijs debent, vt verè fiant liberi. Nobis quoque quid erit præſtantius? Si exuramus prius caſtellum, frumenta tamen reſeruemus, ne putet nos fame potius coactos, quàm ſtudio virtutis inuitatos, mutuæ necis arripuiſſe miniſterium. Donemus illas eſcas refertas ſanguine, & ſi eas flammæ exuſſerint, nidor ipſe frugum inceſarum indicio erit perijſſe obſidentibus, quod obſeſſis abundauerit. Poſt hec vnuſquiſque offerat ſe vulneri, & moriturus patriam tegat, ſupremoque amplexu obeat. Fiat nobis libertatis ſepulchrum, quæ fuit dignitatis domicilium: hic tumulus funera noſtra decet, vt ſepto virtutis tegamur. Tali accenſi oratione, cæteri gladios ſtrictos tenebant, oſcula dabant coniugibus, amplexu ſuſcipiebant liberos, illachrymantes

tes



tes & ſimul feſtinantes, vt hoſtis præueniretur. Hæc vobis (inquiunt) amoris pignora damus ſupremæ præmia neceſſitatis, & cõpreſſo viriliter affectu, paſſionem excluſerunt, cædem implebant: impauidæ mulieres ſe offerebant vulneri ꝓ conſeruatione pudicitiæ, mentemq; ſuorum ipſæ induerant virorum. Cæſis itaq; neceſſitudinibus, pignoribus quoque, delegêre ſtrenuos, qui ſupplementa cædis exequerentur. Ita fuſi omnes, nongẽti ſexaginta cum paruulis ac mulieribus: vna mulier ſola ſuperfuit, quæ filios quinque in aquæductu abſcõdit, dum cæteri ſupremis intendunt neceſſitatibus: ea Romanis diluculo aduenientibus, ad vocem excita, index negotij fuit. *Opes autem eorum, appoſitus ab ipſis prius ignis conſumpſit.*

Iudęi ꝓprias occidũt vxores, ſed liberos mãdãt per alios.

*

FINIS.

# EGESIPPI DE EXCIDIO VRBIS HIEROSOLYMITAuæ Anacephaleoſis, id eſt, omniũ penè, quæ in ſuperioribus dicta ſunt libris, repetitio.

ANno XLII. poſt paſsionẽ Domini, imperij verò Veſpaſia. primo, bellis aſperis Iudęa, & ſeditionibus domeſticis lacerabat̃. Ipſa quoq; eorũ ciuitas Hieruſalẽ inteſtino prælio laborabat. Nulla intermiſsió, nulla reqes, nullæ induciæ, momẽtis oĩbus dimicabat. Multi ruebãt, innumeri iugulabant̃. Sanguis fœdabat vniuerſa, ipſaq; replebat templi limina, paſsim ruebãt cadauera: ſagittis alij, alij miſsilib⁹ feriebant̃. Nullus loc⁹ periculo vacabat, nullum tempus conſilij reperiebatur. Nulla ſpes conuerſionis, nulla fugiendi copia erat, mœſta omnia & plena horroris & immanitatis, vbique luctus, pauor, vbique clamor mulierum, eiulatus ſenum, morientium gemitus, viuentium deſperatio: vt miſerabiles eos diceres,





diceres, qui remanſerant, beatos qui obibãt. Quomodo decepta es populis tuis, quibus videbaris beata? quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conuerſę ſunt manus tuæ, quæ ſolebas ſine armis vincere, & ſine vllo prælio hoſtem ferire, cùm pro te Angeli dimicarent, & militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores? Exurge nunc Moſes, & vide gentem tuam, & hæreditatem populi tibi crediti, perire manibus ſuis. Aſpice populum illum Dei, cui gradiẽti peruium mare patebat, cui eſuriẽti eſcas cœlum ſubminiſtrabat, ſine mari clauſum, ſine Pharaone obſeſſum, ſine terrarũ ſterilitate ieiunum. Exurge Aaron, qui aliquãdo propter offenſam Dei, cùm mors plurimos depaſceretur populi, ſtetiſti inter viuentes ac mortuos, & mors ſtetit, atque obiectu corporis tui hęſit lues, nec tranſire potuit ad contagionem viuentium. Suſcitare & tu Ieſu Naue, qui muros inexpugnabiles Hiericho, tubis canentibus complanaſti, & vide populum, cui exteros ſubieciſti, nunc eundem ſubiectũ opprimi. Suſcitare Dauid, exaſpe-

exaſperātem ſpiritum citharę ſuauitatē ſolitus excludere, & vide quemadmodū dominabatur furor; atque omnem ſuauitatem Pſalmorum tuorum ex perditorum ſenſibus abluerit, & vnuſquiſq; de Principibus populū vniuerſum ad mortem afferat, vt libertatē extorqueat, pro quo teipſum morti offerebas. Suſcitare Eliſee, qui hoſtem introduxiſti in Samariam, & amicum feciſti. Per te in caſtris Syriæ quadrigarum increpuit fragor, & vox equitum & virtutis. Fugit hoſtis, euaſit obſidionem Iudæus. Vbi nunc iſta merita, & nūc vbi iſtæ operationes Sāctorum? Nec mirum, ſi amiſerunt Prophetarum opera, qui negauerunt Prophetarum arbitrum. Ideo in te Iudæa arma cōuertuntur, orationes tuę nihil tibi proſunt, quia fides tua nihil operatur. Ideo aduerſum te fact⁹ eſt populus tuus, quia in te conuerſa eſt perfidia tua. Quod remedium quæritur, vbi autor remedij nō conciliatur? Quid putabas futurū, cùm tuis manibus vitam tuam extingueres, cùm tuis vocibus aduocatum tuum exterminares, niſi vt in te quoque inijceres



res manus? Habes, quod petiſti. Eripuiſti tibi Pręſulem pacis, petiſti necari vitæ tuæ arbitrum, cōcedi tibi Barrabam: qui propter ſeditionem factam in ciuitate, & homicidium miſſus fuerat in carcerē. Ideo ſalus abs te receſsit, pax abijt, quies deſtitit: data eſt tibi ſeditio, datum excidium: agnoſce tibi hodie Barrabam viuere, & Ieſum mortuum. Ideo in te regnat ſeditio, pax ſepulta eſt, vt crudeliùs à tuis pereas, & priùs, quàm ab alienis pe rires. Quid tantum miſerabilis ciuitas, Romanus ſuis armis, quantum populus tuus malorum inuexit? vt Romani pugnarent, tui fecerunt: pacē volebāt Romani, tu bellum indixiſti. Quid cauſæ erat, vt fortiores laceſſeres? Durum ſanè, quòd contra legem ſacram templū gentilis intrauit: ſed iam non erat Dei templum. Non eras Dei ciuitas, nec eſſe poteras, quæ eras mortuorū ſepulchrū: præſertim tuorum, quos ipſa occideras, non quos ab hoſte amiſeras: quomodo enim poteras vitæ eſſe domicilium, quæ eras mortis habitaculum, diuerſorium ſcelerum, latronum ſpeleum? Iacuerunt

in te Ananus & Iohannes inſepulti Sacerdotum Principes, & illi dudũ ſacerdotalibus induti ſtolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, deformes iacuerunt. Cadauera eorum eſca volatilium, & deuoratio canum facta ſunt, membris lacerati, & tota diſpſi vrbe, vt deplorare veteris ſanctitatis ſpecies videret tãtam ſacri nominis contumeliam, & ſpecioſi quondam muneris deformitatẽ. Sed ipſa tibi huius indignitatis exordium feciſti, quę in medio ſinu tuo occidebas Prophetas, quæ lapidabas ſanctos Domini: Ante templum Zacharias iacuit exanimis, iacuit inhumatus. Ergo ſanguis tuus illum lauat. Quę cauſa autem mortis fuit Anano, niſi quòd increpuit populum tuum, quia non reſurgeret pro templi defenſione, quia expoſtulabat libertatẽ perditam, virtutem deſertam, calcatas veterum ſacrorum reliquias, commaculata altaria? Relinquendum aſſerebat populum vſu ſimulachrorum inſenſibiliũ, & ſtatuarum more nihil iam ſentientem commaculatum. Muta iam animalia referre ſolent, vel vicißitudinem vindictę, ſen-


ſentire iniuriã, incitari aculeo, declinare verbera. Qui ergo nec excitať, nec declinare nouit quod noceat, ſimilis eſt non ſentientibus. Et reuerà vbi illa libertas tua, cuius ſtudio quondã nõ Aegyptijs, non Palęſtinis, non Aſſyrijs, poſteà non Medis cedendũ exiſtimauiſti? vbi eſt illa Machabæorũ fides, q̃ quondã in paucis fudit Babylonios? Perſas fugauit? Demetriũ perculit? Ad poſtremũ in paruulis ac mulieribus Antiochi arma, gladios, incendiaq; ſuperauit: & ꝓ obſeruatione patriæ mori maluit, q̃ regijs imperijs obtemperare. Vbi eſt illa deuotio Patrum, pulcherrima paßionum omnium, qua ſe non pro liberis, non pro coniugibus magis, quàm pro templo Dei morti offerebant? Anteà & virga ſacerdotalis floruit, reciſa de ſylueſtri radice: nunc & fides aret, & ſepulta eſt pietas, & abijt omnis virtutis æmulatio. Nec mirũ, ſi populus, qui à Deo receßit, & improbũ contradictionis ſpiritũ ſequitur, in ſeipſum diuiſus eſt. Quomodo enim pacem ſuã tenere poterat, qui pacẽ Dei repudiauit? Pax Dei Chriſt⁹ eſt, qui fecit vtraq; vnũ.

 Meritò

Meritò ergo ex vno populo plures aduerſum ſe facti ſunt, quia noluerunt ſequi diuiſa ſociantem Ieſum, ſed ſecuti ſunt coniuncta diuidentem furoris ſpiritum. Soluebas igitur Hieruſalem mercedem perfidiæ tuæ, cùm ipſa tuis manibus deſtrueres munimẽta tua, cùm tuis mucronibus foderes viſcera tua, ita vt hoſtis miſereretur: vt ille parceret, & tu ſæuires. Videbat enim, quòd Deus aduerſum te pugnaret, & Romanorũ fungererur partibus, vt ipſa tibi inferres voluntariam proditionem: ideo ſpectatores malebãt eſſe Romani, quàm percuſſores, ne furentibus tuis inter ſe viſceribus, manum admouere contagionis magis, quàm fortitudinis æſtimaretur. Ad hæc nefandæ necis ſupplicia accedebat impia immanitas crudelitatis, vt ſepulturam omnibus, qui vel in templo necati fuerant, vel circa vrbis plateas, negarẽt: nec humare cuiquam vacabat, dum bellis inter ſe occuparẽtur, feriendique magis quàm humandi cura vniuerſos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudeſcebant impietatis mini-



miniſteria, nihilque magis in tantis calamitatibus perierat, quàm miſericordia, quæ ſola ſolet alleuare miſerias, ſolari ærumnas. Nanque & hi, qui amiſerãt ſuos, non audebant humare propter formidinem, cùm grauis terror ingrueret à diuerſæ factionis principibus: & hi, qui necauerant, alienos cauebant, ne quis illos præriperet ad ſepulturam. Itaque neceſſe erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id ſibi ſumerent: vel quod peius eſt, quem parauerant vſum ſepulchri, eum ipſi non impetrarent. In templo igitur ipſi pro vnguentis benè olentibus, pro thymiaterijs benè ſpirantibus, pro diuerſorum florum odoribus, grauis erat inſepultorũ cadauerum fœtor, quæ pluuia diſſoluerat, quæ flamma ambuſſerat, quæ ſol calefecerat. Omnes artus cæſorum ciuium diro odore fœtebant. Hinc reſolutorum putredo viſcerum, inde exuſtorum nidor ſenſus omnes, atque ora complebant viuentium, vt ipſi non multò pòſt grauiore morbo conſumerentur, ac ſe ſuperſtites ingemiſcerent, quòd duriore pœna perirent,

eoque ſeruatos, vt viderent cum patria ſolum etiam negari: ius naturæ à viuentibus, pacem ciuibus, ſepulturam defunctis, humana pariter atq; diuina maculari ac pollui, permixta omnia. Criminoſam eſſe miſericordiam, religionis loco haberi crudelitatem, caſtrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus: ea ſpectare oculis, quæ Prophetis denuntiantibus non crediidiſſent futura. Nam de his dixerat Dauid: Polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt mor-
Morticina talia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli: Effuderunt ſanguinem eorum ſicut aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat, qui ſepeliret. Simul enim tunc & gentes venerunt in hæreditatem Dei, quæ auferrent omnia, & templum pollutum eſt ſuorum funeribus, & inſepulta iacuerunt cadauera interfectorum ad eſcam auium, beſtiarumque voracitatem effuſus ſanguis, vt ſignaret deeſſe, qui ſepeliret: quia viuentium in mortuos, à mortuis in eos, qui adhuc viuerent, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare, ipſe ex-



ſe extinguebatur. Et qui defunctum occiderat, in ſepultorem transferebat iracundiam, vt illi ſepulturam negaret: hunc extinguebat rurſus, qui ſepultorem occiderat, maiorem crudelitatem circa defunctum exercebat, vt iam nihil debentem odio, non ſentientem ſupplicia, ſpoliaret ſupremo naturæ debito. Quid illis accidere aliud poterat, qui diuina non recipiebant oracula? Irridebāt Prophetarū annunciationes, fas omne calcabant, futuraq;, vt fierēt, ipſi accelerauerunt. Erat enim ſermo vetus & frequens, tunc perituram Hieruſalem, & ſancta eius exurenda, cùm ſeditio belli legem inceſſeret, & domeſticæ manus templum Dei contaminarent. Nec hoc quidem intellexerūt: Quoties enim exciſa domus Dei? quoties ſeditio? quoties bellū? & nunq̄ illa vrbs perijt, niſi cū Dominū verè templū Dei domeſticis manibꝰ crucifixerūt. Propter quod & illud audiāt: Soluite templū hoc, & in tribus diebꝰ reſuſcitabo illud. quid enim aliud niſi ſacrilegiū fuit? cū impias manus extēderent in autorē ſalutis, cū lapidarēt eum,

 cùm

cùm verberarent, cùm corriperent, cùm occiderent? Tunc verè ſancta eorum abſumpſit ignis diuinus. Nam exuſta, à Babylonijs reparata eſt. Poſteà deſtructa, à Pompeio reformata iterum. Sed penitus exuſta, vbi Ieſus venit, & ſpiritus diuinus ſoluta euanuerunt. Oportuit hubeiore quadam deploratione præire nos funus quoddam paternę ſolennitatis, & velut quaſdam exequias proſequi, ac ſoluere iuxta Maiorum inſtituta. Sed veniamus ad ſummam euerſionis Hieruſalē, & ad deiectionem Iudæorum. Meritò ſiquidem deijciendi & viles habendi fuerant, qui vniuerſis pretijs chariorem Ieſum, triginta denariorum pretio à diſcipulo comparauerant; non vt eum haberent tanquàm Dominum, ſed vt de terra viuentiū tollerent velut iniquum. Quare iure de hæreditate ſua, viliores paleis, in omnem terram ventilati ſunt à gentibus, quas formidauerāt, ne ſibi locum & gentem tollerent. Et qui triginta denarijs Ieſum comparauerant ad perdendum, iuſtè poſteà triginta capita ſuorum viderunt vendi vno denario ad illudendum.



dum. Quia igitur penè omnes Iudæi in necem Domini noſtri Ieſu Chriſti vnanimiter conſenſerunt, imminente vindicta penè omnes à totis regionibus ad azymorum diem feſtum congregati, bello ſubitò circumfuſi ſunt: vt primò quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citiùs fames. Quòd autem caperet multitudinē hominum tantam ciuitas, certum erat ex his, qui ſub Ceſtio fuerant. Enumeratis enim tūc viris ciuitatis à Floro, Neroni ſignificare cupiente contemnenti nationem, à Pontificibus petierat, vt ſi quo modo poſſent, multitudinem numerarent. Illi autem cùm dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quādo à nona quidem hora vſque ad vndecimam hoſtias cædunt, per ſingula autem quaſi contubernia, nō pauciorum quàm decem hominum fiunt, ſolùm enim epulari non licet, multi enim vicini conueniunt: hoſtiarum quidem ducenta, & quinquaginta ſex millia, & quingentas numerauerunt. Fiunt autem vt denos epulatores, per ſingulas imputemus vicies centena, aut

Vu v ſeptin-

pene omnes

ſeptingenta millia, ſancti omnes & puri. Nec enim leproſis aut vitiliginoſis, aut ſemine fluentibus, quos gynæcicos vocant: nec mulieribus menſtruo cruore pollutis, neque alijs inquinatis participari ſacrificia permittebantur. Sed nec alienigenis quidem, niſi qui religionis cauſa veniſſent. Magna verò hæc multitudo ab extraneis congregabatur. Tunc tamen veluti in carcerem tota gens fato concluſa eſt, & farta hominibus ciuitas, bello obſidebatur. Itaq; omnem ſuperat humanã, & diuinitùs emiſſam peſtẽ numerus pereptorum, quos partim palàm occiderunt, partim ceperunt Romani. Rimantes enim cloacas, & ſepulchra eruentes, quos offendiſſent, occidebant. Inuenti ſunt autem ibi plus quàm duo millia, quorum alij manu ſua, plures autem mutuis ſe vulneribus interfecerũt, cùm fames alios corripuiſſet. Luebant enim ſcelerum ſuorum ſupplicia, qui poſtquàm Ieſum crucifixerunt diuinorum arbitrum, poſteà etiam diſcipulos eius perſequebantur: plerique tamen Iudæorum, gentilium plurimi crediderũt

in



in eum, cùm præceptis moralibus operibusq; vltra humanam poſsibilitatem profluentibus inuitarentur, quibus nec mors quidem eius vel fidei, vel gratiæ finem impoſuit: imò etiã commaculauit deuotionem. Intulerunt quoque parricidales manus, atque autorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxêre: reluctantemq; cœperunt perurgere iudicem: in quo tamen non excuſatur Pilatus, ſed Iudæorum amentia coacerbatur: Quia nec ille adiudicare debuit, quem reum minimè deprehenderat, nec iſti ſacrilegiũ parricidio geminare, vt ab his, qui ad redimendos & ſanandos eos ſeſe obtulerãt, damnaretur. Quàmuis enim idem Pilatus manus lauerit, dicens: Mundus ego ſum à ſaguine iuſti huius, vos videritis: nequaquàm tamen minùs extitit reus, qui gloriã Dominicæ agnoſcens reſurrectionis, ꝓdicare inuitus ſtuduit, ſed credere perfidus contẽpſit, ſicut teſtat̃ eiuſdẽ epiſtola, Cæſari in hũc modum directa: Pontius Pilatus Claudio ſalutẽ: Nuper accidit, & qđ ipſe ꝓbaui, Iudęos ꝑ inuidiã ſe ſuoſq; poſteros crudeli

con-

condemnatione puniſſe. Denique cùm promiſſum haberent Patres eorũ, quòd illis Deus eorum mitteret de cœlo ſanctum ſuum, qui eorum Rex meritò diceretur, & hunc ſe promiſerit per virginẽ miſſurum ad terras: iſtum itaq; me præſide in Iudæam Deus Hebræorum cùm miſiſſet, & vidiſſent eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, Dæmones ab hominibus fugaſſe, mortuos etiam ſuſcitaſſe, imperaſſe vẽtis, ambulaſſe ſiccis pedibus ſuper vndas maris, & multa alia feciſſe, cùm omnis populus Iudæorum eum filium Dei eſſe diceret, inuidiam contra eum paſsi ſunt Principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihique tradiderunt, & alia pro alijs mihi de eo mentientes dixerunt, aſſerentes iſtum magum eſſe, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & ſepulto cuſtodes adhibuerũt. Ille autem militibus meis cuſtodientibus, die tertio reſurrexit: in tantum autem exarſit nequitia Iudæorum, vt darẽt pecuniam cuſto-


cuſtodibus, & dicerent: Dicite, quia diſcipuli eius corpus ipſius rapuerũt. Sed cùm accepiſſent pecuniã, quod factum fuerat, tacere non potuerunt. Nam & illum ſurrexiſſe teſtati ſunt ſe vidiſſe, & ſe à Iudæis pecuniam accepiſſe. Hæc ideo ingeſsi, ne quis aliter mentiatur, & æſtimet credendum mendacijs Iudæorum. De quo ipſi perfidi teſtantur, dicente Ioſepho hiſtoriarũ ſcriptore, ꝙ fuerit illo tempore vir ſapiens (ſi tamen oportet inquit, virum dici) mirabilium creatorem operũ, qui apparuit diſcipulis ſuis, pòſt triduo mortis ſuæ viuens ſecũdum Prophetarum ſcripta: qui & hæc, & alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetauerunt. Ex quo cœpit congregatio Chriſtianorum, & in omne hominum penetrauit genus. Nec vlla natio Romani orbis remanſit, quę cultus eius expers relinqueretur: ſi nobis non credunt Iudæi, vel ſuis credant: hoc dixit Ioſephus, quem ipſi & maximum putant. Et tamẽ in eo, quòd verum locutus eſt, propter hiſtoriæ fidem, quia fauere nefas putabat, & non credidit propter dutitiam

ritiam cordis, & perfidiæ intentionem: non tamen veritati præiudicat, quia nõ credidit, ſed plus addidit teſtimonio, q̃a nec incredulus, & inuit⁹ negauit: In quo Chriſti Ieſu claruit ęterna potẽtia, ꝙ eũ etiã Principes Synagogæ, quẽ ad mortẽ comprehenderant, Deum fatebantur. Et verè quaſi Deus ſine exceptione perſonarũ, aut vlla mortis formidine locutus, excidium quoq; templi futurũ annũtiauit, ſed non eos templi iniuria cũmouit. Sed quia ab eo in flagitijs, & ſacrilegijs corripiebantur, hinc ira exarſit, vt interficerent eum, quẽ nulla habuiſſent tẽpora. Nã cùm alij prędicando meruerint facere, quæ fecerunt: hic in poteſtate habebat, vt oĩa, quæ fieri vellet, impetraret. Octauo igitur die Septẽbris menſis concremata eſt ciuitas, cæſa per omne tẽpus numero decies cẽtena milia. CX. myriades, vt pleriq; aſſerunt: Iudęorum tamen omnium, ſed non omnium eiuſdem regionis aut loci, quia eò vndiq; conuenerant tempore Paſchalis ſolennitatis: captiui abducti nonaginta ſeptem millia. Deniq; tãta captiuorũ præ multitudine vilitas

Centum et decem myriades



vilitas fuit, vt triginta à Romanis vno numiſmate ſub corona venderent. Peracta igitur obſidione, iuſsit Cęſar Titus funditùs euertere ciuitatẽ, ac templum, vt adimpleretur verbum Domini Ieſu prædicentis. Amen dico vobis, non derelinquetur lapis ſuper lapidem, quin deſtruatur: talis quidem finis Hieroſolymorum obſidionis fuit. Eandem verò vrbem Hieroſolymam Chananæorum quidã potens cõdidit, q̃ patrio ſermone vocaret Rex Iuſtus, quã primò Solymã nũcupauit, poſteà templũ addidit: vnde Hieroſolyma dicta ciuitas eſt. A principio ſuos incolas habuit de gente Chananæorũ. Dauid primus vir Hebræus Chananæos expulit, conſtituit ſuos, qui in ea ſibi domum Regiam fecit. Voluit & templum Deo cõdere, ſed prohibitus oraculo, Solomonem hæredem reliquit: qui templum, quod ipſe vouerat, ædificaret. Solomon itaque templum fundauit. Reliqui quoq; Reges ad ornatum vrbis addidère plurima: inuidia ex magnificẽtia orta eſt. Inter omnia tamẽ opera templum præcellebat ampliſsimo opere & ful-

&fulgenti marmore, peripetaſma pretioſum & maximum, cocco & hyacintho biſſoque intextum, ex purpura non otioſa materia tantæ diuerſitatis, ſed cuius ſpecies rerum latentium myſteria ſignaret: eò quòd eius eſſet templum, qui cœlo & aeri, terræ & mari, quaſi creator elementorum dominaretur, atque omnia ſolus regeret, & gubernaret. Cocco enim igneum cœlum figuratur, hyacintho aer, byſſo terra, mare purpura, quæ conchylijs maritimis inficitur: vt duo ex colore, duo ex generatione colligas. Deniq; Princeps Sacerdotum hæc quatuor indumento ſuo exprimere conſueuerat, quando maxima celebritas erat feſtorum dierum, quaſi totum mundum indueret, pro populo ſupplicaturus, in eius figura, qui venturus erat Princeps Sacerdotum Ieſus, vt tolleret peccatum mundi. Fœmora Princeps Sacerdotum linteo interiùs operimento tegebat, eò quòd præ cæteris in Sacerdote fides mentis queritur, & corporis caſtimonia, quę ſuccingere debeat carnis intemperantiam. Duo erãt tabernacula ſacra, vnum interius



interius, aliud exterius: in hoc ſemper introibant ſacerdotes: in illud interius, quod ſanctum appellabatur, ſemel introibat Princeps ſacerdotum, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſe & pro populi ignorantia atque delicto. Hoc ſignificante Spiritu ſancto venturum Ieſum, qui verè ſolus intraret in interiora diuinorum penetralia ſacramentorum, & arcana ſubſtantia cœleſtis: qui noſſet omnia ſolus, patrem quoque ſanguine ſuo toti mundo reconciliaret, vt & cœleſtiũ & terreſtriũ miſereretur. Deniq; poſteaquàm venit, pacificauit omnia per ſanguinem crucis ſuæ, quæ in cœlo vel in terra ſunt. Intùs thimiateriũ, intùs menſa, intùs lucerna. Thymiaterium, quòd ita ad Deum Patrem, ſicut incenſum, dirigatur maximè ſacerdotalis oratio. Mẽſa, quòd in ea paſsio Chriſti ſit, & myſteria ſacramentorum. Vnde Dauid dicit: Paraſti in conſpectu meo menſam, cuius veluti duodecim panes, duodecim Apoſtoli teſtes ſunt paſsionis eius ac reſurrectionis. Lucerna, quæ ſuper candelabrum ponitur, antè ſub modio erat, id

 eſt,

eſt, legis menſura: nunc eſt in gratię plenitudine, heptamycho frequens lumen effundēs, eò quòd ſpiritus ſanctus ſeptem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminet. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat tēpli, quæ dicebantur ſancta ſanctorum, vbi repoſita quōdam virga Aaron floruit: quòd gratia ſacerdotalis in Chriſto ampliùs eſſet operatura poſt mortē, qua mundum redemit. Iudęi ergo ſi voluiſſent credere, euidentia imminentis excidij ſigna habebant, quibus velut claris vocibus admonebantur, finem ſibi affore. Nam per annum fermè ſupra templum ipſum cometes arſit gladij quadam pendentis ſimilitudine, denuntians quoq; ferro & igni, gentis & regni vrbisq; ipſius vaſtitatem futurā. Quid enim ſimilitudo gladij niſi bellum, quid ignis niſi incēdium denuntiaret? Viſus autem eſt priuſquàm populus à Romanis ſeſe diſſociaret. Ipſis verò Paſchę dieb⁹ vndecimi mēſis octauo die, per ſingulas noctes hora circiter nona, templum & ara eius ita lumine refulgebat, quaſi dies eſſet per mediā fere horā quotidie



quotidie manens: quod vulgus interpretabatur cumulādæ gentis indicium videri: eoq; impulſi ſunt tanquā tempus afferet libertatis recipiendę. Prudētiores cōtrà opinabātur, q̧ hoc genus ſtellę bellum ſoleat denuntiare. Ne quiſquam arbitraret nos aliena à cultu noſtro & diſciplina locutos, primùm, nō quid nobis videatur aſtruimus, ſed quid acciderit, quęue opiniones tunc temporis fuerint, quid prudentes ſenſerint, quid imprudentes: neque cùm de ſecta Iudæorum quid dictum eſt, ita ſcriptum videatur à nobis quaſi in veritate cult⁹ eorum non quaſi in vmbra, & figura prēmiſſum cōtexuerim⁹, vt ſequeremur perfectiora. Nā de ſignis ſtellarū etiā in Euāgelio docemur, quia erunt ſigna in Sole & Luna & in ſtellis. Vitulę quoq; aſſeruerūt partu, cū immolāda aſtaret altaribus in medio tēpli agnā editā in ipſis ſacrorū, q̄ ſuprà memorauim⁹, celebritatib⁹. Orientalē quoq; portā interiorē ſolido ęre grauē, quę ſoleret ad veſperā viginti virorū claudi labore, obſeratis vectibus ferreis, per aliquod noctes ſpontè reſeratam,

Xx ij &vix

& vix poſtea à cuſtodib⁹ clauſam. Id quoque arbitrabantur pleriq; futurorũ ſignũ bonorũ, quibus ingreſſuris porta aperiretur. Cõſultiores autẽ aiebant cuſtodiã templi reſolutã videri, vt queçũq; intus forent, ab hoſtibus diriperentur, exiret cultus interior, & vaſtitate euacuaretur, celebritas ſacrificiorũ deſtrueretur, quod etiã & antequã crucifigerent Chriſtũ Ieſum liquidò ſignificatũ lectio docet. Poſt multos quoq; dies figura quædã apparuit inæſtimabilis magnitudinis, quã plurimi circũſpexêre (ſicut libri Iudæorũ manifeſtarunt) & ante ſolis occaſum ſubitò viſi in nubibus currus, & acies armatę: quibus totius Iudęę regionisq; eius vrbes incurſarẽtur: ipſa autẽ Pẽtecoſtes ſolennitate ingrediẽtes ſacerdotes in tẽpli interiora, nocturno tempore vt ſacrificia aſſueta celebrarẽt, & motũ primò quendã ſenſiſſe ſe prodiderũt, & ſonitũ editũ: poſteà etiã audiſſe repentina voce clamatum: Tranſeamus hinc. Ieſus quoq; Ananię filius ruricola vir, ante quatuor annos, quàm bellũ Iudęorũ populus adoriretur, in ſumma pa

ce vrbis,



ce vrbis, & abundantia cùm ſcenopegia ſacrificijs ſolẽnibus celebrarẽtur, tẽplũ aſcendẽs cœpit clamare: Vox ab oriẽte, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox ſuper Hieroſolymã, ſuper tẽplum, vox ſuper ſponſos & ſponſas, vox ſuper omnẽ populum. Hoc noctibus & diebus vociferabat. Cõmoti primores loci corripuerunt eum, terribile vocis eius indicium perhorrẽtes, & plurimis eũ ſupplicijs affecêre, quo ſaltẽ afflictus dolore, deſineret terribilia, & plena prodigijs denuntiare. At ille nec metu vllo, nec verberibus, aut grauioribus interminationibus territus, vſum aut vocẽ mutauit, ſed in eadẽ denuntiationis perſeuerãtia, in eodẽ cõtextu ſermonum, ſine vlla obſecrationis interpolatione manebat, iniurię negligẽs, affectu immobilis. Quod nequaquã perfunctorium rati, ſed in exceſſu mẽtis, vt erat, exprimi, detulerunt ad loci iudicẽ, qui tunc tẽporis à Romanis per id loci publica agitabat negotia. Is rimãdæ veritatis gratia, ſæuiſsimis eum pœnis exhulcerauit. Quò magis pſeueraret, eò vehementiùs corripi flagel-



lis ho-

lis hominẽ iubet, vt ſi qua ſecretiora fu-
turi tumult⁹ indicia cõperiſſet, manife-
ſtaret. At ille neq; fleuit, neque rogauit,
ſed ad ſingula verbera, nõ ſuũ, ſed patriæ
excidium flebiliter deplorabat, dicẽs: Væ
Hieroſolymis. Neq; interrogatus quis
eſſet, vel vnde, vel cur eadẽ diceret, reſpõ
ſum reddidit: ſed tantũmodo lamentatio
nẽ illam patrię quęſtu miſerabili proſe-
quebãt. Defeſſus itaq; Albin⁹, hoc enim
nomẽ viro, dimiſit eũ tanq̃ dementi fu-
rore, quid diceret nõ ſentientẽ. At ille
neq; ſermonẽ vllũ cũ quoquã habebat,
neq; aliud loqui per reliquum tẽpus au
ditus eſt, ſed hoc tanquã lugubre atq; fu
nereum canticũ canẽs, diebus & nocti-
bus iugiter reſultabat: neque cibum im
pertiẽti gratias agebat: vna erat ad oẽs
eademq; plena funebris vlulatus reſpõ-
ſio, & maximè ſacrificiorũ celebritatib⁹.
Per ſeptem itaque annos, & quinque
menſes eadem verborum ſeries, idem
vocis ſonus. Manſit itaque indefeſſus
tanto tempore: vbi obſidio cœpit, eadem
ille vociferari deſtituit, quaſi ceſſari o-
porteret denuntiationem, cùm adeſſent,





quæ fuerant denuntiata. Sed vbi cœpit
flamma vrbem pariter & templum in-
uoluere, circũiens murum clamare cœ-
pit iterum: væ ciuitati & populo & tem-
plo. Et ad poſtremum addidit, væ etiam
mihi, & fundibulari ictu in eadem voce
emiſit ſpiritum. Vrbem etiam cum tem-
plo, vetuſtis etiam literis ſcriptum erat,
tunc perituram, cùm terragonum tem-
plum factum fuiſſet. Itaque ſiue obliti, ſi
ue obſtupefacti ingruentium malorum
neceſsitate, vbi occupata eſt Antonia,
tetragonum in circuitu templi defece-
runt. Interque illud precellentiſsimum,
quod in literis æquè vetuſtis (quas
ſacras vocabant) manebat impreſſum,
quòd ſecundum illud tempus futurus
eſſet vir, qui de regione eorum imperi-
um aſſumeret in orbem terrarum. Quæ
res eos in tanto furore poſuit, vt ſibi
non ſolùm libertatem, ſed etiam re-
gnum pollicerentur. Id alij ad Veſpa-
ſianum referendum putarunt, pruden-
tiores ad Dominum Ieſum, qui ſecundũ
carnem genitus ex Maria, regnum ſu-
um per vniuerſum mundum diffudit.

Tantis itaq; rebus manentibus, non potuerunt cauere, quod diuinitùs decernebat. Manifestã enim Dei in ſe cognoſcẽtes iram, ad conſolationis alicuius remediũ pertingere renuerunt, tanta ſceleris obnubilatio mentium oculos obduxerat. Deſperatis ſiquidem & eorũ rebus, autor turbarum Eleazarus, inter cætera diffidentię verba, abiectionis ſuę à Deo ſic cõqueſtus eſt: O miſeri, ad quã ſpem iſtius vitæ nos reſeruamus? Eſto, hoſtis ignoſcat, quid ꝓderit cũ Dei offenſa clara ſit? ignes ab hoſte in nos verſi, mutata ventorum flamma, flammæ retortæ, vt noſtra ſubſidia demerẽtur? Quis poterit aduerſante Deo viuere? Nullus venię locus, ſed manifeſtum voluntarię mortis imperiũ. Quid enim nox interuenit, niſi vt nos hoſtis non pręueniret? nec deuſto murali pręſidio continuò irrumperet? Sed vt nobis exercendæ mutuę necis tempus reſeruaretur, liceretq; cũ liberis noſtris & neceſſitudinibus mori, ne videremus anhelos ſenes, anusq; à Romanis pertrahi, chariſſimas coniuges ad victoris libidinem rapi. Commoriamur patrię, ne ſimus





mus ſuperſtites tanti dedecoris opprobrio. Quò igitur fugiemus à facię Dei, aut quò ibimus infenſo nobis cœli Domino? Si cadant ſup nos mõtes, & concauis ſpecubus abſcondãt, qũo tamen poterimus declinare indignationem tantæ poteſtatis? quò enim ꝓgrediemur, vbi nõ ſit Deꝰ, cùm ipſe vbiq; ſit? An mediocria exẽpla ſunt, quibus doceamur, ꝙ iãdudũ gẽti noſtræ ꝓ peccatis noſtris infeſtus ſit, ꝗ antè ꝑſidebat? Quis hoc dubitet, cũ videat, ꝙ in nos manꝰ noſtræ cõuerſæ ſint, pluresq; ſeditio domeſtica, ꝗ̃ bellũ extinxerit? Nõ donabo Rom. ꝙ vicerit, nec ipſi ſibi hoc vendicãt, qui ſciũt, ꝙ oẽs ferè noſtris potiùs armis, ꝗ̃ alienis perierimus: quiq; Rom. arma viderunt Cęſareã inhabitantes Iudæi, quorum feriato die ſabbati, inter ſolẽnes noſtrorum ſacrorum cultꝰ, multitudo gentilium Cęſarienſiũ, repentino quodã impetu, & miſſo deſup furore ſuccenſa, viginti millia deleuit, omnes fugauit, vt totã vrbẽ exinaniret. Nõne Syriam totã quidem impleuit dementia, vt Iudæi atq; gentiles in iiſdem vrbibus ſiti, & incolatus gratia ſibi priùs

nexi, poſteà inter ſe armis colliderent, quò Romanis vadũ futuræ victoriæ conſtituerent? Nã quid de Scythopoli loquar, quò Iudæi primò contenderãt, vt gentilem populum p̃uenirent, ne q̃d aduerſus noſtros exẽplo cæterarum vrbiũ machinarent? Itaq; quos par fuit cõiunctos aduerſum alienigenas viribus bello decernere, hæc è contrario aduerſum ſe Iudæi decertauerunt, vt pars eorum aduerſus cognatos & proximos ſuos prędiaretur. Deinde ipſi ꝓ pretio laboris, & impenſi ſanguinis à gẽtilibus perimerent, quod ꝓhibuerunt ipſi fieri in gentibus. Damaſceni nulla exiſtẽte cauſa, octo millia Iudæorum ſtrauerũt. Aſcalonitæ duo millia quingentos. In vrbe quoq;, cui Ptolemais nomẽ, cæſi duo millia. Alexandriæ verò vetus erat odiũ inter Iudæos & gentium populos, ex quo Magnus Alexãder vſus eſt ſtudio Iudęorũ ad Aegyptios ſubijciendos: vnde cõdita vrbe ex æquo Iudæis & Aegyptijs attributa priuilegia, & habitationes diuerſæ, ne eorũ cult⁹ ꝑmiſceret: ꝗ purificationes ſuas ſine vlla volebant contagione ſeruare. Hinc frequẽtes



tes inter eos conflictus fuêre, exorta iurgia, iudicium petitũ. Nihil tamen ex tãti Regis temeratũ liquet fuiſſe beneficijs, ſed poſteà à gẽtilibus exorto tumultu, cũ Iudæorũ necati aliqui, alij ad pœnã detinent: iniuria motum Iudæorũ populum aduerſum autores iniuriæ inſurrexiſſe: & cùm ꝑtinaciùs ſe de ciuibus vltum iri vellent, inductum exercitũ Rom. ꝗ ſexaginta Iudæorũ millia intra vrbẽ fuderit. Verùm quid in leuioribus moror, cũ excidiũ totius vrbis in vnius ciuitatis ruina nobis deplorandũ ſit? Vbi eſt maxima ciuitas Hieruſalem? vbi decora Sion? vbi templum mirabile? vbi ſecundum illud tabernaculũ ſanctitatis ſacrarium, quo ſemel in anno ſolus Princeps Sacerdotum ſolebat intrare non ſine ſanguine, quẽ ꝓ ſe offerret & populi delicto? Profanatum gentibus, habitant in reliquijs vrbis, qui eam deſtruxerunt. Vbi, inquã, es ciuitas referta populis, venerabilis Regibus, acceptabilis Deo, gratiæ ſedes? pauimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioſo ſplendebãt marmore, portę tuę micantes

cãtes auro, alię argẽto renitẽtes. Omnes interfecti, & qui te iugiter inhabitabãt, & qui ad te & totius orbis terrarum partibus conueniebãt, vt nõ dubium ſit totum in te mundum perijſſe. Nudata omnia, à culminibus cremata, à fundamẽtis diruta; facta eſt habitatio tua deſerta, nec eſt qui in tabernaculis inhabitet, & adhuc quenquã viuere libet, & non vixiſſe pœnitet? Duri oculi, qui hæc videre poſſunt; immites animi, qui vel poſſunt quãtis ſuperſint doloribus, nõ quod defecerit clades, ſed ꝙ iam nulla requies. Quò enim circunferam⁹ oculos, aut quid decernere delectet? vrbs tota ſepulchrum mortuorum eſt, ſolẽ ſpectantibus occurrunt fauillę, vię vacuę viuẽtium, replete cadaueribus. Miſeri ſeniores cinerulẽta canitie, & ſciſſo amictu ſupra reliquias mortuorum ſedẽt, nuda tegentes oſſa, quò defendãt à volatilib⁹ ac beſtijs. Mulieres paucę incolumes, quas miles impius ad turpitudinẽ, nõ ad vitã ſeruauerit. Quis hæc videns & de cõperendinatione viuẽdi cogitans, audeat ad cœlum leuare oculos? Quis ſic immemor patriæ, hoſtis



ſtis ſuorũ, pietatis alienus, expers dulcedinis, cuius tã ſemiuiri ſit mollis ſpirit⁹? Quis ita meticuloſus, quẽ nõ pudeat his reſeruatum? Vtinã quidẽ olim defuncti eſſemus, aut ſi vita ſupereſſet, oculorũ lumen perijſſet, priuſquã ſanctã vrbem dirutã hoſtium manibus intueremur, tẽplumq; hoc à maioribus noſtris ſacratũ Deo, tam impiè flammis cremari, aut Sacerdotes in tẽplo conſpiceremus iacere interfectos. Emẽdemus ergo, ꝙ his ſupuiximus malis, vt videamur non vitæ ſtudio diſtuliſſe mortem, ſed virtutis intentione. Circũuallauit hoſtis omne munimentũ. Nil ſupeſt, niſi aut nos, aut cõiuges noſtrę: iã ſibi filios noſtros in auctione cõſtituunt, certãtq; inter ſe, quis cui⁹ abducat vxorẽ, vtrum ꝓ dignitatũ meritis pſonarumúe ordinibus diſtribuendæ ſint, an ſortib⁹ ſubire cogẽdi miſerabiles, nobis quoq; paranť ꝓdigia pœnarũ, tormenta exquiſitiſsima: non ſolũ ardentes flãmæ, aut diuerſę neces victricis ictu ſecuris: duro quidẽ poſt vincula, poſt carcerem, poſt iugum ſupplicio, ſed tolerabiliore viris, ſi ludibrio vacet, ſed etiam

auulſi

auulſi artus viuẽtibus,& pręcipuè truncatę manus. Nec immeritò, quia defuerũt ſuo muneri,cùm poſſent ſibi ſubuenire. Subeundi quoq; morſus ferarũ ad victorum ſpectaculum,quod diuerſis iã celebratur arenis vrbium: vel exẽplo nobis debet eſſe pudendum,vel viſu mirabile,vt reſeruemur,aut beſtijs, aut fratribus præliaturi. Et id genus plena diffidentię &deſperationis. Alia multa,ex quibus omnibus cùm Iudæi ſibi manifeſtè iratũ ex rerum euentibus Deũ cognouiſſent, non ſicut Deũ glorificauerunt aut gratias egerunt, ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcutarum eſt inſipiens cor eorum,&eũ,qui ad oues tantùm domus Iſrael perditas venerat, oderunt:odientes crucifixerunt, & gloriam reſurrectionis euacuare moliti ſunt. Nam ſi non cognouiſſent, rei adeò nequaquam extitiſſent. Vnde ipſe de eis Dominus: Si non veniſſem &locutus eis fuiſſem,peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrẽ meũ. Cognouerunt ſiquidẽ ex patre, quomodo & dęmones,dicentes: Scimus ꝙ ſis filius


li⁹ Dei:vidẽtes mirabilia, & audiẽtes mirabiliora, ſed nõ cognouerunt rei veritatẽ:quia duri cordes detrectauerũt credere. Si enim credentes verè cognouiſſent, nunquã Dominũ glorię (vt ait Paulus) crucifixiſſent: Hinc ꝓpheta: Cognouit bos poſſeſſorẽ ſuũ,& aſinus pſepe Domini ſui,Iſrael autẽ me nõ cognouit. Quid ꝑ bouẽ,niſi pdicator ſanct⁹ quiſq; intelligit,in ſemine verbi Dei illaborãs? Quid per aſinũ, niſi brutus gentiũ popul⁹ deſignat⁹q audiẽs paſtoris cuiuſlibet prędicationẽ,mox ad pſepe Domini cucurrit, vt pabulo verbi Dei adhęreret. Benè autẽ poſt quadraginta & duos viſitationis ſuę annos Iſrael à terra repromiſsionis exterminat̃, quia poſt quadragĩta egreſſionis ab Aegypto ãnos, in eã introduct⁹ perhibet̃:in quib⁹ duas decalogi lapideas ſecũdo ſuſcepit tabulas,ꝑ quas pfigurat̃ bieniũ, ad euerſionis numerũ deſtinatũ, in quib⁹ etiã maximè notãda eſt ęnei ſerpentis exaltatio, cuius reſpectu quiſq; moribundus vitæ reſtituebatur? Sicut enim illo temporis ſpatio & manna paſti ſunt, & per mediatorem Moſen legem

legem tabulis deſcriptã lapideis accepe-
rũt,& qui in articulo mortis ſerpentem
non reſpexerunt exaltatũ, perierunt: ſic
intra hoc euerſionis tempus, verũ mãna
(vnde dictum fuerat: Ego ſum panis vi-
uus, qui de cœlo, &c.) haurire ſalubriter
renuentes, verumq; mediatorẽ Chriſtũ
Ieſum, de quo pcinebat: Prophetã vobis
ſuſcitabit Dominus Deus veſter de fra-
trib⁹ veſtris, tanq̃ meipſum audietis: quẽ
ſi qs nõ audierit, exterminabit de popu-
lo ſuo: eiusq; legalia in ſeipſo vera petra
deſcripta ſequi diſsimulãtes, exaltatũ in
cruce, & à mortuis ſurrexiſſe, ſub articu
lo miſerrimæ euerſionis credere reſpuẽ-
tes, à terra pmiſsionis exterminati, perie
runt: vt popul⁹ ille, q̃ ſedebat in tenebris,
& habitabat in regione vmbræ mortis,
lucem ęternã videns reſurrectionis, in eã
cũ plenitudine ſua introeat, & ſic reliquæ
Iſrael ſaluæ fiant, quatenus ex duobus pa
rietibus, vna cõferatur in reſurrectione
Eccleſia ſuper illũ lapidem angularem,
qui faciet vtraq; vnum, Dominum no-
ſtrum Chriſtum Ieſum, qui viuit & re-
gnat in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.

## IN PRAEFATIONEM AVTO- toris caſtigatio & annotatio Corn. Gualt.

### Fol. 2. verſu 17.

IDeo per Principes ductum Hebræorum genus omne cõſideremus, &c.] Cùm hîc autor moneat conſiderandum genus Hebræorum per Principes ductum, vt liquidò clareat, vtrùm à Senioribus (vel potiùs femoribus) Iudæ nuſquàm generationis eius ſucceſsio claudicauerit, an verò offenderit in Principum ſerie, &c. nõ præter rem me facturum putaui, ſi hîc ſucceſsionem generationis à fœmoribus Iudę per Principes ductam poſt Regum Catalogum, qui in regnorum libris explicatur, ſtudioſo Lectori ob oculos ponerem. Priùs tamen locus iſte à mendo, quod quorundam imperitia irrepſit, & impreſſos codices paſsim occupauit, mihi vindicandus eſt. Nã vbi legitur, vtrùm à Senioribus Iudæ nuſq̃ generationis eius ſucceſsio claudicauerit, &c. Hîc vetus codex legit, vtrũ à femoribus Iudæ, quæ lectio verior eſt, & neceſſariò reponenda: cùm autor hoc loco alludat ad inſignem illam de Chriſto Prophetiam, quæ Geneſis cap. 49. habetur, vbi Iacob in benedictionibus Iudę filio

factis ſic loquitur, vt habet vetus trãslatio; quam autor ſequutus videtur: Non auferetur Princeps de Iuda, neque Dux de femore eius, &c. Nunc verò ad id, quod initiò polliciti ſumus, accedamus.

Poſt mortem Ieconiæ Regis, qui in Babylone mortuus eſt, cœperunt illi, qui ex poſteritate Dauidis populi imperium obtinebãt, omiſſo Regis nomine, Principes ac Duces ſe vocare. Quod ob reuerentiam Regũ Perſicorum, à quibus ingentia beneficia acceperant, quidam factum tradunt. Primus hic Dux Salathiel filius Neri, vt Lucas Euangeliſta teſtatur, quem Neri Ieconiam fuiſſe ſcribunt. Salathielem ſequitur Zorobabel filius, Dux in reditu populi Hieroſolymam primus, annis quinquaginta octo præfuit. Poſt quem Roſa Meſollam annis ſexaginta ſex. Iohanna ben Reſa tertius à Zorobabel Dux annis quinquaginta tribus. Iudas Hyrcanus huius cognominis primus, Dux quartus, tẽporibus Alexãdri Magni 14. annis hoc munus adminiſtrauit. Poſt eũ Ioſephus eius nominis primus, & quintus in Ducũ ſerie, ſeptẽ annis præfuit à temporibus Alexãdri Magni. Abner Semei Dux ſextus, annis 11. Poſt Abner Semei, Dux 7. Eli Matathia, annis 12. Inde Aſar Mahat Dux octauus, annis 9. Nagia Artazat nonus, annis decẽ præfuit. Videtur hũc Lucas Esli vocare. Maslor Naum vndecimus, ſeptem annis. Poſt quẽ Dux duodecimus Amos Syrach, annis quatuordecim. Matathia Silioach tredecimus, annis decem. Hic à Ioſepho Tobias vocari videtur. Poſt Tobiam Ioſephus iunior, decimus quartus Dux, cognominatus Arſes, annis ſexaginta, qui filius Tobiæ ex filia Simonis ſummi Sacerdotis fuit. Hinc Ianna ſecundus, Hyrcanus cognominatus, quintus decimus Dux, cũ præfuiſſet annis ſedecim, in defenſione arcis cuiuſdam, quam oppugnauit Antiochus Epiphanes, interfectus narratur. Hunc Ianna nonnulli poſtremum Ducum ex poſteritate Dauidis fuiſſe volũt. Cùm verò ſcelera Pontificum, qui maxima pollebãt in populo autoritate, Antiochum Epiphanem in Iudæam adtraxiſſent, isque eam dura ac miſerabili ſeruitute opprimeret, principatus quoque gentis minùs conſpicuus eſſe cœpit: & veriſimile eſt, tum illos, qui erãt ex poſteritate Dauidis, veritos fuiſſe, ſe Duces populo præſtare, aut nomine illo in publico vti. Itaque principatum gentis aliquandiu intermiſſum ac diſsimulatum, aut ſaltem non ita palàm, & cum autoritate adminiſtratum, donec Machabæi

Antiochi Regis crudelitati ac impietati fortiter ſe opponerent, Ducisque munus ſtrenuè obirēt, qui tunc ipſum quoque nomen aucta paulatim felici rerum ſucceſſu potentia, in ſuam familiam adduxerūt. Summum præterea ſacerdotium & tunc aliquandiu intermiſſum, poſteaquàm fauore populi ob egregia illius familiæ in eam Rempub. merita Ionathæ fratri Iudæ Machabęi delatum fuiſſet, in vſum reuocarunt. In qua familia manſit principatus cum ſummo ſacerdotio, donec Ariſtobulus filius Hyrcani illum in regni potentiam cōuertit, & primus (vt hîc autor ſcribit) diadema imponere ſibi vſurpauit. Quod regnum deinceps illa familia retinuit, donec illud Herodes Antipatri fili', qui Idumæus popularis & prorſus alienigena fuit, inuaſit: ac occiſo Antigono Ariſtobuli ſecūdi filio prorſus obtinuit, vt in hoc Herode ſucceſsio generationis à femoribus Iudæ, in ſerie Ducum, prorſus claudicaſſe ac offendiſſe cognoſcatur. Quàmuis & priùs defeciſſe in Ianna ſecundo Hyrcano alijs videatur, cùm iam aduentus Meſsiæ non ita longè abeſſet centum & ſeptuaginta circiter annis. Machabæos nihilominùs adhuc in Ducum ſerie per ſucceſsionem generationis à fœmoribus Iudæ cenſendos probabiliter



probabiliter quis dixerit, licèt de tribu Leui fuerint, quod eam Tribuni tribui Iudæ, imò poſteris Dauidis cōiunctam, & per matrimonia commixtā fuiſſe conſtet. Vt in Tobia aliàs Matathia de genere Dauidis videre eſt, qui Simonis ſummi Pontif. filiā Onię ſororem in matrimonium accepit, ex quo Ioſephus iunior, cuius filius Ianna ſecūdus, & alij ex poſteritate Dauidis numerantur. Eliſabeth quoque de filiabus Aaronis cognatam Mariæ ex familia Dauidis fuiſſe Lucas Euangeliſta teſtatur. Hæc tamen pio Lectori diligentiùs excutienda relinquimus, Ducum deinceps ſeriem ex familia Machabæorū primus liber hui' hiſtorię ſatis explicat, vt idem repetere ſuperuacaneū fuerit.

## IN CAPVT PRIMVM CASTIgationes & Annotationes Corn. Gualt.

### Cap. I. fol. 3.

Antiochus, cui nomen illuſtris, &c.] Illuſtrem hîc vocat, quemadmodum & primus liber Machabæorum, qui Græcè ἐπιφανὴς dicitur, Græcam vocem Epiphanes Rufinus in trāſlatione Ioſephi reliquit. Secundus verò Machabæorum illam aliter Latinè expreſsit, dū nobilē cognominauit.

Antiochi Regis filius,&c.] Hic Antiochus Magnus dictus eſt.

Fol.4.

Atque Aſidæis in ſocietatem aſcitis,&c.] Vt viri fortes de ſynagoga Aſidæorũ, quæ erat Hieroſolymis, ſe Machabęis coniunxerint, ſcribit primus liber Machabæorum, cap.2. non Ioſephus.

Sicut iam plerique eorum, &c. irruentibus in ſe hoſtib⁹, multi occubuêre.] Codex manuſcriptus hîc expreſſe pro, multi, legit inulti: ſed facilè fuit mutare dictiones propter vicinitatem literarum. Scripti codicis lectionem veriorẽ eſſe Ioſephus, & primus liber Machabæorũ declarant, qui illos exuſtos fuiſſe referunt, cùm ſe vlciſci aut defendere nollent, ob religionem diei ſabbati.

Ducemque his Iudam Machabæum,&c.]
Exod.15. Machabæi cognomẽtum Iudam hoc pacto ſibi inueniſſe tradunt nonnulli, quòd cùm ille verbis illis Moſi, Quis ſicut tu in Dijs Domine, pro ſymbolo vteretur ex initialibus Hebraicarum dictionum literis in vnã dictionem coniunctis, factum nomen Machabæi. Sententia ſic hodie Hebraicè legitur: Mi camocha baelim Iehoua.

Quod Hieronymus vertit: Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Veteres hîc aliter nonnihil puncta vocalia pronunciaſſe videntur.



Fol.5.

Prætentata per dolum amicitiæ fide,&c.] Codex antiquus habet, prętenta, quæ lectio verior eſt: vult enim autor ſignificare, Tryphonem Tyrannum demonſtraſſe fidem amicitiæ per dolum: itaque prætendiſſe, non prætentaſſe fidem amicitiæ. Pũctus inciſionis vitioſe hîc dictioni amicitiæ ſuppoſitus eſt, cùm poſt dictionem fide poni debuerit, alioquin perturbat lectorem. Sed de huiuſmodi vitijs, quę ſubinde incuria typographi admiſſa videntur, ſuo loco dicetur.

Fol.6.

Qui vincebat fortitudinis aſſumptionẽ, &c.] Codex vetus habet in ablatiuo, aſſumptione, quomodo legendum indicant, quæ præcedunt, vbi dicitur: Vincebatur iuuenis pietatis metu, qui vincebat fortitudinis aſſumptione.

Fol.7.

Nec Antiochus quieuit,&c.] Cùm Antiochum ſine cognomento ponat, pluresq; fuerint hoc noĩe, & ſub idẽ ferè tempus, dubiũ videri poſſet, de quo hîc intelligeretur. Sed ex Ioſepho alijsq; conſtat, hunc fuiſſe Antiochũ Soterẽ dictum, cui frater erat Demetri⁹ Nicanor, ipſi verò erant filij illius Demetrij, qui

qui fratrem habuit Antiochum Epiphanē, quorum pater Antiochus cognomento Magnus. Fol.8.

Repulit Hircanus auro, quem ferro nequibat, reſeratoque (vt Ioſephus auctor) Dauid ſepulchro, tria millia auri talenta eruit, &c.] Qui veterem monetam ad noſtri tēporis pecuniam æſtimare ſunt conati, hāc ſummā trium millium talentorū, decies octies centena coronatorum millia valere docuerunt, vel vt alij loquuntur, decem & octo tonnas auri. Ibidem.

Opem ab Antiocho, cui nomen Aſpondius, &c.] Hic Antiochus, aliâs Cyzicenus cognominatur, frater fuit Antiochi Griphi, quorum pater Demetrius Nicanor, de quo paulò antè. Fol.9.

Qui nihil vnquàm vel fortitudini ſæuientibus dereliquerit, in quo actus eius obfuſcaretur, &c.] Codicis antiqui fuit hîc deprauata lectio, vt in impreſsis niſi quod annotatum erat in margine, pro fortitudine ſęuientibus, poſſe legi fortuitis euentibus, vt ſenſus aliquis appareret, ac intelligatur, Hyrcanum nihil vnquā dereliquiſſe fortuitis euentibus, id eſt, fortunę permiſiſſe, in quo actus eius obfuſcaretur, qua ratione ſenſus vtcunque conſtat.

Fol.



Fol.10. cap.2.

Siquidem Ariſtobulus, cui inter fratres ætas prouectior, mens promptior, &c.] Vetus codex habet mens præruptior, quæ lectio magis mihi probatur, & germana videtur, eò quòd hîc autor improbitatē Ariſtobuli hac dictione metaphoricôs ſumpta, voluerit notare, non promptitudinem mentis commendare. Vtitur eadem dictione autor infrà figurata quoque ſignificatione. Conſpirantibus (inquit) ſecum, quos ſeruor naturæ ad prærupta quæque audendum cupienti adiunxerat.

Cap.4. fol.12.

Inuidiæ tribuens dilationis amaritudinem, &c.] ſcribendum delationis.

Cap.5. fol.12.

Ilicò ad templum, quid enim præferret religioni?] Codex vetuſtus, Ecquid legit.

Hinc componitur calumnia ex acerbo felle, & acerbiore, &c.] Ex præpoſitio in codice manuſcripto omittitur.

Cap.6. fol.13.

Quòd pompam armatorum celebratiorem quàm priuatis mos eſt, direxerit, oſtentui vulgo futurum, &c.] In codice manuſcripto futuram genere fœminino legitur, vt ad pompam referatur, quam lectionē quidam-

dam antè impreſsi libri etiam habuerunt.

Ibidem.

Haud difficilè ęger animus in valido feſſus corpore impulſus eſt, &c.] Manuſcriptꝰ hîc vna dictione inualido legit, vt ſignificetur corpus non validũ, ſed infirmum. Nam idem autor ſuprà Ariſtobulũ ægrotaſſe ſcribit, vtiturque eadem dictione in eodem ſignificatu, infrà de Ariſtobulo loquens: Dure ſolicitudines ſauciabant inualidos artus.

Stipatores ſuos cũ armis iubet in hypogeo locari obſcuro &c.] Hypogeũ, hoc eſt locũ ſubterraneum, Ruffinus in bello Iudaico obſcurum tranſitum vertit, ſicut & in antiquitatibus legitur, vbi Sigiſmundus Gislenus hunc quoque locum cellam ſubterraneam turris, interpretatus eſt.

Qui aduenientem Antigonum dolo necarent, nec expectarent Regis imperium, ſed ipſi extinguerent, &c.] Locum hunc ſciolus quiſpiam deprauauit. Nam cùm vetus codex rectè hîc legat, Antigonum diloricarent, ille vel verbi inſolentia offenſus, vel quòd literæ eſſent obſoletæ, pro eo, dolo necarent, ſubſtituit. Cur autem vetuſti codicis lectio mihi magis probetur, imò vt vera germanaque reſtituenda videatur, paucis declarabo. Cùm enim ſtatim ſequitur, vt ipſi



ipſi miniſtri extinguerẽt Antigonum, illud dolo necarent, ſuperfluum eſſe agnoſcitur: Ariſtobulus enim tum demum Antigonum fratrem occidi iuſſerat, ſi ille armatus veniſſe ad ſe contra ipſius Regis imperium deprehenſus fuiſſet: iubet itaque miniſtros in itinere obſeruare, num veniret armatus, & vbi hoc forent conſpicati, tum ſtatim eum aggrederentur, armatum diloricarent, ſiue armis ea diſcindendo, exuerent, ac ſi demum extinguerent, nec vltra regis expectarent mandatum. Hunc autem morem armatos priuſquàm interficerentur exarmandi, probat mors Simonis fratris Iudæ Machabæi ſuperiùs deſcripta, vbi Simonem dolo Ptolomæi generi ſui ad conuiuium rogatum inter menſas & pocula cum duobus filijs qui aderant circumuentum prius armis exutum fuiſſe, quàm neci traderetur, ſcribitur: Ciceronem verò eadem dictione vſum legimus: Qui, inquit, in hac cauſa peraranda non dubitauit excitare reum conſularẽ, & eius diloricare tunicam, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendere: quod exemplum idem Cicero alibi commemorans, tunicam à pectore deſcidiſſe ſcribit, quo dictionem ſuperiùs Metaphoricῶs poſitam interpretatus videtur.

ſimile

ſimile exemplum legere eſt apud hunc autore͂,vbi de Antipatro cauſam ſuam coram Iul. Cæſare agente eade͂ referu͂tur,& participium eiuſdem verbi ponitur:Scidit,inquit, Antipater veſtem, & nudus veſtime͂torum, plenus vulnerum, diloricato amictu offerens oculis circunſtantium ſpectatæ inducię virtutis,&c. Sed hæc eò prolixiùs explicaui,ne locus in poſterum temerè deprauetur. Fol. 14.

Quo deceptum vocabulo Iudam ,qui erat Eſſenus genere,opinio eſt,&c. ] In codice vet. Eſſeus ſcribitur , ſicut apud Ioſephum frequentior, quamq̄ & Eſſenus alibi legatur, qua dictione etiā Plinius vſus eſt. Qui verò fuerint Eſſei,hic paucis annotare viſum eſt:Eſſeos autem, id eſt, operarios dictos à verbo עשה plerique exiſtimant, quanquàm Euſebius eos,θεωρητικούς,id eſt, ſpeculatiuos videatur appellaſſe, & tunc ab חזה,quod eſt conſiderare ac ſpeculari, originem nominis deduxiſſe. Fuerunt autem Eſſei diuerſi à ſecta Phariſæorum & Saducæorum.Nam cùm viderent prophanam licentiam Saducęorum,neque probarent hiſtrionicam ſimulationem Phariſæorum,vitam ſuam ad veram pietatem,morum honeſtatem vtilesq́; corporis labores ſedulò co͂poſuerunt, Collegia ſiue ſcholas inſtituerunt,in quibus pietas,mores honeſti,vtiles diſciplinæ,præſertim ars medica , doceretur. Qua de cauſa illos ſeceſsiſſe in extrema Iudææ ora ad lacum Aſphaltitem,& ad loca hortis Balſami,ac palmarum vicina,ſcribitur:vbi vacui à moleſtijs rei familiaris, & liberi à cura publicæ gubernationis pijs tantum exercitijs bonisque operibus incumbentes,vitam communem qualis olim monachorum fuit,ducerent.



Cap.7.fol.15.

Locus autem eius neci decretus Stratonis Turris,qui ſexcentis hinc ſtadijs abeſt, hora iam diei quarta. Te͂pore itaque excluditur prædeſtinatæ mortis fides,&c.

Aliter nonnihil in vetuſto codice legitur, addito verbo eſt, & punctis diſtinguitur, quod cùm hîc omiſſum eſſet,ac ſynceram autoris lectionem perturbaret,viſum fuit, manuſcripti codicis veriorem rectiusq́; diſtinctam lectionem adſcribere. Locus aute͂ eius neci decretus Stratonis turris eſt,qui ſexcentis ſtadijs hinc abeſt : punctus hîc addendus,hora iam diei quarta eſt.Tempore itaque excluditur, &c. Sic quoque apud Ioſephū legitur ac diſtinguitur, quare verba

ba ipſius ex translatione Rufini adſcribā. Locus autem neci eius apud Stratonis Pirgum fato fuerat deſtinatus, & ille quidem ſexcentorum abhinc ſtadiorum interuallo diſtat. Horæ iam diei ſunt quatuor, ſed & vaticinationem tempus effugit. Cum autē in antiquitatibus Ioſephus idem factum exponēs, dicat maiorem diei partem exactam fuiſſe, quomodo hoc cum tempore iā quartæ horæ diei conueniat, non video, niſi fortè dicamus, reſpexiſſe Ioſephum ad ſupputationem Eſſeorum, qui vt certam & peculiarem exercitiorum & laboris habuêre diſtinctionem, ita fortaſsis & temporis ac horarum, vt apud ipſos hora diei quarta, maior quoque pars diei foret exacta: de quo lectorem obiter admonitum volui.

Lib.1.de bel.Iud. cap.3.

Lib.13. c.18 al.19.

Cap.8.Fol.16.

Eò prorupit morbi vis, vt euulſis viſceribus ſanguinem vomitu oris reijceret, &c.] In codice antiquo ſcribitur, conuulſis.

Fol.17.

Eò quòd profunda diſpoſitione dñi libratus, &c.] lectio manuſcripti codicis conuenit cū impreſsis. Marginalis hæc annotatio diuerſæ lectionis minùs neceſſaria videtur.

Antigoni cadauer ad Ariſtobuli fratris ſanguinē clamorē emittit.] Hęc marginalis an-



annotatio repugnat mēti autoris, qui dicit: clamor ſubitò fact⁹ & gemit⁹ intuentiū, &c. Ioſeph⁹ quoq; ſcribit: vt vlulatu, inquit, eorū qui id cōſpexerāt continuò ſublato, tanq̄ puer de induſtria ſanguinē illic libaſſet, clamor ad aures regis puenerit. Non ergo cadauer Antigōi clamorē emiſit, ſed ſpectatores.

Lib.1.de bello Iud. cap.3.

Et quantū in eo erat virtutis ingemiſcēs: Haud, inquit, rependitur meritis meis congrua viciſcitudo &c.] Legitur in codice manuſcripto poſterior clauſula affiirmatiuè, hoc pacto: Et quantū in eo erat virtutis ingemiſcens, ait: Rependitur meritis meis cōgrua viciſcitudo, &c. quod cōuenit cū Ioſepho, qui ſcribit: Sperandū certè non erat, vt maximū Dei lumen facta mea nefaria laterent: nam citò me vltrix cognatæ cædis iuſtitia perſequitur.

Lib.1.ca.3.

Ac me omnes filij germaniq; vltores pietatis gladio transfigāt, &c.] in codice manuſcripto legitur in ablatiuo vltore, vt cū gladio conſtruatur.

Fol.18.

His dictis finem Imperij ac vitæ edidit vix anno functus, &c.] Codex vet. dedit: & certè, finē dare vitæ, vſitati⁹ eſt, quàm edere. Præterea hic punctus periodi vitioſè dictioni, dedit, ſubiectus eſt, cùm commatis ſiue inci-

incisionis nota fuerit adſcribenda ſequen dictio, vix non maiuſcula & initiali, ſed mi- nore litera notanda, cùm à præcedentibu adhuc dependeat ſententia. Sed quoniã frequenter in punctis aptè collocandis dictionib. conueniẽte litera exprimendis typographo erratum eſt, huiuſmodi mẽda ſuo loco ſeruabuntur.

Cap.9.fol.18.

Qui vt regnũ adeptus eſt, fratrem, quem aduerterat regni competitorem, ſtatim inte- remit, &c.] Codex vetuſtus habet, cupidio- rem, dictionem certè magis propriè ſenten- tiam auctoris reddentem. Cùm enim com- petitores dicantur, qui in magiſtratibus of- ficijs & honoribus, quæ adhuc liberè conſe- runtur, petendis concurrunt, neque id in vitio ponatur, immo ſine culpa aut repre- henſione plerunque fiat, meritò altera le- ctio hîc nobis præfertur, cùm etiam ſcriba Ioſephus alterum fratrum regnum Alexan- dro iam collatum ac confirmatum appetiiſ- ſe, immo & illi idcirco inſidiatum, ex quo cupidiorem regni fuiſſe conſtat.

Lib.1.de bel. Iud.c. 3. in Anti. Lib.13.c.19.

Eius abſentia aucupatus Alexander, &c.] Codex vetuſtus in accuſatiuo legit abſen- tiam, quem caſum conſtructio verbi exigit.

Fol.19.

Se



Sed aduentitia egrè manu licet, compreſ- ſa eſt tamen, &c.] videntur tranſpoſitæ di- ctiones, codex vetuſtus habet: ſed aduenti- tia manu ægrè licet, compreſſa eſt tamen.

Quoniam recruduerant odia ærumnæ e- ius occaſione, quia tantæ potentiæ metu pręmebantur, &c.] Codex vetuſtus legit: quæ ante metu potẽtiæ pręmebãtur, quod nobis magis probatur, cùm autor videatur hic velle ſignificare, ante illud tempus com preſſa tantum fuiſſe odia metu potentiæ Alexandri, nunc verò rurſus erupiſſe, quòd inſignem ille cladem accepiſſet.

Cap.10.fol.22.

Sed pręter vtriuſque ſpem ad alterum eorum ſpecies victoriæ peruenit, fructus al teri ad alterum partus, &c.] Duæ dictiones, ad alterum, hîc in contextum irrepſerunt, quibus vetus codex caret & planè ſuperflua videntur, cùm autor velit tantùm ſignifica- re, alteri fructum victoriæ partum, hoc eſt, acquiſitum.

Fol.23.

Reliquos coëgit in vrbem, cui nomẽ Be- ſemelel] in veteri codice ſcribitur Bemeſe- hel, quod magis cõuenit cum Ioſepho, qui ait, cæteros in Bemeſelim ciuitatẽ cõpulit.

Cap.11.fol.24.

Ipſe quoque Alexãder, &c.] quia nequa-

Zz quàm

quàm tãti exiſtimatus,&c.] manuſcriptus legit, æſtimatus, quod in ea ſignificatiõe vſitatius eſt. Quãuis idẽ autor verbũ ęſtimo,prò exiſtimo ſubinde vſurpet, cõſuetudine ſui temporis,cùm iam Romanus ſermo in peregrinas loquendi formas ſenſim deficeret.

Ibidem.

Vt enim victor principis loco perſequi deberet &c.] vna litera dictiõi,principis,addita, & prima eiuſdẽ nominis maiuſcula & capitali litera expreſſa,locũ ambiguũ & intellectu difficilẽ reddũt,à quo nos germana vet.codicis lectio liberat,quæ habet,principe loco, id eſt, primo loco,locutione bonis autoribus vſitata: nã hoc etiã voluiſſe autorẽ indicat ſequens clauſula,vbi dicit, Alexãdrũ ſecũdis partib⁹ propter obſtructa itinera reſeruatũ.Itaq; ne quis in eo ſe torqueat, cur victor Ptolemæus Alexandrũ Regẽ nõ tanti ęſtimauerit, vt eũ Principis loco perſequi deberent, paucis admonendum duxi.

Fol.25.

Vix pauciſsimi ex his tanti cladi ſuperfuiſſe,&c.] ſcribendum tantę.

Cap.12.

Quo Ptolemæum excluderet,] vet.cod.legit pluraliter excluderent,intelligẽs Damaſcenos,vt ſequens verbum, perſequebãtur.





Et Geroſam petijt] codex vetu.Geraſem legit,apud Ioſephum Geraſam ſcribitur. Lib.1.de bel.Iud. cap.4.

Inde in Syriam progreſſus Gauloné,&c.] Codex vet. Gaulanem, quemadmodum & Ioſephus.

Fol.26.

Viginti itaque & ſex annis vario, &c.regnũ tenuit,&c.] In numero annorũ ab hoc autore diſcordare videturIoſephus,qui lib. 1.cap.4.bell.Iud. ſcribit,inter ipſos tumultus trigeſimo & ſeptimo regni an.moritur.

Atque hoc apud vniuerſos inueniſſe gratiam.] Cod.vet.legit, atque ob hoc, addita præpoſitione,ob, quæ locutio eſt vſitatior.

Totius in ſe plebis beneuolentiam circunuerteret.]Cod.vet.conuerteret.

Fol.27.

Siquidem ex duobus liberis electus vnus ad ſpem regnandi,non poteſtatem Hyrcanus vocabulo, &c.] In codice vetuſto legitur,ſpeciem:vt autem hîc variam lectionem annotarem,etiam ſi lectio textus probè ſibi conſtare videatur,fecit alter eiuſdem autoris locus,qui infrà caput 42.huius primi libri ponitur, ac cùm manuſcripti codicis lectione meliùs congruit,nam ibi legitur:foueret certè honorem, quem conferendum filio iudicarat, ne ſpecies regni ad eum,poteſtas ad illos perueniret.Sic hoc loco dicit

Hyrcanum à matre ad ſpeciem regnandi ele-
ctum, nō poteſtatem, quam poteſtatem illa adhuc gerebat, cùm tamen Hyrcanum Regem cōſtituiſſet, de quo ſic ſcribit Ioſephus, Natu quidem maximum Hyrcanum, & propter ætatem declarat pontificem, & quòd præterea ſegnior eſſet, quàm vt poteſtate regia moleſtus cuiquam videretur, Regem conſtituit: minorē autem Ariſtobulum priuatum viuere maluit, quòd feruentioris eſſet ingenij.

Ibidem.

Ariſtobulum verò acriorē animo expetentem poteſtatis emolliebat priuatum humilitate, &c.] Codex antiquus priuati in genitiuo habet, quæ lectio minus ambiguitatis in ſe continet.

Atque ſuper fœminei ſexus conditionē, &c.] codex vet. ſupra.

Fol. 28.

In cæteros quoq; facinoris autoris quoſque vt pergeret vltrò mandatum, &c.] Hęc dictio, quoſque, deeſt in manuſcripto codice, & redundare videtur: hinc in cōtextum veniſſe apparet, quòd in eius locum tranſpoſitum fuerit ſuperius, quoque.

Fol. 29.

Et patrandi flagitij incentores fuiſſe] aliâs patrati.

Fol. 30.

Atque



Atque illa ſpirans ferocia, filios & vxorem Ariſtobuli in caſtrum recluſit] vet. cod. in præſenti, recludit legit: quod certè tempus narrationi aptius eſt, & emphaſim habet, ad ſubitum motum animi exprimendum, factumque mulieris conſternatæ ac ferocia ſpirantis.

Res vſque ad cōtentionem atque in congreſsionem deducta, &c.] Codex vet. omittit hic prępoſitionem, in, quòd præpoſitio quę paulò antè ponitur, hîc ſubaudiri videatur.

Ibidem. Fol. 31.

Conuentum fratrū huiuſmodi fuit, &c.] vet. codex habet conuentus, quæ dictio genere maſculino pro conuentione à Latinis ſcriptoribus vſurpatur: conuentum in neutro genere & ſingulari numero non item, ſed pluraliter conuenta, vnde freques apud iuriſconſultos, pacta, conuenta.

Cap. 14. fol. 33.

Inſinuat Aretæ Regis fouendum auxilio virum, &c.] In codice vet. annotatum fuit, legi poſſe in datiuo regi, vt à verbo inſinuat, regatur.

Fol. 33.

Venditur ſumma prælialis certaminis talentis trecentis.] Qui pretium veteris monetæ ad hodiernam æſtimationem redigerūt,

 tre-

trecenta talenta centum & octuaginta millia coronatorum facere iudicarunt.

Fol.34.

Ariſtobulus autem vix dum idoneus propulſando periculo, &c.] codex vetus legit, vix dudum, quod magis mẽtem autoris explicat, qui oſtẽdere vult, eum, qui paulò antè impar propulſando periculo fuerat, tunc Scauri beneficio liberatum tantas ſubitò vires collegiſſe, vt hoſtem aggredi & fundere valeret.

Cap.14.

Hoſtẽ inſequitur, & ad Paparionẽ (id vocabulũ loco, &c.] In cod. vet. ſcribitur Papyronẽ, quod magis cõuenit cũ Ioſepho lib.1. de bello Iud. cap.5. & circa locũ quẽ Papyrona vocant, prælio cõmiſſo in Antiqui. Iudai. ex verſione Sigiſmundi Gelenij legitur congreſſus cũ eis apud locũ, quẽ Papyronẽ nominant. Lib.14.c.4

Fol.34.

Simul & fratrẽ Antipatri Fallionẽ prelio fudit, &c.] Is à Ioſep. Cephalio noĩatur & in prelio cecidiſſe narratur.

Cap.15. fol.35.

Sed diutiùs tolerare Roma. Cõſulis ſublimitatẽ nequiuit, cui moris erat regni exorti regib' imperitare, &c.] Põpeiũ intelligit, cui licet exorti regni, quòd græcè ἀκλήριο dicitur, moris tamẽ fuerit imperare regibus: nã de Romanis infrà quoq; ſcribitur cap.19. fol.



fol.49. vt Regni qdẽ exortes, regũ tamen arbitri fuerũt.

Itaq; vbi ad vrbẽ vẽtũ eſt, cui nomẽ Diopolis, &c.] manuſc. habet Dioſpolis, quẽadmodũ Ioſep. legit: in Antiq. ſcribitur, vt Ariſtobulus in Delon ciuitatem venerit, Ex verſione Sigiſmundi Gelenij: profectus eſt ad oppidum Deliun, inde ſe in Iudęam contulit, &c. De bello Iud. lib.1. ca.5. Antiq. lib. 14. cap.5.

At ille tãquàm herili præcepto obedire inde eorum exiſtimans, &c.] inde eorum vitio typographi pro indecorũ poſitum eſt.

Fol.37.

Datis ad ſingulos cuſtodes munitionũ literis ſeſe aſtringeret, &c.] cauſam cur hoc fieri oporteret deſcribit Ioſephus, dum narrat Ariſtobulũ diſertè pręcepiſſe cuſtodibus vt non niſi manu ſua ſcriptis epiſtolis obtẽperarent in tradendis munitionibus. Lib.1. de bello Iud. cap.5.

Vrbis Hiericho, &c.] Codex vetuſt. legit, vrbs Hiericho, & ſic legendum indicat verbum tenebat, quod mox ſequitur.

Humor lachrymis pulcher rorãtibus &c.] codex. vet. pulchrè.

Hieroſolymitanis mœnibus aſtitit, atq; improuiſus armatas acies infundit, &c.] manuſcriptus, infudit.

Cap.16. fol.39.

Bellumque inferre, ne Regem eriperent, &c.] ſenſus nonnihil obſcurus erit, nec ſibi cõſtabit, niſi ſic accipias, eos qui erãt factio

 nis

nis Ariſtobuli, idcirco inſtitiſſe bellum inferre Romanis, ne Romani Regem Ariſtobulum eriperent, id eſt, abriperent, alioque traducerent, ne facilè recuperari poſſet, qui tunc in manibus Pompeij fuiſſe ſcribitur, ac in cuſtodiam datus. Fol. 39.

Sed pluribus, quos terror Romanæ potentiæ anxerat, ceſſere inferiores, &c.] mutatio vnius literæ in dictione, auxerat, autoris quoque ſenſum mutauit: nam ex vetuſti codicis lectione ſcribendum per u, auxerat, vt conſentiat cum Ioſepho, apud quem legitur: metus autem hos plures faciebat.

Lib. 1. de bel. Iu. c. 5

Fol. 40.

Niſi incurrentibus ſacris religionis diebus, &c.] manuſcriptus, intercurrentibus.

Et ſalute extremum petatur periculum, &c.] rectius codex vet. ſalutis.

Repugnabant Regij murorum altitudine fortiores, &c.] manuſcriptus habet ferociores, quod menti autoris magis conuenire videtur, etiamſi altera lectio retineri poſſit. Fol. 42.

Maiora quoq; à ſuis orta pericula, q̃ ſibi ab Hebræis inuicẽ inferebãtur] manuſcriptus legit, quę ſibi, ab Hebręis, &c. quòd ſentẽtia autoris exigit: neq; enim cum alijs Hebræis cõparat, sed pericula à ſuis ſibi mutuò illata deſcribit. Cap.



Cap. 17.

Quid autem iuuaret videre, &c.] Manuſcriptus legit, euadere, quod verbum ſentẽtia autoris, vt ex ſequentibus patet, omninò poſtulat.

Et pia paſsionis victoria, &c.] Codex vetus, & piæ paſsionis.

Fol. 43.

Inſpexit lucernam & menſam, &c.] Hanc menſam ex auro fuiſſe refert Ioſephus in Antiq. Iud. & thymiamata, &c.] Codex vetus habet thymiamateria, & intelligit vaſa ſiue inſtrumenta, in quibus ſeruabantur odores & aromata, aut ſuffitus exhibebatur, quæ nos thurribula ſiue acerras vocamus: nam pòſt narratur viſam fuiſſe multitudinẽ aromatum diſperſam.

Antiq. lib. 14. cap. 8.

Ibidem.

Cherubim, multitudinem aromatum diſperſam, &c.] Manuſcriptus interſerit coniunctionem, &, poſt Cherubim.

Et ſacræ pecuniæ talenta duo, &c.] Ioſephus lib. 1. de bel. Iud. cap. 5. ſcribit fuiſſe ad duo millia talentorum. In Antiq. lib. 14. capit. 8. circiter duo millia talẽtorum, hoc eſt, ad duodecies centena coronatorum millia.

Et ſequenti pòſt excidium die Theocorus iuſsit mundari templi interiora, &c.] Ex

 anti-

anti.cod.deprehéditur hîc vitium, qui legit pro Theocorus, Neocoris: quod facilè etiã potuiſſent obſeruare, ſi qui nobis libros emendant, hunc locum priùs contuliſſent cũ Ioſepho, quem autor ſequutus eſt: & Rufini tranſlationem inſpexiſſent, qui dictionem, quam noſter autor Græcam reliquit, æditúos eſt interpretatus, dum ſcribit: Sed poſtero die poſt excidium, purgare templum æditúos iuſsit, & ſolennia ſacra celebrare. In Antiquitatibus quoque Iudaicis, eos miniſtros templi vocat, quos poſt Rufinum Sigiſmundus Gelenius in verſione, æditúos nominauit.

νεωκόρος græcè eum propriè ſignificat, qui templ. purgat & verrit.
Lib. prim. bell. Iud. cap. 5.
14. cap. 8.

Iuſsit mundari, &c.] Manuſcriptus codex habet actiuè mundare, & hoc magis conuenit cum verbo celebrare, quod ſtatim ſubijcitur. Rufinus quoque per idem genus verbi ſententiam Ioſephi expreſsit, dum ſcribit: Purgare templum æditúos iuſsit, & ſolennia ſacra celebrare.

Lib. prim. de bello Iud. cap. 5.

Folio 44.

Vel quid extra murum populi multitudinẽ, &c.] Vetuſt. codex pro quid, legit quod, & extramurani vna dictione adiectiua.

Folio 45.

Ei nomen Alexandro & fratre prouectior, &c.] Manuſcriptus pro, &, ætas, vt legatur

tur



tur, ętas fratre prouectior: quæ lectio verior & plenior eſt.

Cap. 18. fol. 46.

Denique trecentis talentis Arabs hoſte ſe exuit, &c.] Superiùs indicauimus trecenta talenta centum & octuaginta millia coronatorum valere.

Et profunda pace ſecuritatem fouebat.] Aliàs legitur, profundæ pacis.

Cap. 19.

Et per aliquãtum tempus] Aliàs, tẽporis.

Romanos cura vrgere, ne bellum gliſcerent, &c.] Codex vetus in ſingulari numero gliſceret, quæ verior lectio.

Folio 47.

Quos vbi conſertos Alexãder vidit, &c.] Manuſcriptus, confertos, vt etiam præcedẽs clauſula legendum oſtendit, vbi vires cum Antonio coniunxiſſe referuntur.

Fol. 48.

Itemq; cæteri conuentus ſimili modo attributi per Gadaram & Amathuntem & Hiericho, Seſſoritanosq; vrbes ſcilicet potiores diuiſit, &c.] Hîc poſt, attributi, videt̃ ponẽdũ pronomen, quos, vt referat dictionẽ, cõuentus, quæ præceſsit, & regat̃ à verbo diuiſit: quòd ſi pronomen omittas, legendum videtur diuiſi participium, expuncta litera t.

Fol.

Fol.49.

Regni quidam exortes, &c. ] Manuſcriptus pro, quidam, quidem: & vbi ſcriptum eſt prouidè, in vetuſto codice legebatur proinde, particula illatiõis: ſed prior lectio ſatis huic loco conuenit.

Cap.20.

Lib.1. ca.6 Gabinius Siſinnio & Antonio, Seruilioq; cum parte exercitus directis, &c. ] Ruffinus in libris ac bello Iudaic. vertit pro Siſinnio, Siſenna. Legitur tamen & in Antiquitatib. ab eo conuerſis Siſinnio, vbi Sigiſmundus Gelenius eundem locum ex Græco conuertens, Siſenna habet.

Lib.14.capi.12.

Cap.21.

His in Iudęa geſtis, &c.] In codice manuſcripto additur, ita. His ita in Iud.

Fol.51.& 52.

Prælium adorſus in triginta millibus virorum circa Itabirum montem fuſis, cum decem millibus aufugit, reliquorum diſperſione bellum confectum, &c. ] Apud Ioſephum de bello Iudaico aliter hæc referuntur. Sic enim ibi legitur: Alexandro autem millia triginta remanſerant, & ille ad bellũ promptus erat. Itaque ad pugnam egreditur, occurrunt autem Iudæi, & circa montẽ Itabyrium congreſsi, decem millia ſternuntur,

Lib.1.ca.6



cęteram verò multitudinem fugâ diſpergit. In Antiquitatib. lib. 14. capit. 12. eadem referuntur.

Ariſtobulo verò potiri non potuit: is enim habẽs ſecum triginta Iudæorum millia, auſus eſt occurrere Gabinio, & collatis ſignis decernere ad montem Itabyrum, quo prælio deſiderata ſunt ex acie Iudaica decẽ millia.

Suſpicor itaq; hîc mendum ſubeſſe, & prępoſitionem, cum, ſupereſſe, locumque malè interpunctum: nam ſi omiſſa præpoſitione, cum, contextum orationis probeque diſtinguas, facilè cum Ioſepho conueniet, ſic legẽdo: prælium adorſus in triginta millibus virorum circa Itabyrum montem, fuſis decem millibus aufugit.

Cap.21.fol.52.

Mithridatemque & Tigranem fugientes de Perſide occultè demiſit, palàm tamen militibus intimauit fuga lapſos &c. ] & pro Tigrane Orſanem Ioſephus ponit primo lib. de bello Iudaico, & in Antiquit. Iudai. ſic em̃ ſcribit, Mithridatem & Orſanem à Parthis perfugas clàm dimittit. In Antiquitatib. Iudaicis ſimiliter legitur: Mithridatem & Orſanem ad ſe profugos remiſit, &c. L.1.14.c.11.

Cap.21.fol.53.

Et

Et Taricheis deletis, triginta millia Iudæorum in ſeruitutem vendidit, &c.] Ioſephus in primo libro de bell. Iuda. multò minorem numerum ponit, qui ſcribit: Captiſque Tarichęis, propè ad tria millia Iudæorum vendidit. In Antiquitat. verò aliter narratur: nam ibi ſic legitur: Vbi Tarichæos primo impetu cepit, & fermè triginta millia captiuorum abduxit. Ioſephus itaque ſibi non conſtare videtur, niſi dicas locum mendoſum, aut illum hîc deſcribere numerum eorum, qui in bello capti erant, illic verò tantùm tria ex illis millia in ſeruitutem abducta ac diuendita: ſed hunc ſenſum minimè ſequitur hic autor, qui etiam triginta millia in ſeruitutem vendita refert.

Cap. 6.

Li. 14. c. 12.

Craſsius in Iudæam, &c.] Marginalis hæc annotatio mendoſa: ſcribendum enim Caſſius.

In ſeruitutem vendiderit, &c.] Codex vetus habet vendidit, & ſic legendum eſſe ex verbo, irruit, quod priùs poſitũ eſt, apparet: & illud poſterius, vendidit, quod mox ſubijcitur, prorſus eſſe ſuperfluũ conſtat, cùm & eo codex vetus careat, veram tamen ſuperioris verbi lectionem oſtendit.

Cap. 22. fol. 55.

Et deſtitutæ Ariſtobuli cupiditate, noua quadam mutationum varietate, &c.] legendum cupiditates.

Vt tutior fuerit exul inter hoſtes, & in vinculis captiuus, quàm inter ſuos ciues Dominus in cubiculo, &c.] legendum, ciuis.

Cap. 23. fol. 56.

Et vxorem Alexandri Philippionam, &c] Ex hac deprauata lectione videtur Alexandri vxorem fuiſſe nominatam Pilippionam contra fidem hiſtoriæ: Ipſa enim vocata eſt Alexandra, & filia fuit Hyrcani ſecundi, quare ſcribendum Philippionem, qui erat filius Ptolemęi Mênęi Dinaſtæ Chalcidis: & nota diſtinctionis, quæ poſt Philippionem ponitur, eſt ſubijcienda dictioni Alexandri, vt remoueatur omnis ambiguitas.

Ioſephus antiquit. li. 14. c. 15.

Ibidem.

Et in illa victi ſorte, &c.] Et, coniunctio deeſt in manuſcripto, & ſanè hunc locum meo iudicio oblongiorem circuitum non ita perſpicuum reddit obſcuriorem.

Cap. 24. fol. 58.

Ptolemęum, qui habitabat in libano, &c] Hunc autem Sohomi filium fuiſſe narrat Ioſephus in Antiquitatib. Iud. Et Iamblicum Ptolemęum alterum, & hunc alterum Ptolemæum Iamblici Dynaſtæ filium fuiſſe, ex eodem Ioſepho conſtat, li. 4. ca. 14. aliàs 16.

Ibidem.

Ibidem.

Et circa eam, quæ appellatur Oniæ regi Iudææ, Aegyptij vellent reſiſtere, &c.] códex manuſcriptus vitiũ, quod impreſſos libros occupauit, indicat, vitioſamq; diſtinctionem arguit: nam poſt dictionẽ regio, diſtinctio addenda fuerat, & pro Iudeę, legendum Iudæi, eaq; dictio coniungenda ſequenti dictioni Aegyptij, vt ſic legatur: & circa eam, quæ appellatur Oniæ regio, Iudęi Aegyptij vellent reſiſtere: nam Iudæi eam regionem olim eò translati inhabitabant: vt eſt videre apud Ioſephum, dum ſcribit: Peluſium quidem captum eſt, vlterius autem eos progredi non ſinebant Iudæi Aegyptij terrarum incolæ, quæ appellantur Oniæ.

Cap. 24. fol. 59.

Liberioribus quidem locis, ſed validioribus viris regionis illius, &c.] In codice vetuſto deerat dictio viris, & extra contextum ab aliquo recentiori litera apparebat adſcriptam, ita vt aſſutam conſtaret: Nam adiectiuum validioribus, ad ſuperius nomen locis, per epanorthoſin reſpondet. Nam vt liberiora fuerint ad pugnandum illius regionis loca, validiora tamen, hoc eſt, fortiora ac munitiora fuiſſe autor voluit indicare.

Cuius incolatus Iudæorum exercitus appellabatur, &c.] Locus hic apud Ioſephum tã in Antiquitatibus ex verſione Sigiſmundi Gelenij, quàm in libro præcedenti de bello Iudaico cap. 17. ex Rufini translatione caſtra Iudæorum nominatur. L. 14. c. 15.



Ibidem.

Quibus Regibus egregiè Cæſar delectatus, &c.] Dictio, Regib⁹, in codice manuſcripto non habetur, & planè ſenſum obſcurat: aliquis fortaſsis dictioni, quibus, explicationis gratia adiecit, rebus, quod pòſt in contextum venit, inde factum eſt, regibus.

Cap. 25. folio 60.

Antigonus quoque, &c. & quem vel partis deflere ærumnam conuenerat, &c.] Codex vetuſtus habet, patris, & intelligitur de Ariſtobulo à Pompeianis veneno ſublato.

Ibidem fol. 61.

Aduerſus ea Antipater non verborum referens vicem, ſed rerum aſſertorem, &c.] Codex vetus habet, aſſertionem.

Ibidem fol. 61.

Et inſcriptos cordis apices gero, &c.] In manuſcripto eſt datiuus, cordi.

Ibidem fol. 62.

Et vlciſcenda patris germaniq́ue exercitia deſiderauerit, &c.] Hîc codex vet. legit, exitia: nam intelligitur de morte Ariſtobuli

 patris

patris,ac fratris Alxandri,quem Romani ſe. curi percuſſerant.

Ibidem fol. 63.

Antipatro autem detulit poteſtatis electionem,&c.] Poteſtatem hîc Dynaſtiam ſiue prefecturam aliquam intelligit, vt patet ex Ioſepho in Antiquitatibus Iud. lib. 14. cap. 16. aliàs 17.

Cap. 26. folio 67.

Excitabat hic ſermo ſedulò plebis rumore diuulgationē piam laudis fraternæ, &c.] Locus hic non vno modo vitiatus, nullum certum ſenſum Lectori relinquit. Hunc vetus codex ſic nobis reſtituit: Excitabat hic ſermo ſecundo plebis rumore æmulationem piam laudis fraternæ, &c. & hanc eſſe germanam huius loci ſententiam, quæ ſequuntur, ſatis declarant.

Ibidem fol. 67.

Nec iterum in tuto præſidio, &c.] Intuto vna dictione legendum, oſtendit antiquus codex.

Qui ſe vera temperarent gratia, &c.] Hic vna dictio, ſeuera, in duas diuiſa germanum autoris ſenſum corrumpit, quam potiùs per hyphen coniungendam oſtendit vetuſtus codex, qui, ſeuera, legit.

Ibidem fol. 68.

Qu



Quæ tractando alitur, &c.] Aliàs, retractando. Ibidem.

Et mutatione vindictæ modum poneret, &c.] Hîc mendum vicinitate literarum irrepſit, quod facilè erat animaduertere, ſi qui libros nobis caſtigant, aut plura exemplaria contuliſſent, aut conſuluiſſent Ioſephum, quem hic autor ſequitur. Nam in veteri codice, minitatione, expreſsè legitur, & Ioſephus libro primo bel. Iud. ca. 8. ni (inquit) egreſsi pater & frater fregiſſent eius impetum, deprecantes vt & ipſe vindictam minis tantùm ſolaque indignatione metiretur. Ibidem.

Sæpiùs iuuerit, nequaquàm læſerit, &c.] Aliàs nunquàm.

Cap. 27. folio 69.

Sed Romanorum interuentione transfuſum, atque in eos verſum, &c.] Hîc codex antiquus, internetione, legit, quod magis mentem autoris explicat: nam cædem Sexti Cæſaris, ac poſteà Iulij Cæſaris rurſus belli cauſam Iudęis quoq; fuiſſe commemorat, quemadmodum & Ioſephus, qui Iudęam tum grauiter etiā tributis afflictā ſcribit. Antiquit. l. 14. c. 18.

Ibidem.

Vnde cōgregatis vrbibus, &c.] Codex vetuſt. legit, viribus: vtq; ſic legi debeat, Ioſe-

 phus

Lib.1. de bel.Iud. cap.8. phus ſatis oſtendit, cùm ait: Alij verò Cæſaris Duces mortis eius vlciſcendæ gratia, coniunctis viribus, Baſſum petebant.

Ibidem.

Totius Syriæ eidem regendæ commiſſa eſt ſolicitudo, &c. ] Hanc Syriam Ioſephus Lib.14.c.19 in Antiquitatibus Coëlem ſiue Cauam nominat.

Cap.28.fol.69.

Corrupto vno de Regalibus miniſtris, Lib.1.de bel. Iud. cap.19. &c.] Hunc Ioſephus pincernam Hyrcani fuiſſe indicat.

Ibidem folio 71.

Caſsius ergo & patriæ meæ ſaluti fuit, &c.] Codex manuſcriptus addit duas dictiones, & mihi, legitq́;, & Caſsius ergo & mihi, & patriæ meæ, &c. quomodo plenior & expreſsior fit ſententia. Fol.71.

Antigonus Ariſtobuli adminiculante ſibi Lib.1. de Iud.ca.10. Ptolomæo ſocero, &c. ] Ptolemæus hic (vt ſcribit Ioſephus) Minnei filius fuit, qui aliàs Menneus vocatur, & ſororem Antigoni vxorem duxerat.

Ibidem.

Nam primò Doſis ei coniunx adhæſerat, &c. ] Apud Ioſephum ex trãslatione Rufini, Doris, ſcribitur: ſimiliter in Antiquitatibus Iudaicis à Sigiſmundo Gelenio ad fidem Græci



Græci codicis cõuerſis: exiſtimo autem variam lectionem accidiſſe propter vicinitatem, quæ videtur eſſe inter literas r & ſ, præſertim in ſcriptura, quam Longobardicã hodie nominant, vbi facilè vnam pro altera eſt legere, cùm p litera ſic formetur, vt ſ, videri queat, deditque occaſionem, vt Doſis, pro Doris, paſsim in libris poſterioris ętatis ſcriberetur.

Cap.28.fol.74.

Rurſus tamen perſtrepere auſi ſunt, &c.] In codice manuſcripto legitur, auſis, per ablatiuum abſolutè poſitum.

Cap.29.

Sed decurſu ferè biennij, &c.] Aliàs, Decurſo ferè biennio.

Ibidem.

Et Barzafarmane Perſarum Satrapa, &c.] Apud Ioſephum ex Ruffini translatione, & Sigiſmũdi Gelenij ſcribitur Barzapharne.

Ibidem fol.75.

Pacorus miniſtro Regio partẽ equitatus dedit, &c.] Hanc partem Rufinus apud Ioſephũ vertit, Turmam equitum. Sigiſ. Gelenius in Antiquitatibus Iudaicis, Alam equitum interpretatus eſt. Lib.1.de be. Iu.c.11 Lib.14.ca. 22. al. 24.

Fol.76.

Deferebantur nuntij, quòd mille talentis

Parthus redemptus foret, &c.] Mille talenta ex æſtimatione, in ſuperioribus locis ad pretium veteris monetæ facta, conſtat valere ſexcenta millia coronatorum, ſiue ſex tonnas auri.

Ibidem.

Nec minùs Nini miniſter miſſus in Iudæam, dolis prætenderat, &c.] Propter affinitatem quandam, quæ inter n literam & v vocalem, præſertim cùm conſonantis vim obtinet, eſſe videtur, pro, vini miniſter, vt Codex vetus habet, dictionem Nini quiſpiam ſubſtituit, tanquàm nomen proprium foret, locumque obſcurum reddidit: Nam Nini proprium nomen apud Ioſephum non reperitur, ex quo antiqui codicis lectio vera comprobatur. Scribit enim, vt Pacorus Regium quendam pincernam, cognominem ſuum equitatus ei parte attributa ad Iudæam iuſſerit accedere, &c. Et paulò pòſt additur: At interim pincerna ad hoc miſſus, Herodem capere moliebatur.

De bello Iud. lib. 1. ca. 11.

Grauis ad curandum cura exercebat, &c.] In codice manuſcripto ſcribitur, Cauendũ, quod magis congruit ſuſpectanti inſidias, vt illas caueat, ac deuitet.

Ibidem fol. 78.

Summum enim Sacerdotem immutilatum

tum



tum corpore quenquam eſſe oportet, &c.] Duæ hîc dictiones, quæ ſententiam deprauant, in contextum ab aliquo inſerta ſunt, quas vetus codex non agnoſcit, apud quem ſic legitur: Summum enim Sacerdotem immutilatum eſſe oportet: ſi tamen immutilato corpore quenquam eſſe oportet, legeretur, tolerabilius videri poterat.

Ibidem.

Quilibet exitus horum principium habuit ſpiritus ferocioris, &c.] Annotatio marginalis, Quidam ſpiritus ferocioris, addidiſſet, Allegatur habent, &c.] Codex manuſcriptus eandem lectionem ſeruat, quam impreſsi libri habent: & certè marginalis hæc annotatio diuerſę lectionis minùs conſentanea videtur, apud Ioſephum ſic legitur: vtrumuis autem verius ſit, præclarum habet initium.

Ibidem.

Pro quo oppignoraret redimendum filium, &c.] Filium hîc Phaſali intelligi, ex Ioſepho cõſtat, ne quis de Herodis filio dictum ſuſpicetur.

Ibidem folio 79.

Quàm de morte fratris agnoſceret, &c.] Codex vetuſtus, cognoſceret, legit.

Ibidem folio. 80.

Qui ſub vinculis in Pathienem deductus



eſt,

eſt,&c.] Codex manuſcriptus, Parthienem & certè Parthiam regionem hîc indicari certum eſt, de qua infrà ſcribitur: vt Hyrcanus à Perſis captiuus abductus, in Parthia primo retentus fuit. cap.36.fo.112.

Ibidem fol.81.

Auxilijque inops ſuis in periculo poſitis ſuppliciter imploraret auxilium, &c.] Codex manuſcriptus hîc, quò, dictionem inſerit. Auxilijque inops, quò ſuis in peric.&c.

Ibidem.

Maximeq; quòd Idumæa Tetrarchen faciens, &c.] Manuſcriptus prępoſitionem, in, interſerit, in Idumæa.

Cap.30.fol.81.

Cęſar tamen beneuolentia naturali diffuſior, &c.] Codex manuſcriptus, effuſior.

Ibidem fol.83.

Licet abhorrens ſtudio, &c.] Codex vetuſtus legit per ablatinum abhorrente.

Ibidem.

Siquidem in proximis vrbibus reprimendi belli Parthici tumultus, Ventidius immorabat, &c.] Manuſcriptus inſerit hîc, ob, prępoſitionem, & legit, ob reprimẽdi belli Parthici tumultus: ibi quoque annotatũ fuit legi poſse, ob reprimendos belli Part. tumultus: quę lectio cõmodior eſſet, ſi eã impreſſi aut



aut ſcripti libri agnoſcerẽt. Ioſephus de hoc ſcribit: Horum autem Ventidius turbas in ciuitatibus, quæ propter Parthos euenerãt, componebat: & in Antiquitatibus: Ventidius tum fortè diſtinebatur componendis ciuitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitauerat. Lib.1.de bell.Iud. cap.12. Lib.14.ca. 24.al.27

Ibidem.

Silon autem intra Iudæam aperta cũ Antigono ſocietate pecuniam conficiebat, &c.] Alia lectio in manuſcripto reperitur: Silon autem intra Iudæam (additur verbum) poſitus, aperta cum Antigono ſocietatem pecunia conficiebat &c. Vult enim ſignificare autor, Silonem aperta ab Antigono pecunia corruptum, ſocietatem cum eo confeciſse, ſiue compoſuiſſe, quod conſentit cum Ioſepho, apud quem legitur, quòd Antigonus Silonem in Iudæa mercede ſiue pecunia corruperit. Sed imperitus quiſpiam, cùm ſciret vſitatiorem loquendi modum, conficere pecuniam, quàm ſocietatem, veram huius loci lectionem immutauit.

Folio.85.

Scephorim priſco vocitatam &c.] c.litera hîc vitio typographi addita eſt, ſicut & in dictione aliementorum, quę paulò pòſt ſequitur, e.

Ibidem.

Opportunum æſtimauit,&c.]manuſcriptus,exiſtimauit: ſed vnum pro altero frequentiùs poſitum (neſcio an librariorum culpa)reperitur.

Fol.86.

Victoria morabatur,&c.] Codex vet.victoriam,legit.

Inter ſe ſcrupeas rupes,] in manuſcripto deeſt,ſe,pronomen. Fol.87.

At ſi quis]legitur etiam,ac ſi.

Fol.89.

Non tulit Antigonus furorem dolore, &c.] in codice manuſcripto legitur, furentem,& intelligit Herodem,ob cædem fratris dolore furentem.

Cap.31.fol.91.

☞ At ille quem tanta rerum conuerſio flectere debuit miſericordiæ,&c.]Neſcio quo pacto irrepſerit verbum hic, flectere, cum conſtructio repugnet.Nam nō dicimus,cōuerſio rerum debuit flectere aliquem miſericordiæ, ſed ad miſericordiam:codex vetuſt.habet verbum , admonere,cum quo cōſtructio conſtat . Nam tanta conuerſio debuit Soſium admonere miſericordiæ,vt illam præſtaret regi Antigono.

Fol.92.

Vt



Vt promiſſum impleret, humaniſsimè milites ſuſcepit, rationabiliter duces, &c.] vitioſa eſt diſtinctio, ex manuſcripto ſic legendum apparet, vt promiſſum impleret humaniſsimè milites, &c.

Soſius coronā Ceo obtulit]ſcribēdū Deo.

Cap.32.fol.95.

Et Hyrcaniam à ſorore Antigoni diu retentam receperat, &c.] Apud Ioſephum legitur,Hyrcanium, genere neutro, & vicus fuiſſe narratur.

Et maximè fraude Athemonis, &c.] in manuſcripto, Athenionis, habetur,quēadmodum & apud Ioſephum : Quare eadem dictio,quæ pòſt frequenter occurrit,ſic eſt emendanda.

Ibidem,Fol.98.

Nec aliud timeatis quàm quod ipſis offenſionibus eſt,&c.]Ex vet.codice ſcribendum,offenſionis.

Fol.100.

Nō arbitria noſtra,ſed diuini iuris eis præcepta exequamur ſacra, ꝙ & pro his vindictam repoſcamus,&c.] dictio, eis, deeſt,in cod.vet.pro,quod &,legitur, vt.

Plerique ſeſe offerebant hoſtibus voluntariò &c.]aliâs,voluntarij.

Itaque quatuor diebus quinque ferme

millia

Lib. 1. de bell. Iud. cap. 14.

millia recepta ſunt,&c.] Apparet hîc tranſpoſitas dictiones: Nam in manuſcripto ſic legitur: itaque quatuor diebus quinque ferme millia recepta ſunt: & conſentit cum Ioſepho, apud quem legitur: adeo vt quinque diebus quatuor millia vincirentur.

Cap. 33. fol. 101.

Iudicio comperiſſet,&c.] ſcribendum indicio.

Ibidem. Fol. 102.

Apud quem non virtutum merita, ſed vitia periclitantur, &c.] manuſcriptus pro vitia, legit, crimina.

Cap. 34. Fol. 104.

Si ad te deſiſtere & conſeruare fidem in proſperis, iam in aduerſis ſatis probaſti&c.] codex vet. pro iam, quam, legit.

Ibidem, Fol. 105.

Cùm hæc dixiſſet, Cæſar impoſuit diadema capiti eius, ſed vtilitatem adiungens muneri, &c.] Codex manuſcriptus vna dictione, ſedulitatem, legit: nam propenſum ſtudium Cæſaris autor commendare voluit.

Ibidem. Fol. 106.

Gadaram Ioppen,&c.] Codex vet. habet, Hipponem, vt etiam apud Ioſephum legitur, quia dictio, Ioppē, paulò pòſt ſequitur.

Cap. 35. Fol. 107.

Quas exſtruxit ex fundamētis &c.] manuſcri-



ptus, à fundamentis.

Fol. 107.

Siquidem caſtrum Aquilonij communicauit ſubiacens,&c.] Locus dupliciter mendoſus eſt, & verbi trāſpoſitione, & eiuſdem deprauatione: verior itaque lectio manuſcripti codicis, ſiquidem caſtrum Aquiloni ſubiacens communiuit.

Ibidem.

Vrbem quoque Sebaſten non ſolùm ædificauit,&c.] In codice vet. additur dictio, Rex ædificauit.

Quem non reuocaret labētem,&c.] in codice antiquo, renouaret.

Fol. 108.

Exhalat memphitim,&c.] ſcribendum, vt admonet vetus codex, mephitim.

Et varijs ornauit ædificijs,&c.] in manuſcripto pro, varijs, legitur, aulicis.

Ibidem.

Vt nulla æſtimatio profundæ altitudinis non comprehenderetur,&c.] particula, nō, negatiua in manuſcripto deeſt, & ſanè ſententiam hanc peruertit, vt ex Ioſepho quoque conſtat, cuius verba adſcribam (vbi inquit) montis quidam vertex in præcelſum æditus, propter ſubiecti lateris vallē ſpecus aperit vmbroſum, quâ profundæ altitudinis rupes

rupes immenſum liquentis guttæ receptaculum concauatur, vt ſtagnantis aquę copia dimittentibus aliquid, donec terram inueniant longitudo nulla ſufficiat.

Fol.108.

Et varijs ornauit ædificijs, &c.] in manuſcripto pro, varijs, legitur, aulicis.

Fol.109.

Denique illiſis præcurrẽtibus ſaxis, &c.] alia lectio eſt hic veteris codicis, ideq; illiſis procurrentibus ſaxis, & ſubauditur, fluxus.

Ibidem.

Quarum vnam Druſion vocauit & Druſi nomen, &c. intexeret] manuſcriptus pro, &, coniunctione, vt, habet, quæ cauſam melius exprimit.

Cap.36. Fol.110.

Ex quo aduerſum ius faſq; coniugum dignitate potius generis, quàm charitate vſu quodam regio metiẽdum exiſtimauit, &c.] rectiùs in manuſcripto legitur, coniugium, ac nota commatis dictioni, faſq;, fuerat ſubdenda: coniugium verò cũ ſequentibus quibus adhæret, legendum: nam & id requirit verbi ſequentis conſtructio, vbi legitur exiſtimauit metiendum coniugium potiùs dignitate generis quàm charitate, &c.

Fol.111.

Ac ne oculi nouæ nuptæ odio nouercali domi



domi poſito eo, quẽ Doſis genuerat, offenderetur, &c.] Deprauatio in numero verbi, offenderetur, ac vitioſa diſtinctio, obſcuriorem locum nobis reddunt. Sic enim ex veteri codice ſcribendum conſtat: Ac ne oculi nouæ nuptæ odio nouercali domi poſito eo, quẽ Doſis genuerat, offenderentur, &c. intelligit Antipatrum.

Fol.111.

In ſuperbiam conuerſa, &c.] in manuſcripto, verſa eſt.

Ibidem. fol.112.

Quòd nullos magis regni cupidos ſeruandi, quàm proximos exagitaret] neſcio quo modo hîc vitium irrepſerit in dictione, cupidos, quum non ſolùm, in manuſcripto codice, ſed etiam in antè impreſsis libris, cupido, legatur.

Fol.113.

Suppetebat mulieri odium de flagitio, fiducia de amore, qui alterum dolore nepotis auerſabatur, &c.] in codice vet. legitur: neptis aduerſatur, & pro, aduerſabatur, legẽdum videtur, obuerſabatur: Intelligit enim alterum, ſcilicet odium obuerſatum illius animo fuiſſe ob dolorem, quem ipſa Mariamne, quòd eſſet neptis Hyrcani, ex interfectione aui conceperat.

Fol.114.

Et

Et fratrem Ionathan, &c.] Hic aliàs Ariſtobulus apud Ioſephum vocatur, cùm alter proſocer, alter affinis, & alter ſcilicet, Hyrcan', alter Ionathas ſiue Ariſtobulus affinis eſſet, ſubaudi, Herodi, nam is frater vxoris Mariamnæ fuerat.

Ille propter ſenectutis infirmum, &c.] in codice veteri ſcribitur, infirmitatem. quod magis eſt vſitatum, & intelligit, Hyrcanum.

Hic ſaltē propter ætatem adoleſcentuli, &c.] legitur in manuſcripto per adiectiuū, adoleſcentulam ætatem. Hic videlicet Ionathas ſiue Ariſtobulus frater Mariamnes.

Atq; eo erga ephebum prodidiſſet, &c.] in manuſcripto habetur, atque adeo.

Caput.37.fol.116.

Ferebat iſta Herodes quaſi amore captus & nutibus deditus, ſed furebat ira mulieris, & ferre non poterat maledicta execrantis, & indignantis arrogantiam, &c.] Vna litera in dictione, mulieris, omiſſa, ſentētiam reddit ambiguam, nam quo referatur ira mulieris incertum: & poſſet alicui videri de ira Mariamnes dictum, contra mentem autoris; quòd ſi dictioni mulieris b. inſeras, faciasque adiectiuum muliebris, tunc commodius de ira matris Herodis, & Salomes ſororis intelligetur, quas infenſas fuiſſe Mariamnæ, & non potuiſſe ferre ipſius execrantis maledicta & arrogantiam indignantis, autor voluit indicare, vt ex Ioſepho conſtat, apud quem huiuſmodi leguntur: Hæc igitur Herodi Mariamnæ probro dabat, ſororemque eius & matrem maledictis atrocioribus dehoneſtabat. Sed ille quidem amore mutus erat. Graui autem indignatione mulieres ſæuiebant, & quò maximè commoueretur Herodes, inſimulabant eam adulterij, &c. Ibidem.

Maximè quia victus vernaculo eius Herodes &c.] In manuſcripto habetur lectio, quæ eſt in margine annotata, videlicet pro, vernaculo, miraculo. Cur autem eam dictionem vt huic loco magis propriam, præferā, quæ infrà autor de Herodis erga Mariamnē amore ſcribit, perſuadent: Legitur enim: Gellio Romano Mariamnē propter excellētiſsimi decoris gratiam fuiſſe miraculo: Herodem ſimiliter, præterquàm quòd viuam ſupra modum dilexerat, etiam defunctam pro amore tanquàm fœminam immortalis decoris mori nō potuiſſe arbitratum: hocq; ſuis addidiſſe miraculis, quibus defunctæ gratiam ſuſpiciebat, vt diceret, ſe luiſſe iniuſti pœnas flagitij, & elementorum ægritudine expiatum interitum tanti decoris, excidio

dio mundi, populorum lue vnius mortem, ſorte tamen impari, vindicatam. Hinc eſt quod miraculo Mariamnes, Herodes hic iure victus dicatur. Ibidem.

Vt abſenti & prompto in libidines viro, &c. formam venalem offerret, vt pulchritudine illiceretur nouæ auctionis commercio, ſe mulierem proſtituiſſet &c.] manuſcriptus legit, vt pulchritudinem licitaretur.

Fol.118.

De Mariamne, quod ſibi coniuncta foret, prætermiſiſſet, &c.] manuſcriptus cod. ei cõiuncta, intelligit, Herodi.

Ibidem.

Non cooperire libidines ſuas, &c.] manuſcriptus, non quo operire, &c.

Perfectis itaque literis, &c.] vitio typographi pro, perlectis, ſcriptum.

Fol.119.

Sed cùm moris fieri promiſsis vidiſſet, &c.] legẽdum, moras, manuſcriptus habet, moram. Fol.120.

Vt Antonium vel Cleopatram, quam maximè metuebat, deflecteret, &c.] manuſcriptus, flecteret. Fol.123.

Syluarum ſecretis ſeſe abdit, &c.] manuſcriptus, abdidit: & paulò pòſt, venatibus ſalubritatem corporis pariter & mentis ſalubritatem recepit, &c.] manuſcriptus mentis ſobrietatem: & ſobrietas mẽti magis cõuenit, cùm ſobrius de ſana mente apud ſcriptores frequentiùs dicatur.



Cap.38. fol.124.

Et abſentes compererant necem matris pleriſque in odium patris impulſoribus aſperabatur. Regreſsis quoque, ne conſpectus quidem paterni reuerentia ſedulitatem infuderat, creſcebat cum ætate malitia, &c.] Hæc aliter in manuſcripto leguntur ac diſtinguuntur, itaq; variam hanc lectionẽ adſcribere viſum fuit: Abſentes comperta nece matris pleroſque in odium patris ſe impulſuros arbitrabantur, regreſsis quoq; ne cõſpectus quidem paterni reuerentiã ſedulitatemq; infuderãt, creſcebat cum ętate ma talitia. Fol.125.

Atq; ad ſui gratiam huberiore effectu cœpit laceſſere, &c.] aliàs, affectu.

Fol.127.

In talibus enim iudicijs nihil tam magis liberos grauat, quàm naturę pietas, & affectionis auctoritas, &c.] dictio, tam, deeſt in manuſcripto, & ſuperfluũ eſſe agnoſcitur: vel ſaltem altera dictio, magis, & pro affectionis, habetur dictio, pietatis, & ſic elegantia ſermonis retinetur.

Ibidem.

Quam pater eouſq; expetit, &c.] ex ma nuſcripto apparet legẽdum, expetat, quamuis & altero lectio conſtet.

Fol.128.

Itaque iuſto defunctum examine &c.] In manuſcripto legitur, definitum, & facilè hic propter affinitatem literarum vnum pro altero legi potuit.

Ibidem.

Patri (vt dicebat) obtẽperarent liberi &c.] manuſcriptus, vt decebat.

Ibidem.

Nauigantes in Eleuſiam, &c.] apud Ioſephum ex translatiõe Rufini ſcribitur, Eleuſam: Eleuſis vrbs apud autores nominatur.

Suſcepit eos Archilaus opimo conuiuio, gratias agens Antipatro genero ſua cauſa;] manuſcriptus habet, Antipatri generi ſui cauſa: ſed adhuc vna dictio remanet vitioſa, cùm ſit ſcribendum, Alexandri: Archilaus enim ſocer fuit Alexandri, quare Alexandri generi ſui cauſa, &c. reponendum eſt.

Cap.39. fol.130.

Honor filiorum haud dubiè patris gloria, &c.] Codex vetuſtus pro, gloria, habet gratia, ſed cùm is locus videretur alludere ad celebre & vulgatum dictum Salomonis, gloria patris filius ſapiens, idcirco hanc dictionem, gratia, ſciolus aliquis in, gloria, cõmutauit, non intelligens ſe locum deprauare, ac autoris mentem peruertere: nam vt ex ſequentibus liquet, Herodes vult oſtẽdere honorem, qui filijs exhibetur, gratiâ, hoc eſt, permiſsione ſiue beneficio patris ipſis contingere, quare tãtum honorandos, quãtum pater permittat, nec eos intempeſtiuis ac plerunque noxijs honoribus afficiendos. Hanc eſſe autoris mentem & veriorem ſcripti codicis lectionem, quę ſtatim ſubijciuntur, comprobant.



Fol.131.

Tum maximè aſsidua colloquia & diuturnus vſus peſtem animis infundere ſoleant, quò contagio quodam modo in mores cohabitantium citò tranſeat, &c.] Cod. vet. legit, peſtem animis infundere ſolent, quæ contagio quodammodò in mores cohabitantium citò tranſeat.

Ego ſum, ego ſum, &c.] manuſcript⁹, ego, ego ſum, prius ſum, omittit.

Fol.132.

Et ideò prodeſt mea velle: quia ego, quæ veſtra ſunt, & volo, &c.] manuſcript⁹ addit, vobis, & ideo prodeſt vobis mea velle.

Cap.40. fol.133.

Subijciebat iudices, ſubornabat teſtes, &c.] aliâs, ſubijciebat indices.

Fol. 135.

Extollere ſeſe acceperat faſtu ſuperbo, &c.] aliâs, cœperat.

Patrem auumq; Regem ſibi, & præcipuè Darium Hydaſpem materni generis apicem ſolita iactare &c.] codex vet. Reges: apud Ioſephum Dariũ Hydaſpis legitur, quòd eius filius eſſet.

Ibidem.

Pluribus etiã Herodes, &c.] Cod. vet. pro, etiam, enim, legit, vt ſit cauſalis particula.

Ariſtobulus quoq; ijſdẽ, quibus Glaphyra ſermõibus vxorem inceſſabat, &c.] aliàs, inceſſebat.

Fol. 136.

Demens qui cõturbaret cõuitio proprias neceſsitates, &c.] cod. vet. neceſsitudines.

At illi compoſiti ſeſe inſimulationibus peti pluribus deplorantes, &c.] codex vetus, compoſitis.

Fol. 137.

Accedebat enim formido grauis, quod plurimum poterant apud patrem: Nam accepto diademate prope vniuerſam regni potentiã cum fratre ſuo Herodes participauerat, &c.] in codice vet. poterant apud fratrẽ, ſubaudi Herodem, & intelligitur de Pherora, & Salome, non de Ariſtobulo & Alexandro



dro filijs: & pro, accepto, legẽdum, excepto diademate, quia Herodes ferè omnia præter dignitatem regiam fratri communicauerat: ſcribit enim Ioſephus, id egerrimè tulit Herodes, videns germanum affectum tot beneficijs, & penè regni ſocium non reſpõdere pietate mutua, &c.

Denique his annua talenta centum recõdebat, &c.] aliâs, is, ſubaudi Pheroras: centũ verò talenta, ſexaginta millia coronatorum valere, ex ſuperioribus liquet.

Qua exaſperatus Herodes contumelia ei filium tradidit, qui poſteà Parthico bello occidit, &c.] pro filium, ſcribẽdum, filiã, quam Herodes tradidit ei, qui bello Parthico occidit, aliâs occiditur, nempe Phaſaëli filio: ſcribit enim de hoc Ioſephus libro primo de bello Iudaico. Quamobrem iratus Herodes filiam nuptum dedit fratris filio, qui pòſt à Parthis occiſus eſt: & in Antiquitat. Puellam collocauit cum Phaſaëli filio.

cap. 17.

Lib. 16. ca. 11.

Fol. 138.

Diſpoſitionis initæ, vt ad Parthos confugeret, &c.] aliâs, diſpoſitionis.

Ipſe inceſsit Salomẽ, quòd ſpopondiſſet nuptias ſuas Obodæ Syleo, qui erat Regis Arabiæ procurator, &c.] cùm apud Ioſephũ

 Sy-

Syleus iuuenis,ſine alio nomine perpetuò legatur,Rex verò Arabiæ nominetur Obodas,arbitror hîc tranſpoſitas dictiones, quę ſic reponi poſſunt, quòd ſpopondiſſet nuptias ſuas Syleo,qui erat Obodæ Regis Arabiæ procurator,&c.

Et procella totius aulæ Antipater omnibusq; modis & conuentu etiam propinquorum ingrauans fratrem,&c.]manuſcriptus, cõcentu, legit: notatur enim conſpiratio ac concordia propinquorũ in accuſando Alexandro. Fol.140.

Ita efferauerat Herodes in vniuerſos,vbi ſi aliquis eorum ſupereſſet,ſuſpectus foret, &c.]aliâs,vt ſi aliquis.

Aliter Rex non putans ſe eſſe ſecurum, &c.]aliâs,tutum.

Et ad vrbem Romam ſine mora pergerent,vt effugij pœna eluderetur,&c.]codex vet.effugio. Fol.142.

Vbi parricidale illud reperiam caput,vt manibus excerpam meis,]aliàs,carpam.

Parricidio perire debet, qui parricidium voluit implere &c.]parricidio dixit,pro pœna parricidio debita.

Non agnoſco filiã meã, quæ artes non deprehẽdit mariti,quę ſe talẽ exhibuit ſocero nurũ,vt ſubiectum filiũ patri redderet,&c.] in co-



In codice vetuſto inſeritur particula, non, quę etiam ad perfectum ſenſum videtur deeſſe,ſic enim ſcribitur: quæ ſe non talem exhibuit ſocero nurum.

Fol.143.

Quid enim diutiùs ſeruatur confeſſor animi parricida talis. ] Manuſcriptus legit, Quid enim diutiùs ſeruaretur confeſſor, aut parricida talis.

Fol.145.

Plerumque tamen ſenum prudentia circumſcribentium verſutis inſidijs irretitur.] Codex vetus coniunctionem, &, inſerit, & ſenum prudentia.

Vt ſtomacho magis indulſerit, & vltioni potiùs,quàm abſolutioni intẽdit.] Scriptus codex,intenderit,vt reſpondeat præcedenti verbo, indulſerit.

Et totius ſcenæ architector exponebatur] Aliàs,architectus.

Fol.146.& 147.

Nec mirum, ſi in maximis regnis,tanquã in magnis corporibus ſæpè aliqua membra ferueant, quæ non incidenda,ſed mollioribus ſint curanda medicamentis.]Codex vetuſtus, Sæpè aliqua pars ferueat, quæ non incidenda, ſed mollioribus ſit curanda medicamentis.

Cap.41. fol.149.

Inſtauratur conuiuium initæ indicium reconciliationis, cuius autores Archelaus ſeptuaginta talenta.] Codex ſcriptus legit: Cuius autori Archelao ſeptuaginta talenta, &c. quæ ſumma hodie quadraginta duo millia coronatorum valere exiſtimatur.

Et concubina (cui Panichis nomen erat) dono datur.] Codex vetus, Panuchis, Ioſephus, Pănychis, legit, & per ypſilon ſcribendum eſt, cùm ex dictione Græca, quæ pernoctationem ſignificat, componatur.

Non contentus facultatibus.] In ſcripto codice additur dictio, Laconicis, Non contentus Laconicis facultatibus.

Fol. 149. & 150.

Venandique artifex Herodem antiquis opimis adorſus muneribus, &c.] Dictio, antiquis, deeſt in exemplari ſcripto, videturex margine in contextum irrepſiſſe: ſi admittatur, ſcribendum fuerit, venandique artifex antiquus Herodem opi. &c.

Tamen non ſatiabitur.] Leg. ſatiabatur.

Regem adulando precandisq; omnibus] Scribendum, prædicandisque.

Fol. 151.

Sed non quietura iudicia Dei.] In exemplari ſcripto iuſeritur dictio, diu, Sed non diu



quietura. Folio 152.

Reperturum ſe ab inferis auum] Codex vetus, repetiturum.

Cum Ducibus quondam equeſtris exercitus iocundo & tyranno ſermonem initū] Nomina propria ſunt hîc Iocundus ac Tyrannus, idcirco maiuſculis initiò ſcribenda literis.

Compoſitas Regi inſidias dolore deceſſionis] In exemplari vetuſt. aſſcriptum erat, ſucceſſionis.

Euricles quinquaginta donatus talentis] Hanc ſummam, triginta millia coronatorū facere, docti indicarunt. Folio 154.

Quem Rex quaſi conſcium tentamentorum, illius ius interrogandum putauit] Dictio, ius, in exemplari veteri non legitur, & certè ſuperflua videtur.

Denique Spartes ditatus Regalibus præmijs] Codex vetus, Spartiates, legit, & ſuprà folio 150. eadem dictio habetur.

Folio 155.

Hac permiſſa ſibi Herodes non parricidij poteſtate, ſed iudicij conditione, etiam moderationis admonitus] Particula negatiua, non, in exemplari veteri deeſt, & certè facit ſententiam repugnare ijs, quę paulò antè ab autore ſcribuntur. At ille (ſubaudi Cæſar) offenſus

offenſus licèt, quia filiorum ſupplicia pater poſceret, negandum tamen patri non arbitratus poteſtatem in liberos ſuos, dedit licentiam, ſed conſilium adiũxit. Huic etiam ſententiæ conueniunt, quæ ſcribuntur à Ioſepho in Antiquitat. lib. 16. cap. 16. al. 13.

Saturninus Legatique conſidunt.] Aliàs, conſident.

Deſtitutos vndique congregabat in inuidiam contumeliarum iniuriarum genera.] In exemplari ſcripto legitur, Deſtitutis vndique congregabat inuidiam, & expuncta, in, præpoſitione: quòd ſi illa præponeretur, ac legeretur, In deſtitutos vndique congregabat inuidiam cont. &c. minùs offenſionis haberet oratio.

Qui conſiderant] Aliàs, conſederant.

Volumnius autẽ funeſta immurmurat, & poſt eum oẽs volente Rege tali autore, penſantis mortis ſententiam, expromunt.] Aliter nonnihil legitur in exemplari ſcripto, & poſt eum omnes volentiam Regis tali autore penſantes, &c. Volentiam dictionem quidam hodie minùs vſitatam autor pro voluntate, poſuiſſe videtur.

Fol. 158.

Quod ad ſalutem magis, quàm ad periculum deriuari ſoleret.] Aliàs, ſolet.



Vt per diuerſa filios traderet, Tyrum vrbem inclytam petit.] Codex vetuſtus rectiùs legit, traheret: ſi, traduceret, ſcriptum fuiſſet, vt dictio, traderet, videtur indicare, æquè benè conueniret.

Inde in Cæſariam transmittit, nauigio ſpectaculum miſeri parricidij circumferẽs] Alia lectio & diſtinctio eſt exemplaris ſcripti, præponitur enim dictio, nauigio: Inde in Cæſariam nauigio transmittit.

Quoniam popularis quædam pietatis eſt gratia, & maximè in ſuos lex dilectionis] Exemplar vetuſtum, illex dilectionis, ſcribendum oſtendit.

Fol. 159.

Ad vnum inclinaret cæteris infirmiorẽ] aliàs, inclinaretur: & de Antipatro dictũ eſt.

Fol. 160.

Alij pro vero edictum loquebantur] Codex vetuſtus, editum.

Cap. 42. fol. 162.

Marginalis annotatio, Hîc deplorat Herodes mortem nepotum.] Scribendum eſt ſortem, nam nepotes adhuc viuebant, quorum ſortem ſiue conditionem Herodes deplorabat.

Fol. 164.

Quod Alexandri filius Archelai Regis, &c.

&c. ſuffragia ſuppetere cerneret] Exēplar vetus legit in datiuo, filijs, quem etiam caſum conſtructio verbi exigit.

Foueret certè honorem, quem confœderandum filio indicaret] Codex pro, confœderandum, legit conferendum, & pro, indicaret, iudicaret: quanquàm hîc ſcribendum videtur, iudicarat: cui conueniunt, quę ſcribuntur à Ioſepho, ex translatione Rufini, lib. 1. de bello Iudaico. Palàm verò eum ſupplex adire auſus eſt, coramq́; depoſcere, ne ſe honore priuaret, quo dignum eſſe iudicaſſet.

Folio 165.

Ad poſtremum tantum effecit] Aliàs, tamen.

Atque ex ipſo genitus ſorore parentis ſui filię coniungeretur] Reponendum hîc ex ſcripto exemplari pro, ſorore, Pherorę, quē hîc parentem ſuum Antipater appellat, cùm patruus eſſet.

Contrà autem Salome cùm vellet Syleo nubere, ne ſuffragio quidē Lybię, quæ vxor erat Cæſaris, potuit de fratre impetrare] Hanc Latini Liuiam nominant, apud Ioſephum de bello Iudaico, ex translatione Rufini, Iuliæ nomen ponitur, quæ nupta fuit Tiberio Cæſari, non Auguſto. Sic enim ille: Quod idē in ſimili cauſa impetrare Salome non potuit. Hâc enim, quàmuis ſoror eſſet, atq; hæc ſæpè intercedente Iulia vxore Cæſaris poſtulaſſet, Arabi Syllęo nubere paſſus non eſt. Quare in alterutro mendum eſſe ſuſpicarer, niſi ſępiùs apud Ioſephū, Iulia, pro, Liuia, ſcriptum reperiretur, vt eum indifferenter ſic poſuiſſe appareat.



Folio 166.

Sed in vita Alexandro cuidam ex amicis Regis in nuptias conuenit] Ioſe. lib. 1. de bello Iudaico capite 18. hunc Alexam nominat, dum ſcribit, vt Herodes inuitam Salomem Alexæ cuidam ex amicis in matrimonium dederit.

Antipater quaſi is, qui voluerat ſibi cōſuluiſſe, exultabat animo] Codex vetus addit dictionem, vt, qui vt voluerat, & legit, conſuluiſſet, tertia perſona.

Coniunxerat ſibi cooperarium, &c.] Exemplar vetuſtū particulam, autem, inſerit: Coniunxerat autem ſibi.

Folio 167.

Herodes defunctus Hieroſolymā transfertur] Marg. hæc anno. vitioſa eſt: nō enim Herodes defunctus trāsfert Hieroſolymā, qppe qui nondū obierat, ſed eius frater Pheroras mortuus, ab Herode eò transfertur.

Nec tamen his indicijs ſedulæ credulitatis

tis conceptam excluſit opinionem, quòd ſuum frater veneno appetiſſet.] Locus deprauatus, & ob genus dicendi ſuccinctum ac ambiguum multò ad intelligendum obſcurior ac difficilior. Exemplar vetus legit pro, credulitatis, caritatis, dictionem magis huic loco aptam: Nam intelligit de officio in fratris Pheroræ viſitatione, dum ægrotaret, ac in funeris eiuſdem curatione præſtito, quo tamen ſedulæ caritatis officio Herodes non excluſit opinionem vulgò de ſe conceptam: quin ipſe, licet frater eſſet, eum, ſubaudi, Pheroram appetijſſe veneno putaretur, ita erat etiam in ſuos crudelis. Hanc eſſe autoris mentem, ex Ioſepho apparet, qui ſcribit: Quum Pheroram Herodes vſque ad vltimũ vitæ diem dilexiſſet, tamen quòd fratrem quoque veneno peremiſſet, fama vulgata eſt. Lib. prim. bell. Iud. cap. 16.

Cap. 43. fol. 168.

Quod non otioſum nec coniurationis vacuum tentamentorum, &c. in re ſuſpectabatur.] Scribendum, iure, ex codice veteri.

Ibi compoſitum, vt Antipater Romam peteret, Pheroras in Petram pergeret.] Exemplar vetuſtum, Peræam, legit, quæ lectio magis placet, quòd conſentiat cum Ioſepho, qui ſcribit, Pheroram trans flumen ſecedere curauiſſe. Peræa autem regio trans flumen ſita, vnde & nomen habet, quam luculentè deſcribit libro 3. cap. 2. & hic autor li. 2. cap. 9. Petra verò vrbs regia Arabiæ eſt. De bel. Iu.



Folio 169.

In ſe periculum omniũ & odia tranſiſſe] Aliàs, omne.

Qua dilectæ ſibi Mariamnæ] Aliàs, qui.

Ex ea genitæ non peperciſſet] Aliàs, genitis.

Quo tantæ beſtiæ furore vel fuga eximerentur] Ex codice vetuſto ſcribendum, furori.

Adijciebantur crebræ apud patrem Antipatri conquæſtiones deplorantis] Codex vetus legit, matrem: & ita ſcribendum docet Ioſephus, cùm refert ſæpè dixiſſe matri Antipatrũ conquerentem. Lib. prim. ca. 19.

Sed viuendi quoque curricula conuoluta temporum] Aliàs, euoluta.

Quòd autem ſit emolumentum ſucceſsionis futurum longæuo hæredi] Verbum, ſit, deeſt in codi. veteri, & poſt, ſucceſsionis, inſeritur pronomen, ſibi.

Folio 170.

Non aliquem ex ſuis filijs in ſuum imperium ſuſtineret] Codex vetuſtus legit, ſubſtitueret.

Qui ſibi dederat centum talenta] Quæ hodie ſummā ſexaginta millium coronatorum facere dicuntur.

Idque ab illo datum Thendioni amico Antipatri] Ex Ioſepho conſtat ſcribendum, Theudioni, per v in priore ſyllaba.

Folio 172.

Impunita ſibi omnia flagitia confitenti fore aut inficianti aceruanda ſupplicia] Exemplar vetus legit, At inficianti.

Folio 173.

Et ſi veniabilis erroris correptio eſt liber à culpa] Scribendum, correctio, ex veteri codice. Veniabilis, dixit, pro venia dignum, Macrobius dictione, venialis, eadem ſignificat. vſus legitur.

Munia pia germanitatis] Aliàs, piæ.

Sed cogitationis eius ego pretium fero] In exemplari veteri ſcribitur, contagionis, & pro, fero, feram: apud Ioſephum ſic effertur hæc ſententia: Sed ego quidem impietatis pretium fero.

De bel. Iu. lib. 1.

Folio 174.

Pixidem cum eo, quod receperat, veneni protulit] Codex vet. habet, reſederat, quod ſententia requirit: nam effuſo priùs, quod in pixide erat, veneno, paululùm, quod reſederat, protulit.

Subij-



Subijcitur quæſtioni mater Antiphili & fratres ipſius] Scribendum, frater, ex veteri codice, quod conſentit cū Ioſepho, qui ait: In matrem fratremque Antiphili contulit quæſtionem. Lib. 1. de bell. Iud. cap. 19.

Idem quem ſubrogauerat pater] Aliàs, qui.

Folio 175.

Non iniuſta mutatio] Scribendum, multatio.

Cap. 44. fol. 176.

Quos Romæ poſitos in ſuam amicitiam illexerat] Codex vetus legit, poſitus.

Clamdeſtinis artibus] Scribendum, clandeſtinis.

Conſilium diffinitur] Codex vetus, conſilio.

Qui poſteriora prodidiſſet calumnia] Aliàs, poſteriore.

Verùmetiam tanta accederet gratia] Aliàs, tantum accederet gratiæ.

Ille autem miniſtrum auum parricidalis ſibi ſublatum ingemiſcebat] Ex veteri exemplari ſcribendum eſt pro dictione, auū, quæ ſententiam hîc obſcurat, auſi, vel auſus.

Folio 178.

Tranſit itaque in portum] Aliàs, tranſmittit.



Cùm

Cùm ei etiam mater non mediocre præiudicium condemnatæ ſobolis daret] Pro ei,etiam legendum, eiecta: nam paulò ante matrem ab Herode eliminatam conſtat.

Denique expectato eius ingenio] Aliàs, experto.

Sed occaſio abſentiæ eius ſola arſerit] In codice vetuſto legitur, arriſerit.

Itaque magis volenda quàm neceſſaria ſuadētibus] Codex vetuſtus legit, volentia.

Folio 180.

Quæ geſta erant & prodita apud patrem, compererat] Aliàs, Regem.

Folio 181.

Quòd nulli iuſto veniabilis nequitia Antipatri poſsit videri, ſatis certum eſt] Codex vetus, certus ſum, legit: quod conſentit Ioſepho, qui ſcribit: Quod & tu Vare, & quiuis iuſtus iudex Antipatrum morte dignum iudicauerit, certò ſcio.

De bell. Iudaic. lib. 1. cap. 20.

Qui natus regno non erat] In codice veteri, in regno.

Folio 182.

Sed hoſtem induxi, qui inuideret nobilioribus] Sequentia codex vetus aliter nonnihil legit, ac diſtinguit, quare hîc aſſcribam: excitaret puerulos infirmos, circumueniret incautos, lapſos proderet, ſed eos excuſari potiùs, quàm vrgeri oportuit.



Antipater hic mihi] Hic, vetus exemplar omittit.

Vacua eſt domus, nouercæ filio] Codex vetus, Vacuata eſt domus, nouercæ filio.

Viſus ſum & ipſe diu viuere deceſsionem faſtidienti] Aliàs, ipſi.

Folio 183.

Quinquaginta in fructibus talenta conceſsi, trecenta Romam proficiſcenti dedi] Quanti hodie huiuſmodi ſumma æſtimetur, in præcedentibus, vbi ſimilia loca occurrerunt, dictum eſt: priorem videlicet ſummam triginta, alteram centum & octuaginta millia coronatorum valere.

Folio 184.

Tutiorem tamen gratiam & factum putabam,] Codex vet. legit, tutiorem tamen gratia me factum putabam.

Sed quæ (malū) infelicitas me, aut aduerſum me eos faciat inſurgere] Exemplar vetus aliter legit, omiſſa dictione, malum: Sed quæ in eos infelicitas me, aut aduerſum me eos fecit inſurgere.

Folio 185.

Si etiam in omnes filios meos affectati parricidij indicia promantur] Scribendum, etiamſi.

Folio 186.

Niſi fortè aliquis ex te metus compulit] Vetus exemplar inſerit pronomen, me, et te, me metus compulit.

Fol. 187.

Et intimum Cæſaris tibi cœpi, & à Sylæo ingẽti impulſus pecunia, vt te impugnarem, ita commutaui] Manuſcriptum exemplar pro, impulſus, legit participium, ambitum, in accuſatiuo, propter coniunctionem, &, quæ præceſsit, & conſtructionem verbi ſequentis, commutaui.

Cap. 45. folio 192.

Itaque conuerſus ad Oratorum verſutias, velut narratione miſerationis, epilogo quodam excitabat] Ex codice vetuſto conſtat, duas hîc dictiones in contextum irrepſiſſe, narratione miſerationis, quæ fortaſsis ab aliquo expoſitionis cauſa fuerant in margine adſcriptæ.

Subornatis grauibus teſtibus] Codex vetuſtus legit, Subornatis grauatos teſtibus.

Folio 193.

Offert nunc ſupplicia ſua] Codex vetus, Offerre nunc eum ſupplicia ſua.

Quos onuſtos vinculis obligauerit] Aliàs, alligarit.

Qui etiã Pheroram ſemper amantiſsimi Hero-



Herodis] Codex vetuſtus addit dictionem, fratris, Herodis.

Deus teſtis eſt] Aliàs, mihi, Deus mihi teſtis.

Quas Salomes nomine Antipatri compo ſuerat] Scribendum, Antipater.

Folio 194.

Ad Agmen ancillam Iuliæ] Codex vetuſtus, Acmen, legit, quemadmodum & Ioſephus.

Quo ſe videns vrgeri periculo, Antipater vnum ex filijs] Ex veteri codice reponendũ eſt pro, Antipater, Antipam, vnum ex filijs, vt ex Ioſepho liquet, qui ſcribit, vt Herodes teſtamento mutato exemerit nomen Antipatri, Regemque ſcripſerit Antipam, &c. Lib. 1. de bell. Iud. cap. 20.

Heredem imperij ſcripſit] In exẽplari veteri legitur, teſtamento ſcripſit.

Cùm ipſos quoque Antipater, &c. ſuſpectos patri fecerit] Vetus codex, quoniam ipſos quoque, &c.

Cęſari legauit mille talenta] De hac ſumma, vt ſexcies cẽtena coronatorum millia faciat, ſuperiùs dictum eſt.

In vxorem & filios quinquaginta millia contulit] Hic etiam Ioſep. vxori Cæſaris ac filijs, itẽq; amicis ac libertis, propè 50. talẽta diſtribuiſſe, vel potiùs legaſſe ſcribit: codex Lib. 1. de bell. Iud. cap. 20.

 tamen

tamen vetus adſcriptum habebat, quingen-
Li.17.ca.8. ta, quod ſanè conuenit ijs, quæ ab eodem Io-
ſepho ſcribuntur in Antiquitatibus, vbi in-
quit: Cæſari legauit mille talenta, & vxori
Iuliæ, liberiſque eius, & amicis, atque liber-
tis talenta quingenta: itaque neſcio, an in al-
terutro mendum ſuſpicari libeat.

Folio 195.

Tot parricidijs vulneratus ] Codices ve-
tuſti, conuulneratis.

Si etiam templi ſacrati ] Aliàs, templo.

Abſcōdita corporis ſcatebant vermibus
ſparſim totius corporis, anhelitus grauis.
Cod. vetus pro, ſparſim, ſpaſmi, habet: & ſic
lib.1. bell. Iud. c.vlt. legi oportere, ex Ioſepho manifeſtum eſt,
dum ait: Membrorum contractio fatigabat
Herodem. Et in Antiquitatibus: Super hæc
Lib.17. ca. 8. aliàs 9. omnia neruorum contractione laborabat,
& difficultate anhelitus. Itaque hic autor
dictionem Grecam, ſpaſmi, reliquit.

Folio 198.

Fol.166. Accerſita Salome, atque eius Alexa viro]
Hunc Alexam ſuprà Alexandrum vocauit,
& hîc manuſcriptus nomen, Alexandro, re-
tinet.

Cum vniuerſis domeſticis luctus hære-
ditatem dereliquiſſet ] Aliàs, domeſtici lu-
ctus.

Quinqua-



Quinquagenas drachmas iuſsit militibus
dari, ] Qui veteris monetæ æſtimationem fe-
cerunt, quinquaginta drachmas quinq; co-
ronatos valere docuerunt, vt militibus qui
nos coronatos diſtributos intelligamus: de
cauſa autem donationis, quam hîc autor
prætendit, ex Ioſepho non conſtat, qui Li.1.ca.21.
in bello Iudaico, Herodem deſperata iam
iam ſalute, militibus quinquagenas drach-
mas, multamque pecuniam rectoribus at-
que amicis ſimpliciter diuidi iuſsiſſe, com-
memorat: In Antiquitatibus verò refert,
Herodem, cùm nulla ſpes ſalutis ſupereſ- Li.17. c.8. aliàs 9.
ſet, donatiuum militibus quinquagenas
drachmas iuſsiſſe diſtribui, poſteà autem
Hierichuntem reuerſum, facinus illud atro-
ciſsimum de nobilioribus Iudæorum occi-
dendis animo concepiſſe.

Diem mortis peruenire deſiderauerat, ]
aliàs, præuenire.

Cæſumque (ſubaudi Antipatrum) ſepeli-
ri iuſsit in Hyrcania, ] ſic quoque in codice
veteri ſcribitur, cùm tamen ſuprà legere- Lib.1. de bel.c.vlt.
tur, Hyrcanio, vt ex Ioſepho annotaui, qui
& hoc loco Hyrcanium neutro genere po-
nit. Similiter in Antiquitat. dum narrat: vt Lib. 17.ca. 9.al.10.
Herodes corpus Antipatri obſcuro funere
condi in caſtello Hyrcanio iuſſerit.

Cap.46.fol.201.

Vt ſucceſſu ſuo beneuolentiam exhiberent,] ſcribendum, ſucceſſori, vt libri prius impreſsi habent.

Fol.202.

Et apertis etiam tab.] Aliter nonnihil legit ac diſtinguit hũc locum manuſcriptus, quam lectionem explicationis cauſa adſcribam, quòd etiam conſentiat cum Ioſepho libro primo, de bello Iudăi. cap. vlt. Apertis etiam tabulis teſtamenti, recitatur Philippus Trachonitidis regionis, & finitimorum locorum hæres: nuncupatur Tetrarches Antipas, Rex Archelaus: ita tamen, vt ad Cæſarem deferri anulum ſuum, &c. verbum, mãdaret, aut ſimile hîc ponendum, aut ſaltem ſubaudiendum omninò videtur: & certè apud Ioſephum tale quid legitur, dum inquit: eidemque anulum ad Cæſarem ferre mandauerat.

Fol.203.

Sed ora mœſtitia plena] exemplar vet. legit tantum, ſed ora mœſti, & dolentibus ſimiles, &c. figura poëtis hiſtoricisque conceſſa.

Sepultus in Herodio (vt ipſe mandauit) quod aberat ducentis ſtadijs ab eo loco (videlicet Hierichũte) in quo finẽ vitę inuenit. Magno



Magno obſequio, per tantum ſpatij deductus vniuerſorum, ſed non omnium pari affectu:] Ioſephus in Antiqu. refert, pompam funebrem proceſsiſſe Herodium vſq; per octo ſtadia, vbi quemadmodum antè mandauerat Herodes, ſepultus eſt.

# CORNELII GVALTHERI CASTIGATIONES ET annotat. in librum ſecundum.

Cap. 1. fol. 204.

SAcrata omnia ſacrilegio cõtaminauerit] aliâs, ſancta ſiue ſacra.

Beatos qui defeciſſent, ] aliâs, beatos illos, qui def.

Fol.205.

Superaſſe finem malorum, vt ſi ſibi exire liceret exilio, ibi diem clauderet. ] Aliter hæc leguntur in vet. codice: Speraſſe finem malorum, vt ſibi exire liceret exilio, ſi diem clauderet.

Fol.206.

Dicendi validius proſequebatur] ſcribendum, validus.

Stipãtibus armis militaribus,] codex vet. legit

legit numeris militaribus: qua dictione idem autor ſuprà vſus eſt, tributis, inquit, etiam militaribus numeris in Syriam direxit: numeros militares vocat cohortes vel legiones, quæ certo numero militum conſtabant.

More quodam & vſu Imperatorum promi diadema] codex vet. poni, legit.

Non ſolùm poteſtatem Romani Imperij] ſcribendum ex vet. cod. pro poteſtate, ſequitur enim ſtatim, pro iure teſt.

Preceptorem igitur Imperij de ſeipſo pronunciaſſe] codex vet. Præreptorem.

Fol.207.

Non petendo autem, ſed vſurpãdo quæ in petitione conſiſterent, etiam in pecuniarijs (negotijs nedum deuit.] Quod marginalis annotatio admonet, parentheſi incluſi in ſcriptis codicibus non haberi, rectè quidem, ſi dictionem, negotijs, non incluſiſſet parentheſi, quæ dictioni, pecuniarijs, cõiungi debet, quib' ſtatim ſubijcitur, ꝑiudicare ſolere: miror ſanè, vnde hæc hic infarta ſint, cùm ſuprà in oratione Antipatri habeãtur.

Vt præpoſteri litigatores cadant cauſa:] Quamuis hæc lectio probè ſibi conſtet, tamen vt codex vet. hic legat adſcribere viſum fuit, vt prepoſteri litigatoris cedat cauſa, ad- Lib.1.f.17.



ſa, adſcriptum erat, alias, cadat.

Qui ante regnum inſolentiſsimus, necaſſet plurimos] vet. codex legit, Qui ante regnum inſoleuiſſet, necatos plurimos, quia opem, &c. popoſcerant.

Fol.208.

Regni ſui primordio cõmendauiſſe] ſcribendum, primordia.

Fol.208.

Si modo tolerabilem liceret perpeti ſub rege iuſto] codex vet. legit, iniuſto.

Fol.209.

Cæſarique ſeniori bello probatus] intelligit Cai. Iul. Cæſarem.

Non deprecari tamen, quò minùs ſub regno ſint, ſe potiùs ſub Romano agere] in codice vet. legitur, ſed poſcere ſub Romano agere.

Cuius ſibi gratiam iam inde à Machabeis partam tantam per vſurpationem regni poſtea degenerauerunt] poſt dictionem, partam, videtur deeſſe verbum, ſenſerunt, aut ſimile, & pro, tantam, in codice vet. legitur, tamen.

Fol.211.

Cui iure etiam Reges cedunt poteſtate] codex vetus legit, cui', & pro, poteſtate, poteſtati.

Cap.

Cap.2.fol.212.

Cæſar ad ſe eum perduci ocyùs per Geladum quendam,] codex vet.legit, Celadum, & per C.ſcribendum ex Ioſepho conſtat.

Fol.214.

Libyes Regi Tybæ ſecundis eſt copulata nuptijs] in codice vet.ſcriptum erat, Tobæ: ſed ex Ioſepho conſtat ſcribendum, Iubæ: nam legitur lib.2.de bel.Iudai.cap.6.vt poſt mortem Alexandri Glaphyra Iubæ Regi Libyę nupta fuerit: & in Antiquit. Iubæ Regi Mauritaniæ nupta narratur.

Li.17.c.19. ali.15.

Nam multò pòſt,] ex codice vet. legendum, non multò pòſt.

Nec longum lætabitur fratrum inceſtus matrimonij,] ex codice vet. legendum, fraterni, quod cõuenit cum eo, quod infrà ſcribitur, fraterni cubilis inceſtum deprehendebat.

Infra fol. 222.

Cap.3.fol.215.

Nouem ſpicis, nouẽ annos ſignari,] aliàs, ſignificari.

Cùm vi ius ſuum vincendi redigerent,] ſcribendum, vincendo.

Fol.216.

Philippus quoq; Lybiã vrbem matris ſuę vocabulo nuncupandã putauit] pro, ſuæ, ex codice vet.ſcribendum, eius: intelligit enim matrem Tiberij Liuiam, non autem ſuam. Sibiq;



Sibique exitum accelerauerit,] legendũ, exitium.

Cap.4.Fol.218.

Eſſet etiam ſpectatiſsimi decoris,] codex vet.legit hic, præſtantiſsimi, cùm dictio, ſpectatiſsimi, paulò antè ponatur.

Fol.219.

Quòd eam dignatus ſit viſitare dominus Deus ſuus,] dictio, dominus, non legitur in exemplari veteri, & certè phraſi illius temporis non adeò conuenit.

De ſe quoque ex illa Deum eſſe generandum perſuadet,] in vet.codice legitur pro, ex, &, illa Deum, &c

Fol.220.

Niſi vt te viginti millium, quæ obtulerã, defraudares compendio,] in veteri exemplari annotatum erat in margine, inferendas has duas dictiones, drachmarum atticarum, quamuis in Ioſepho ſimpliciter nomen drachmarũ ponatur: in numero quoque Ioſephus longè ab hoc autore diſcrepare videtur, qui ſic in Antiquita. ſcribit: Ita vt offerret pro vna nocte ducenta drachmarum millia: quam ſummã viginti millia coronatorum facere, à doctis annotatum eſt: addit præterea Ioſephus, cùm hac oblatione nihil effeciſſet, Idam libertam Mundi pa ter-

Li.18.c.6.

ternam quingentos coronatos hodie faciunt, quinquaginta tantùm millia drachmarum ad hanc rem conficiendam poſtulaſſe, ex quibus viginti quinque millia ſacerdotibus Iſidis obtulit, totidem negotio confecto ijſdem numeratura. Refert ibidem Ioſephus, vt Mundus occurrens Paulinæ dixerit: ô factum benè Paulina, quòd & ducenta illa millia mihi ſeruaſti, quæ potuiſſes tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati geſsiſti: Itaq; miror, quem hîc autor ſecutus ſit.

Cùm ipſe cubandi in templo poteſtatem permiſerat,] codex vet. legit, cui ipſe, &c.

Confeſſos necat] Ioſephus in crucem actos refert.

Leuioribus commiſſorum ſuorum pretijs multatus æſtimaretur,] codex vet. multandus.

Cap. 5. fol. 221.

Ab eo miſſus Pilatus eſt in Iudæã, circumuenit Samaritanos, vt montem, cui nomen Gadir, peterent:] Aliter nonnihil hæc, quæ ſequũtur, à Ioſepho narrantur, & montem Gadir, Garizin nominat. Fol. 222.

Templo maturatum excidium,] aliâs, têploque.

Fol. 224.

Plu-



Plurimum enim potuit Imperio Agrippa] codex vet. legit, pro enim, eius, plurimũ eius, &c. ſubauditur enim, Caij Cæſaris, ſub cuius imperio plurimum potuit Agrippa.

Nec minorem potentiam exercuit imperitante Claudio] hîc ſubijcitur in exemplari ſcripto particula cauſalis, quia: vult enim ſignificare autor, idcirco plurimum potuiſſe Agrippam apud Claudium, quia ipſius regni primitijs interfuiſſet.

Cap. 6. fol. 225.

Quia dum ex ſe genito conſuluit, principi ſuum negauit,] codex vet. legit, principi ius ſuum negauit: per principem intelligit Britannicũ Claudij filium, quòd is principe ſiue primo loco & potior iure haberetur, vt ex ſequentibus liquet.

Erupit in ſeditiones graues, latrocinia, diſſenſiones eorum inſolentia,] in codice vet. legitur, diſceſsiones, quam lectionem vt annotem, facit eiuſdem locus infrà poſitus, vbi ſcribitur: Sed dum ſibi conſulunt, terrore fecerunt diſceſsiones: ex quo belli aduerſus Romanos ſuſpicio primò, deinde inuidia exarſit. Fol. 226.

Grauiorque metus viuentium, quàm interfectorũ,] codex vet. legit, quàm ærumna interfectorum.

 Cap.

Cap.8.fol.228.

Denique & templum intra eam ſtruxerit,] aliâs, templa. Fol.229.

In vincula raperetur, quamuis innoxius;] nota hæc ſtellę index loci imperfecti ac mutili, ex codice vet. apparet ſuperflua.

Fol.230.

Nec obſecranti deferendam arbitratus,] aliâs, deferendum.

Cui egredienti ex Aegypto,] aliâs, regredienti, &c.

Et circunducti per vrbem, &c. inſiſtere cœperunt,] legendum, circumducto.

Vt legatos ad Neronem mitterent,] aliâs, mitteret, ſubaudi, Agrippa.

Coacto in vnum populum & loco,] ſcribendum, populo, ac pro, &, in loco.

Fol.232.

Nemo enim poterit æſtimare, quale ſit quod dicitur &c. Sequentia valdè ſunt obſcura, quòd locus ſit mutilus ac deprauatus maleq; interpunctus: codex etiam manuſcriptus hîc non omnem nobis ambiguitatem & obſcuritatem adimit, cùm tamen in multis ſit perfectior meliusque diſtinctus: eius lectionem, quòd plurimum lucis ſit allatura, proponere volui: Nemo enim poterit æſtimare, quale ſit quod dicitur, niſi audierit priùs, cuius ipſe futurus arbiter ſit, probet, ne an reſpuat, fruſtrà cõturbatur nẽ audiat: Licet enim & poſt cõſultationẽ vnicuiq; ſentire, quod ſentit, & ſi diſceſsio placet etiam pòſt ſobrios monitus, ſeruare inconſultę voluntatis ſententiam. Sed dicit aliquis: cur fruſtrà audiri velint, ſi nõ acquieſcant qui audiunt: quia ſi nolint acquieſcere cùm audierint, portio mihi cõcionis, non omnis populus periclitabitur. Si autẽ audire nolint, etiam cùm pars audiri conturbat, vniuerſo populo eripiatur audiendi profectus. Itaque apud eos mihi ſermo orietur, qui audire voluerint, ſi vel ex parte aliqua mihi ſilentium nõ differatur: intercipietur enim ſermo omnis, & quaſi totus decidet, ſi cõcionalis fragoris & inquieti ſtrepitus examinetur impedimento.



Fol.233.

Et quòd plerique periјſſe ſibi libertatem gemant,] aliâs, gemunt.

Fol.234.

Quòd eorum, qui læſi ſunt, toleranda lædentibus fuerit verecundia,] codex vet. legit, tolerantia lædentibus fuerit verecũdiæ.

Fol.235.

Sed neque ſpeculari poſſunt transmarina,] aliâs, trans maria.

Orbis terrarum tibi derelinquēdus eſt,] aliâs,relinquendus.

Fol.238.

Macedonia atque Africa,quæ per ſuos validiſsimos Duces,] codex vetus legit,Macedonia quoque atque Africa,quæ per duos validiſsimos,&c.

Optant propitios Dominos,] dictio,Dominos,deeſt in cod.vet.

Quia alter ſe contra Græciam tenuit,] codex vet.legit,intra Græciam.

Non ad fulctrum dominationis quæſita] ſcribendum,fulcrum.

Fol.240.

Itaque iam non copijs Germanorum repletur, ſed Romanorum liburnis] locũ hũc deprauatum non facilè quis animaduerterit,quem vt obſeruarem,admonuit me nomen ſuperſcriptum in codice veteri,dictioni,copijs,quamuis & ipſa corrupta eſſet,népè,copolis:itaque cum liburnæ Romanorũ opponantur copijs Germanorum,aliam dictionem magis propriam & illi reſpondentem hîc legendam cognoui, quare collegi ab autore ſcriptum fuiſſe,pro,copijs,caupulis, quod genus eſſe nauigij excauatum inſtar lintris ſcribitur, & huiuſmodi nauigijs Germanos vſos, ex Corn.Tacito,& Amm. Marcellino conſtat:opponuntur itaque hic caupulis Germanorum liburnæ Romanorum, quibus caupulis iam nõ repletur,ſubaudi Rhenus,quare delēdum dictio,replentur,vt indicat manuſcriptus.



Fol.241.

Quæ pererrãtes tot vſque ad mare bicornis amnis quondam liberas gentes ſeruitio premunt,] Poſt dictionem,amnis,vetus codex, fluenta,addit, vt integer ſit ſenſus,quæ ſcilicet liburnæ pererrantes tot fluenta bicornis amnis,nempè Rheni,vſque ad mare, premunt ſeruitio gentes quondam liberas: in Panegyricis Rhenum,flumen bicorne dici, ſubinde legimus.

Folio 242.

Et in vehendis, quæ neceſſaria ſunt ad vſum rerum,miniſtret?] aliâs,ad vſum remedia miniſtret.

Fol.243.

Non tranſiliam Cyrenenſes Lacedæmoniorum,] hic ex codice veteri addēdum eſt, genus, poſt dictionem, Lacedæmoniorum.

Fratribus Philineis,] aliàs,Philenis.

Circumfuſa vndique mari ex fluctibus,] legendum pro,ex,& fluctibus.

Fol.243.& 244.

Et plurimi populi ex faſcium virgulis metu in-

tu inclinabuntur,] ex codice vet. legẽdum, ſex faſcium virgulis,&c.

Vbi eſt ſtolus nauium veſtrarum,] græcã dictionem hîc autor pro, claſſe nauium po. ſuit.

Terra ipſa infra Romanorum imperium eſt,] aliâs, Romanum.

Super quam progreſſa Romana,] aliâs, ſu pra. Fol. 245.

Nouam ſibi inuenit poſſeſsionem,] ſibi, aliâs, deeſt.

Vbi antè ſolum naufragium putabant,] aliâs, putabat.

Vnde vobis aduerſum Romanos præſi. dia quæritis?] aliàs, quæretis.

Fol. 246.

Ne illud bellũ ſimile putetis,] aliàs, iſtud bellum,&c.

Aut ſiue nutu Dei,] aliâs, ſine nutu,&c.

Fol. 247.

Nec diuina non opituletur gratia,] parti. cula negatiua, non, in cod. vet. deeſt.

Fol. 249.

Parcite ſaltem ſacratiſsimis ſacerdoti. bus,] dictio, ſaltem, aliâs omittitur.

Hæc dicens, illachrymauit, Beronicę. que ſoror eius,] ſcribendum, Beronicę quo que ſoror eius.

Nam



Nam & ipſa inſtitit ſuperioribus,] in exemplari vet. ſcribitur, nam & ipſa erat in Sixti ſuperioribus: Sixtum enim locum fuiſſe templo proximum, ſuprà legimus, lib. 2.

Cap. 8. fol. 250.

Non Romanis bellamus,] aliâs, rebellamus.

Denique breui miſsis in huiuſmodi munijs induſtrijs executoribus,] aliâs, munus.

Cap. 10. fol. 252.

Cùm multò amplius acceſſerit diuitiarum,] aliâs, cui multò.

Sacros ritus nouari,] ex codice vet. legendum, negari: nam paulò antè dictum fuit, vt Eleazarus ſuaſerit, ne cuius alienigenæ donum vel ſacrificium reciperetur.

Fol. 254.

Principes Sacerdotum,] aliàs, princeps.

Fol. 256.

Nec tamen diſsidium remotum,] codex vet. legit, bellum remotum.

Cap. 11.

Syria quoque prouincia omnis in bellũ excitata,] aliâs, excita. Fol. 257.

Nec præter verecundiam ſpectantium,] aliâs, propter verecundiam.

Monumentis, quibus pudenda,] legendum, munimentis.

 Et

Et rapiendi cupido animum inuaſerat,] legendum, ita animum inuaſer at, &c.

Difficile quiſquam populus inhabitans ſecum Iudæos,] legendum, inhabitantas ſecum Iudæos.

Fol. 258.

Geraſſem autem] codex vet. Geraſſeni.

Vt ſine vlla fraude abirēt,] videtur legendum, ne ſine fraude abirent.

Vbi verò inuideri ab his,] legendum, irrideri.

Nec vllo odio modo tolli poſſe] ſcribendum, alio modo tolli poſſe.

Cùm alios reſiſtentes, fugientes alios in domibus,] poſt, reſiſtētes, codex vet. inſerit dictionem, alios, alios fugientes, &c.

Fol. 259.

Crepitabant flammæ ſæuo per vrbem incendio, quæ Iudæorum domibus inuectæ] Aliàs, iniectæ: vicina ſimul depaſcebant] Aliàs, depaſcebantur.

Infelix tamen Alexander tandem milites abſtinere, &c.] Scribendum ex codice vetuſto, Inflexus tamen Alexander.

Capite 12.

Poſteà etiam Diſcipulos perſequebantur,] Aliàs, Diſcipulos eius perſequebantur, &c.

Ple-



Plerique tamen Iudæorum gentilium, plurimi, &c.] Legitur, & gentilium plurimi.

Operibusq; vltra humanam poteſtatē profluentibus] Aliàs, poſsibilitatem.

Imò eam etiam cumulauit deuotionem] Dictio, eam, aliàs deeſt.

Non excuſabatur Pilatus, ſed Iudæorum amentia coaceruabatur] Aliàs, Non excuſatur Pilatus, ſed Iudæorum amentia coaceruatur.

Folio 260.

Qui & hæc & alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetarūt] Exemplar vetus legit: Deo pleni miracula prophetauerunt: Deo pleni intelliguntur Prophetæ diuinitùs inſpirati.

Ex quo cœpit congregatio Chriſtianorū, & in omne hominum penetrare genus, nec vlla natio Romani orbis remanſerit, quæ cultus eius expers relinqueretur,] codex vetuſt. legit, & in omne hominum penetrauit genus, & pro, remanſerit, puto ſcribendū, remanſit.

Fol. 261.

Baptiſta Ioannes vir ſanctus, qui nunquā in ſeculis ſalutis veritatem poſuerit,] pro, ſeculis, codex vet. legit, ſecundis.

Fol. 262.

 Si-

Simul quia omnem circa eandem ] Aliàs, Simul quia omnem iam circa eandem.

Cap.13.folio 264.

Fuerunt itaque, ex quo egreſsi ſunt, ex Aegypto Patres, vſq; ad ędificationẽ templi, quod Salomon condidit, Principes Sacerdotum 13. qui fiunt anni ducenti 12. ] Pro, ducentis, manuſcriptus habet, ſexcenti & duodecim: & ſic ſcribendum, ex Euſebio Cæſarienſi in Chronico ſuo conſtat. Nam à Moſe ſiue egreſſu Iſraëlis ex Aegypto vſq; ad Solomonem & primam ędificationem templi, ſexcenti anni computantur, iuxta ſupputationem voluminis indicum: cùmq́ in tertio libro Regum minor numerus contineatur, videlicet anni quadringenti ſeptuaginta nouem: quo in loco impreſsi libri Euſebij ſunt deprauati, qui tantùm annos quadringẽtos & viginti nouẽ annos habent, omiſſa, vt apparet, litera L. quæ quinquaginta facit.

Poſteà etiam ea viuentibus ſubrogabantur ] Codex vetus legit, à viuentibus ſubrogabatur.

Folio 266.

Vſque ad hoc tempus regreſsio Patrum ] Aliàs, regreſsionis Patrum.

Folio 268.

Velut conteſtatus pacti iniquitatem ] Aliàs, conteſtaturus.

Arabi



Arabi Regis auxilium aduertit ] Aliàs, Arabici Regis.

Folio 269.

Anno iam tertio imperitãtem bello pertulit ] Aliàs, perculit.

Atque eum Præſidem ciuibus, abſq; diademate tamẽ regniq́; infulis, ſtatuit ] Aliàs, præſidere.

Folio 272.

Conuulſa equitatus præſidia ] Aliàs, antiquitatis.

Cap.14.folio 273.

Cuius fregit impetum Sephoris ] Aliàs, infregit.

Ciuium fauore & gratia, &c. ] Aliàs, quorum fauore.

Cap.15.

Legati adorſi Phœbam interficere ] Aliàs, interfecêre.

Fol.280.

Impedimenta agminis admoueri præcepit ] Aliàs, amoueri.

Ex altera parte præcipitia ] In codice manuſcripto deeſt particula, parte, & legitur, ex altera præcipitia, ſubaudi tendo, dictionẽ, parte, quæ paulò antè præceſsit.

Folio 282.

Qui & nocte plurimùm ſpacij confecerãt, & per diem properantiùs iter vrgebant, ne

nec noctis iam periculis inuoluerentur] In codice veteri legitur, Qui & nocte plurimũ ſpacij confecerat, ſubaudiendo exercitus, & in ſequentibus ſingulari numero vrgebat, inuolueretur.

Quorum ſocij dimiſiſſent ] Pro, quorum ſocij, legitur, qui ea dimiſiſſent, &c.

Cap.16. folio 183.

Cuſtobarus & Saulus frater ] Aliàs, fratres.

Cap.17. fol.285.

More ingenij humani præponderatur apud eos ſalutis cura neceſsitudini ] Aliàs, præponderabat.

Atque vrbem incautioribus accolis noctu adorirentur] Aliàs, incolis.

Proſtratisq; omnibus gentibus ] Aliàs, gentilibus.

Si vellent fidem ſuam circa gentiles probare] Scribendum, Si vellent fidem ſuam etiam circa gentiles probare.

Folio 286.

Tertia nocte, cùm iam præſumpta fides gẽtilibus remouiſſet ſolicitudinem] lectionem in margine aſſcriptam comprobat vetus exemplar, qui legit: Tertia nocte, cùm iam præſumpta fides gratiæ, gentilibus remouiſſet cuſtodiæ ſolicitudinem.

Cap.



Cap.18. fol.287.

Et fratrum ſanguinem vobis obſidem *dedi* gratiæ] Aliàs, fraternum.

Folio 288.

Feſtinabat ipſe ictu celeri hoſtem perimere] Aliàs, præuenire.

Et tanquàm triumphans domeſticis paſſionibus] Aliàs, triumphatis.

Folio 289.

Ac formidabilem ſibi cunctis ſubijciens mortem ] In codice vetuſto trãſpoſitæ ſunt dictiones, & legitur: Ac formidabilem cunctis, ſubijciens ſibi mortem.

## CORNELII GVALTHERI castigationes & annotationes in librum tertium.

Cap.1. folio 291.

Britanniam quoque inter vndas adhuc latentem ] Dictio, adhuc, in manuſcripto deeſt.

Capite 2. folio 294.

Si reſuſcitatus eſt, ſurgat] Aliàs, Si reſuſcitatus eſt mortuus, ſurgat.

Fol.296.

Mirari potiùs & venerari] Aliàs, mirari populus, & venerari.

Plerique

Plerique dicentes Dei eſſe potentiam, nõ hominis] Aliàs, hominem.

Deceptum ſe Nero & deſtitutum dolens tanti caſum amici ] In codice veteri legitur: Deceptum ſe Nero & deſtitutum videns tanti caſu amici, &c. Cap. 3. folio 298.

Ioſephum Curione genitum] Codex vetus, Gurione, legit, Ioſephus Gorionis filium nominat. Folio 299.

Quàm communi vſui pronum arbitrati] Codex vetus legit, propiorem arbitrati.

Manaſſe Petræa regio commiſſa, trans Euphratem ſita] Codex vetus Peræa: apud Ioſephum quoque ſcribitur, vt trans flumen Manaſſes miſſus ſit: itaque per flumen Iordanẽ potiùs quàm Euphratem accipiendum puto: nam idem Ioſephus in deſcriptionem Peręę longitudinem eius à Machęrunte in Pellam, latitudinem verò à Philadelphia vſque ad Iordanem extendit. Præterea cùm idem infrà ſcribat, Nigrum Peraitem, vel potiùs Pereatem, ideo cognominatum, quòd ex regione trans Iordanem ſpoſita genus duceret, Peręam potiùs trans Iordanem fluuium q̃ Euphratẽ poſitũ, dicendum videtur, cùm Euphratẽ longiùs etiam diſsitum legamus.

Cæterique aduerſis attributi partibus] Aliàs, diuerſis.

Folio



Folio 301.

Vt plùs ante bellum à ſuis, quàm in ipſo à Romanis perhorreſceret] Codex vetus legit, quàm in ipſo bello à Romanis pericula perhorreſceret.

Omitto quidem ſeditionis excitatum] Codex vetus legit pro, quidem, quid: Omitto quid ſeditionis excitatum.

Folio 303.

Vt Tarichæas deducerent, atque illic trecentos fermè Curiales pleroſque in vincula de plebe rapit] Codex vetus, ſexcentos, legit, & dictiones tranſponit, pleroſq; ex plebe in vincula rapit. Ioſephus hanc lectionẽ confirmat, & explanat, dum ſcribit: Donec omnem curiam, quæ ſexcentos haberet viros, duoq; millia populariũ comprehẽſa, in Tarichæas ſcaphis abduxit. De bel. Iu. lib. 2. c. 27.

Cap. 4. fol. 304.

At verò Petates Niger & Babylonius Sylas, & Iohannes Eſſæus, omne quod erat in Iudæa pubis validæ congregantes, Aſcalonem petunt] Codex vetus, Pereates, legit, & certè à regione Peræa nomen habere Ioſep. teſtatur, qui ſcribit, Nigrum ex regione trãs Iordanem poſita genus ducere: vnde Peraitem vel potiùs Pereatem cognominatum.

Omne quod erat in Iudæa ] Marginalem annota-

annotationem diuerſæ lectionis approbat codex manuſcriptus: Iòſephus tamen contextus lectionem magis cōfirmat, dum ſcribit: Deniq; omni, quanta fuit manu pugnaciſsima congregata, Aſcalonem petierunt.

De bel. Iu. lib. 5. ca. 1.

Et odijs indigentibus] Aliàs, ingentibus.

Eductis equitibus tranſire ad vrbem ſinit] Codex vetuſtus legit, Edoctis equitib' &c. Apud Ioſephum tamen Antonius ſimpliciter equites ex ciuitate duxiſſe ſcribitur.

De bel. Iu. li. 5. cap. 1.

Folio 305.

Cæſi iterum nouem millia, reliqui fugati] Aliàs, Cęſa.

Cap. 5. folio 306.

In alto anguſtior] Aliàs, lato.

Folio 307.

Sed propitior laſciuię [Codex vetus legit propior.

Folio 308.

Vrbs tertio loco antè ex omnibus, qui in orbe Romano ſunt ciuitatibus æſtimata, nunc quartò, poſtquàm Conſtantinopolis excreuit ciuitas Byzantiorū,] Quum hîc autor mentionem faciat Conſtantinopolis, ac prætereà dignitatis illius, quam in Concilio Conſtantinopolitano primùm nacta eſt autorem certè longè poſt tempora priſci illius Hege-



Hegeſippi fuiſſe, in prefatione noſtra ad lectorem, oſtendimus. Quomodo Conſtantinopolis ſecundum à Roma veteri ſortita ſit locum, oſtendit cap. 5. Concilij Conſtantinopolitani primi, vbi legitur: Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum habere priuatus honorem poſt Romanum Epiſcopū, proptereà quòd ſit noua Roma.

Folio 308.

Perſarum quondam caput, nunc repulſorū] Codex vetus, repulſorium, & intelligit Antiochiam Syriæ Perſis obiectam.

Prima enim Roma, ſecunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Conſtantinopolis] hęc non leguntur in veteri codice, & ex marginali annotatione in contextum veniſſe veriſimile eſt.

Ibidem.

De ſitu vrbis ſatis dictum puto] videlicet Antiochiæ, de quo initio capitis autor locutus eſt.

Nec diutiùs eo morante comitanti adhæſit] Codex vetuſtus, moranti comitanti adhæſit.

Folio 309.

Erat enim præter opinionem loci munitioris] Codex vetus legit, præter oportunitatem loci.

Cap. 6. folio 311.

Vt exiguus vicus in ſuo tractu habeat viginti millia inhabitantium] Codex vetus legit hîc, quindecim, quod conſentit cum Ioſepho, qui ſcribit: Et vbique multitudo vicorum propter opulẽtiam populoſa, vt qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat.

Lib.3.ca.2

Folio 312.

Ab ortu Solis vrbe Arabiæ protexitur] Codex vetus legit, ab ortu Solis vſq; Arabiã pretexitur, quod ſic explicat Ioſephus: Ab Oriente autẽ Arabia & Silbonitide, nec nõ & Philadelphia, itemque Geraſis clauditur.

Capite 17. folio 315.

Sepphoritani quoque & tributa & ſubſidia militaria regiones finitimas incurſabãt] Codex vetus legit, Sephoritanis contributa ſubſidia militaria regionis finitimæ incurſabant. Scribit enim Ioſephus à Veſpaſiano mille equites, & ſex millia peditum Sepphoritis in auxilium miſſa.

Lib.3.ca.3.

Folio 316.

Cecinit itaque claſsicum, tentata irruptione] Aliàs, tentata irruptio.

Cuius mali illa, quæ paulò antè acerbiora æſtimata ſunt, præferebantur] Codex vetus, Cuius malis, propter verbum, præferebantur.

Capite



Capite 8. folio 317.

Et effuſis in Iudęos exequebatur] Codex vetus legit, Et effuſis in Iudæos odijs exequebatur.

Folio 318.

Et erat illi prior ſententia] Aliàs, potior.

Quàm declinando præſtare proditorem] Aliàs, Quàm declinando proditorem videri.

Capite 9. folio 319.

Nec vllum refugij locum] Aliàs, effugij.

Folio 320.

Licet ſæpè & excurſus à Iudæis, & Romanis tentarẽtur eruptiones] Aliàs, & à Romanis tent. erupt.

Folio 321.

Et horror ſollicitus intuentem] Aliàs, ſollicitiùs intuentem.

Vnus ad vrbem acceſſus, arduo tamen aſcenſu ſuppetebat] Aliàs, aſcenſu patebat.

Folio 323.

Muri latus cederet, cauatumque vi rupturis feneſtram daret] Aliàs, irrupturis.

Folio 324.

Quò vacuati paleis, euitare arietis ictum nequirent] Co. ve. legit, curare, & metaphoricôs pro, vim & efficatiam arietis fruſtrari,



hoc

hoc verbum autor poſuiſſe videtur.

Fol.325

Cùm in ſe ſolus diſceſſerit patriæ] Hanc impreſsi libri lectionem agnoſcit codex vetus.

In machinaméti autem communitione] Codex vetus legit, comminutione: nam & ſuprà dicitur: vt comminueret caput machinamenti.

Vt auerteret, quos petierant] Aliàs, quos poterant.

Cap. 13. fol. 328.

Excluſus iſte, ne penitùs euaderet] Aliàs, periturus euaderet.

Folio 329.

Itaque extincta ſunt duo millia virorum omnium pręliatorum] Apud Ioſephum verò ponuntur duodecim millia: nam libr. 3. cap. 11. ſcribitur: Quoàd omnes interiêre, numero hominum duodecim millia.

In prædam ducta ſunt duo millia, centum triginta mancipia] Sic etiam legitur apud Ioſeph. quare vitioſa eſt marginalis annot.

Domini cum ſeruulis ęqua iam ſorte cõditionis] Codex vetuſtus legit, æquata iam ſorte cond.

Cap. 14. folio 330.

Nam cùm ſecundum conſuetudinẽ ſuam aſcen-


diſſent montem Garizim] Aliàs, congregati aſcendiſſent.

Qui erat illis conſecratus] Aliàs, ſanctus: Ioſephus inquit, qui erat illis ſanctiſsimus.

Folio 330.

Homo omnis adoraret Deum] Aliàs, omnis homo adoraret.

Folio 331.

Eò eum Veſpaſianus direxit] Dictio, eũ, in codice veteri omittitur.

Cùm igitur tantam hominum multitudinem vexaret ſitis] Pro, multitudinem, codex vetus legit, conſtipationem.

Itaq; extincta ſunt illic millia vndecim, ſexcenti viri] Sic etiam ſcribit Ioſephus, quare marginalis annotatio de viginti millibus & ducentis viris minùs conueniens videtur.

Cap. 15.

Facta eſt diruptio primo diluculo] Codex vetus legit, facta irruptione.

Folio 333.

Illo die interfecti omnes] Aliàs, illo ipſo die interfe.

Cæſa per omnes dies quadraginta millia, qui numero comprehenſa ſunt] Aliàs, quę numero comp.

Cap. 16.

Anhelare ad ſuperna ad regionem paradyſi,

diſi, vbi Deus ipſe pias animas conſeruauit] Codexvetus ſcribit pro, anhelare, reuolare: & pro, conſeruauit, ſacrauit.

Folio 337.

Dicent profectò] Aliàs, dicunt iam profectò.

Quòd ſeruire elegeris aſſertor libertatis] Aliàs, aſſertor legis & libertatis.

Capite 17. fol. 339.

Mors verò requies] Aliàs, mors viro requies.

Aut nunquid breue tempus vitæ meæ] Aliàs, aut nunquid non breue tempus.

Folio 340.

Si bonum eſt viuere, ſacrilegium eſt repudiare] Aliàs, ſacrilegum.

Folio 341.

Non igitur vſus conſilio, ſed deſtitutus miniſterio fecit] Aliàs, ſed deſtinatus miniſterio fecit.

Si non timuit, cur primò aliud elegit] Aliàs, egit.

Saul tantùm ſe ſolus peremit] Aliàs, Saul tamen.

Folio 342.

Qui eam corpore ſuo repulit, & ſerpenti in omni obſtaculo fuit] Aliàs, & ſerpenti in omnes obſtaculo fuit.





Si pereunt illi aduerſario, cur ego non peream mihi?] Aliàs, Si parcunt illi aduerſario, cur ego non parcam mihi?

Nam cùm amicitiam offert, libertatem promittit] Aliàs, qui amicitiam offert.

Folio 343.

Quis enim non ignorat fœmineę timiditatis eſſe, & muliebris fortitudinis] Aliàs, & muliebris formidinis.

Et qui nõ curat ſeipſum in operibus ſuis, frater eſt eius, qui ſeipſum exterminat] Adſcriptum erat in codice veteri, frater eſt ſua opera diſsipantis, & eius, qui, &c.

Folio 344.

Informem lethi laqueum homines inuenerunt] Aliàs, inuenerint.

Nos in commiſſum nobis] Aliàs, in, deeſt.

Folio 345.

Quid autem attexam violati depoſiti religionem] Aliàs, violari depoſiti relig.

Folio 347.

Alij dexteram manum abſcindunt defuncti, vt ſeparetur à mẽbris ſui corporis, quod aduerſus corpus ſuum] Aliàs, quæ aduerſus corpus ſuum.

Folio 348.

Non enim vitæ huius vlla cupiditas te-

net] Aliàs, vlla me cupiditas tenet.

Multos habes tui executores] Aliàs, multos habes tui imperij executores.

Folio 349.

Manus meas mihi in hoſtem conuertere ſine ſcelere non poſſum] Aliàs legendum, manus meas mihi vt in hoſtem conuertere, &c. mihi, pro, in me, poſuiſſe videtur.

Cap. 18.

Hæc Ioſephus allegabat, quò euacuaret voluntariæ mortis affectionem] Codex vetus legit, aſſertionem, & puto autorem intelligere de aſſertione voluntariæ mortis à ſocijs Ioſephi facta.

Folio 350.

Siue caſu quodam, ſiue conſilio commentatus eſt] Aliàs, commentus.

Vt non alieno arbitrio celeret] Aliàs accęleret.

Folio 351.

Suadet, vt ſorti renunciaret] Aliàs, renunciarent, videlicet, vtrique.

Qui in alienis caſibus ſibi poſſe eadem accidere putabant] Aliàs, reputabant.

Illum dudum bellatorem ſuperbum ſubitò poteſtati addictum hoſtiũ, alieni motus ſortem operiri, vitę naufragum] Aliàs legit, alieni nutus ſorte operiri vitæ naufragium.

Cap.



Cap. 19. fol. 353.

Namque aperto,] codex vet. legit, aperta, vt in margine eſt annotatum.

Fol. 354.

In portu eſt natura ciuitas,] Marginalem annotationem approbat vet. codex, qui legit, importuoſa eſt natura ciuitas, quod conſentit Ioſepho dicenti: Cùm enim Ioppe natura eſſet importuoſa. Lib. 3. c. 15.

Fol. 355.

Non mediocrem vetuſtatis fabulis fidem accommodantes,] aliâs, vetuſtis.

Ad matutinum flatus vehemens ingruit, quem Melamborium per ea locorum nauigantes vocant,] Ioſephus, Melamboreiam flatum illum vocat, dum ſcribit, prima luce violentius, quem illac nauigantes Melamboream vocant, flatus incumbit. Lib. 3. c. 15.

Fol. 356.

Qui ſe circunfuderant littori nautis fugientibus, idem & littoris periculum & à Romanis cladem, mors transfigebat,] aliâs, mors tranſigebat.

Fol. 357.

Alij, qui contis protrudere volentes] codex vet. ſcribit, aliqui contis.

Fol. 358.

Equites autem percurſarant finitima regio-

gionis,] aliàs, percurſarent. Ca.21.fol.359.

Manebat opinio quouis maior relatu, quod ipſa incertos dum tenent, ſilentia crebātur omnia quę timebantur,] aliàs, dum terrent ſilentia.

Tantumque aberat, quò verius aliquid nunciarentur,] aliàs, quò minus aliquid nũciaretur.

Cap.22.fo.360.

Directo in negotio filio decernit,] directo in negotium filio decernit.

Cap.23.fol.362.

Sed Taricheis perniciora ingenia,] aliàs, peritiora.

Fol 363.

Bellandi incẽtiuum huiuſmodi alloquio infudit,] aliàs, huiuſmodi alloquiũ infudit.

Cap.24.fol 365.

Cedẽdo atque inſequendo bellum proludit,] aliàs, prælium proludit.

Fol.366.

Neque enim minus eſt, immo haud ſcio, an etiam amplius nobis, quàm pro noſtris decernere,] aliàs, an etiã amplius pro nobis.

Iudęis pares videri, quos ex æquo nobis in aduerſarium conſtituimus,] aliàs, quos ex æquo nobis in aduerſarios conſtituim', aliàs, in, omittitur.





Fol.367.

Proruamus igitur in aduerſarios, properemus, proteramus hoſtem,] aliàs, præueniamus hoſtem. Cap.25.fol.370.

Quibus vrbs refugio erat, ſed illis quoq; acrius prælium,] aliâs, ſed illic quoq; acrius prælium.

Eſt tempus ſanctiſsimi commilitones, quod expetebam,] aliâs, expectabam.

Primusque in vrbem irruit, & poſteâ cæteri,] aliâs, & poſt eum cæteri.

Cap.26.fol.373.

Phialæ aũt nomẽ ſpes dedit, quaſi rotæ qualitatẽ exprimens,] codex vet. ſpecies dedit. Fol.375.

Et reliqui fructus ramorũ, quos vel violentia rura ſponte propria procreauerint,] aliâs, quos vel volentia rura.

Fol.378.

Sex millia Iudæorum, cum ſuperioribus tamen & ſeptingẽti, eo interempti prælio,] codex vet. legit, & ſeptingenti viri eo prælio, &c. diſcordat ab Ioſepho in minore numero, niſi in alterutro mendum ſuſpicari libeat: nã cũ ille ſex milia & prętereà ſeptingẽtos ponat, hic tantũ quingẽtos, ſuprà ſex milia: ſcribit enim lib.3.ca.19. Periẽrũt cũ hís, qui pridẽ in ciuitate cecidere, ſex millia & quingenti.

Vbi enim conſiſterent patria excuſsi,] a-liàs, excluſi.

Sententiam flexit, & ſpe parata venia mortis præcepit,] aliâs, ſperata venia.

# CORNELII GVALTHERI caſtigationes & annotationes in librum quartum.

Cap.1.fol.380.

Namque ea in monte eſt ſita, dextra læuaque preruptis circunciſa rupibus,] aliàs, præruptis circum circa rupibus.

Fol.381.

Et maximè ſeptentrionalem eius partem pendere,] aliâs, ſeptentrionalia eius.

Nam & ipſa & Sotanis & Seleucia,] apud Ioſephum Sogane, & per G in 2. ſyllaba ſcribitur.

Vt cum Rex proprior muris,] ſcribendū, propior: per Regem intelligit Agrippam.

Fol.382.

Sine vlla venia ſe futuros exiſtimātibus, ſi vincerent,] aliâs, vincerentur.

Vel præceptum ire ſpolia contendunt,] aliâs, præreptum. Fol.383.

Vix itaque ſubtrahentes ſe periculis vrbis exceſſère,] aliâs, vrbe.

Fol.



Fol.383.

Illic cum decem primis excidit Butius,] exemplar vet. legit, de decem primus cecidit Butius: primum de decem vocat, quem decanum dicimus: apud Ioſephum legitur, decadarchus, quod alij, decutionem interpretantur: Ioſephum etiam hunc Ebucium nominatum ſcribit. Libr. 4. de bell. Iud. cap. 1.

Et apud Iudæos notæ vir experientiæ,] codex vet. legit, aduerſum Iudæos: nam & Ioſephus ita de eo ſcribit: Quòd plurimis malis Iudæos affecerit. Cap.2.

Nec ego ſic ad bellum proceſſeram, vt declinarem pericula, ſed ſuperarem,] codex vet. legit, ſed vſurparem.

Fol.385.

Itaque ille preſtantiſsimus, quæ inter aduerſa ſobrijs colluctatur caſibus,] codex vetu. legit, qui inter aduerſa, &c.

Fol.386.

Neque quicquam eſt, quod argui poſsit, niſi inconſultus impetus atque increditus,] pro dictione, increditus, codex vet. legit, inconditus: apud Ioſephum hæc ſententia ſic effertur: Inconſultus & furibundus impetus belli, &c. Lib.4.c.1.

Eſtote parati armis, animis,] id cod. vet. dictio, armis, omiſſa eſt.

Cap.

Cap.3.fol.387.

Et infracta muri ceſſura machinis arbitra bantur,] aliâs, intacta muri, &c.

Donec Titus ingreſſ᷒ eſt,] aliâs, regreſſus.

Tantum qui in ſuperioribus ſaxa voluentes acceſſu prohibebant] aliâs, tamē qui, &c.

Fol.388.

Quæ verò Romanus exercitus iaculabatur, in hoſtem ferebat,] aliâs, in hoſtem ferebantur.

Cap.4.fol.389.

Et chariſsimos circumueniret,] aliâs, vt chariſsimos, &c.

Aſſuetus latrocinijs, bello inſolens, qui cũ perſequi nequiret, ſereret tamen,] codex vet. legit, bellorum inſolens, quæ cùm perſequi nequiret.

Fol.390.

Quid aliud poſſunt clauſi præferre circumſepti pretēdere,] aliâs, circumſeſsi prætendere.

Fol.391.

Siquidem vt mouere arma interdictum, ita etiam illicitum conſulere de pace feriatis diebus. Etenim de negotio verbis ſaltem decernere, & illis ſacrilegium, qui cogerentur, nec illis inultum qui cogerent,] hæc in codice vet. ad hunc modum leguntur & diſtinguuntur: Siquidem, vt mouere arma interdictum, ita etiam illicitum conſulere de pace: Feriatis etenim diebus, aliâs, etenim diebus ſacris, de negotio verbis ſaltem decernere, & illis ſacrilegum, qui cogerentur, nec illis inultum qui cogerent.

Fol.392.

Si quis concurreret, miſerè conuerebantur ſeſe peti, ſibi catenas inijci trepidantes] aliam hîc vidêre eſt veteris codicis lectionē ac diſtinctionem, quam adſcribam, quòd minus dura videatur: Si quis curreret miſeræ conuertebantur: ſeſe peti, ſibi catenas inijci trepidantes: intelligit enim mulieres voluiſſe ſubinde reuerti: dum ſtrepitu exterrentur ac metuunt ne petantur, ſibiq́ue catenæ inijciantur.

Fol.393.

Nam & Tabirius mons, cuius altitudo triginta ſtadiorum, vertex autem ipſe campeſtris viginti & tribus ſtadijs iacet: Ioſephus Itaburium nominat, & de ſitu illius ſic ſcribit: Itaburium occupauerant, inter campum magnum & Scythopolim ſitum: cuius altitudo quidem triginta ſtadijs conſurgēs, ſeptentrionali tractu inacceſſa eſt: in vertice autē 20. ſtadiorum planicies patet, tota muro circundata. Ex quo patet, tria ſtadia vltra viginti vertici ſiue planiciei ab hoc autore adiecta. Lib.4.bel. Iud.ca.2.

Cap.

Cap.6.fol.396.

Quòd homines potentes atque innoxij Antipas, Lebias, & Phoras tam facilè opreſſi forent,] Apud Ioſephum hi ſic nominantur, Antipas, Leuia & Sophas filius Raguelis, regalis familiæ omnes. Lib.4.c.1.

Vt quibus nulla emerendi honoris gratia ſuffragabatur, contra meritum ſuum adepti ſacerdotia, ad omne nefas cōferentium arbitrio ſubijcerentur,] in codice vet. poſt, ſuffragabatur, additur, ij, ij contra meritum ſuum. Fol.397.

Illi ad ſpeciem de ſacerdotalib' tribubus vnum Enachum nomine præſentem ſtatuunt,] pro, vnum, legendum, vnam, pro, Enachum, codex vet. legit, Eniachim: apud Ioſephum ſcribitur, Eniachin.

Et reluctanti quaſi in ſcena alia perſona imponitur,] aliâs, aliena perſona.

Fol.398.

Intra ſeipſum templum ſeſe receperūt,] aliâs, intra ipſum, omiſſo, ſe. Fol.399.

Dicens nomine pacis bellum inuolutum, latere inſidias, Ananum Romanis vrbem tradere,] Codex vet. diſtingit hanc lectionem vt in texto habetur: & addit præterea ante, Ananum, dictionem, parauiſſe, ita diſtinguendo: parauiſſe Ananum Romanis vrbem tradere. Cap.7. fol.402.



Quæ vobis ſemper venerationi atque reuerentiæ affuit,] aliàs, fuit.

Et fatigare vos properè volumus] codex vet. legit, præproperè noluimus.

Fol.403.

Simulantur innoxij criminum proditionis,] ſimulabantur, pro, inſimulātur, dixiſſe videtur: aliter nōnihil etiam legitur in vet. cod. Simulantur innoxijs crimina proditionis: impreſſorum tamen codicum lectio potior videtur.

Bonus enim iudex circunſeptum ſe eſſe mendacijs dolet,] aliâs, circumſcriptum.

Et eò eſt fallenti infeſtior quàm appetitior,] videtur hîc pro, quàm, legēdū potiùs, quò: Quò enim magis quis expoſitus eſt, vt mēdacijs circūueniat, eò infeſtior eſt fallēti.

Vlciſcēdū arbitrabatur,] aliâs, arbitratur.

Igitur nobis integrum examen ſeruate, & colligite veritatem, non ex cōtexione verborum, ſed ex ſerie negotiorum,] manuſcriptus immutatis aliquot dictionibus ita legit: Igitur vobis integrum examen reſeruate, & colligite veritatem, non ex contexione ſermonum, ſed ex ſerie negotiorū.

Fol.404.

Commodius fuit ante bellū,] aliàs, fuerit.

Alijs dolor ex mortuis,] in codice vet. dictio, alijs, non legitur.

Si tenent, vnidices prodant,] aliâs, iudices prodant. Fol. 405.

In bello enim contentus furor eſt, in pace veritatis examinatio,] codex vet. in bello enim concentus furoris eſt: eadem dictione ſupra vſus eſt pro concordia & conſpiratione. Cap. 8.

Et maximè Ieſus cæteris ſenior poſt Ananum, tantùm qui ſecũdo loco fungebatur,] codex vetus aliter diſtingit, mutata dictione, tantùm, in, tamen, ſic: maximè Ieſus cæteris ſenior, poſt Ananum tamen, qui, &c.

Simon vnus de ducibus Idumæorum: minimè, inquit, ſi ciues ſęuiunt & clauſos tenent,] ex vet. exemplari ſic reſtituenda lectio: minime, inquit, mirum, ſi aduerſum ciues ſæuiunt, & clauſos tenent, paulò pòſt legendum eſt pro, principes, participes ſuos. Cap. 9. fol. 408.

Hæc audiens ceſsit Iohannes] codex vet. Ieſus, legit, & certè capite præcedenti Ieſus inter ſacerdotes pręcipuè locutus narratur: codicis vet. lectionem comprobat Ioſeph' ſcribens: His dictis Idumæorum quidem multitudo clamore conſenſit: Ieſus autem triſtis receſsit.

Vis



Vis imbrium multa infunditur,] aliâs, effunditur.

Quis crederet plus nouaſſe iſtud intra vrbem poſitis] ſcribendum, pro, nouaſſe, nocuiſſe. Fol. 409.

Quòd aduerſum principes ſuos armati venerant,] aliâs legendum, participes ſuos, vt ſuprà admonuimus.

Sed animi magis deſperatione ſolutus,] aliâs, reſolutus. Fol. 410.

Vltimus ille dies vniuerſo populo fuiſſet, ſi non ad templum, quàm ad vrbis ſignũ dirigendum putaſſent,] ex vet. codice ſententia ſatis conſtat, qui legit: ſi non ad templum priùs, quàm in vrbem, ſignum dirigendum putaſſent.

Vt ipſi primitus cladi eximerētur,] aliâs, clauſi. Fol. 411.

Pòſt vbi deſuere viſi] codex manuſcript', deſurere viſi, hoc eſt, furorem poſuiſſe. Cap. 10. fol. 413.

Niger Pereites] ſuprà hunc quoq; Pereatem dictum ſcripſimus. Cap. 11.

At ille moderatus & prouidus vir, qui nõ id ex vſu vulgi accommodum exiſtimaret, ſed quòd, &c. ] codex vet. legit, qui non id, quod ex vſu vulgi adcommodum æſtimaret, &c. Fol. 415.

 Ma-

Manus noſtrę otioſę fuiſſe, victoriam nō virtute noſtra,] aliâs, manus noſtras otioſas fuiſſe.

Sed hoſtili internitiōe inter ſe paratam,] ſcribendum, internecione.

Cap. 12. fol. 416.

Pari itaque foris & domi propoſito ſibi periculo, vtroque pernitioſo,] aliâs, vtrobiq; pernitioſo.

Cap. 13.

Non contentus communem cum principibus exercere factionis Iohannes potentiam, tyrānidem affectare occœpit, & parem indignabatur deſtruere. Itaque aliorum ſtatuta, nihil quod libitum foret, ratum habere: paulatim ſibi aſciſcere ſtipatores, &c.] Syncera lectio manuſcripti codicis hunc locū deprauatum & obſcurū reſtituit & explanat, quare adſcribendū duxi: Non cōtentus communem cum principibus factionis exercere Iohannes potentiam, tyrannidem affectare cœpit: & parem indignabatur. Deſtruere itaque aliorū ſtatuta, nihil niſi quod ſibi libitum foret, ratum habere, paulatimque ſibi aſciſcere ſtipatores.

Fol. 417.

Agminis ſpecie latrocinium excitabant plures,] aliâs, exercebant.

Cap. 14.

Nomine Doloſum,] ſcribendum, Doleſum, vt ex Ioſepho patet.

Cap. 15. fol. 420.

Maximum quoque numerū ad ripam fluminis reperit impeditum tranſitu, tunc fortè prædictus amnis, &c. intumuerat.] codex vet. quòd tunc fortè prædictus amnis, &c.

Fol. 421.

At ſi quis forte ſecundo amne decurrens, euaſurus æſtimaretur, irruebatur ſagittis,] aliâs, obruebatur.

Quæ licet ſtrages hominum maxima fuerit, tum verò maior æſtimabatur, quia non ſolùm regio, &c.] aliâs, tamē verò maior ęſtimabatur.

Cap. 16. fol. 423.

Duos quoque Idumææ vicos Ligarum, & Capartorem, eorumq; incolas comprehendens,] codex vet. legit, Ligarim, & Coparcorem: apud Ioſephum nominātur, Begabri & Caphartophan.

Cap. 17. fol. 427.

Sanaui aquas & non erit in his moriens,] aliâs, ſauaui aquas iſtas.

Nec deficeret genitalis aqua, cùm diuina gratia pro iuſtorum fidelibus ſtudijs, tanti prophetæ benedictionibus aſpirauiſſet,] aliâs, cui diuina gratia.

Succusq; aquarum,] dictio, aquarū, aliâs deeſt.

Fol. 428.

Virgulas incidūt, eas in quibus balſama gignantur,] aliâs, generantur.

Cap.18.fol.429.

Ne noſter quoque in eo lacu proijciatur ſtylus,] aliâs, excutiatur.

Fol.430.

Et quamuis vehementer alliſa, ſtatim excuti,] aliâs, illiſa.

Cap.21.fol.436.

Certè exercitus docuit, opportunè eum rediſſe ad patrem,] aliâs ſcribendum, certè exitus docuit.

Atque imperium tenuit ſuũ,] codex vet. legit, impetum.

Cap.22.fol.437.

Ciuis erat Geraſenus robuſtus iuuenis,] aliâs, robuſtus iuuenta.

Breuique multorum quæſiuit manum,] aliàs, Breuique ſibi multorum, &c.

Cap.23.fol.438.

Namque intellectum eſt,] aliâs, nam vbi intellectum eſt.

Fol.439.

Inferre paulatim ſermonem,] aliâs, inſerere paulatim ſermonem.

Poſtremò infundere per numeros] aliàs, per vniuerſos. Fol.442.

Multoque ſæuior grauiorque grauibus excruciebat, quos reperiebat, tormentis] dictio, grauiorque, aliàs omittitur.

Cap.



Cap.25.fol.444.

Muliebrem amictum induebant,] aliàs, induebantur.

In margine adſcribendam dictio, Hieroſolymitani, vicijs, &c.

Cap.26.fol.447.

Ipſæ tamen ſtatuerent bellis Imperatorẽ: & in ſua manu rerum Romanarum legendũ arbitrum conſtituerũt,] aliàs, conſtituerẽt.

Eſſe ſibi virum ſtrenuum Veſpaſianum, quem legi decuerit ab omnibus Imperatorem, maturum ad conſulẽdum, validiorem iunioribus ad præliandum,] codex vet. legit, æui maturum ad conſulendum.

Cap.27.fol.450.

Ab oriente refunditur mare rubrum, Clitro tenus, qui locus extremis vltimus terris peruium ad Iudæos aperit iter nauigaturis] Legendũ eſt, peruiũ ad Indos aperit iter, &c.

Folio 451.

Quò vel peregrinæ ad eam per maria Aegyptum deuehuntur copiæ] aliàs, per mare Aegyptium deuehuntur, &c.

Fol.452.

Vt ad prinſquã portum appropinquẽt,] Ad, redundat, vel potiùs tranſpoſitũ eſt, vt priuſquàm ad portum appropinquent: in codice vet. legitur, in portum.

Terram finitimam ſibi eſſe flammarum incendio cognoſcant,] aliâs, indicio.

Fol. 453.

Ne præſtringatur tenuis carnia caute,] codex vet. legit, ne perſtringat tenuis carina cautes: nã additur & in ipſo ingreſſu, offendat inter opertos fluctibus ſcopulos.

Itaque directum curſum paulatim inflecti oportet,] aliâs, pauliſper.

Circa inſulam quoque inſtructæ ingentis magnitudinis moles deijciuntur,] aliâs, ſtructæ.

Ne aſsiduo aſſurgentis impetu maris inſula cedant fundaméta inſulæ] prior dictio, inſula redundat.

Atque vi nimia ſoluantur,] Codex vetus legit, atque iniuria vetere ſoluantur.

Fol. 454.

Ad vſum ſui expetunt totius vrbis commercia,] legendum, orbis.

Cap. 28. fol. 455.

Veſpaſianum Cæſar ſuſcipit,] ſcribendũ, Cæſarea.

Cap. 29. fol. 456.

Ventum Antiochiam, ibi tractu habito,] ſcribendum, tractatu habito.

Fol. 457.

Ne prioris belli famam omitteret,] aliâs, amitteret.





Folio 458.

Putauimus vel imperium ſobrium fore] Codex vetus, imperio.

Cap. 30. folio 460.

Volentes vltum ire iniuriam ſuæ prolationis] Scribendum, prolapſionis.

Capite 32.

Numerata ſunt alia Cæſarũ ſupra quingẽta millia] Aliàs, quinquaginta: & rectiùs: Nã ſcribit Ioſephus, Aliorum verò mortuorum ſupra quinquaginta millia numerata ſunt.

Capite 33.

Mutianus præfecit negotijs, ne quid eius deeſſet rebus ſecundis] Codex vetus legit, ne quis neuus deeſſet rebus ſecundis.

Rudis erat adhuc vitijs, & Tyro criminibus & poteſtatibus] Codex vetus legit, vt poteſtatibus, ac intelligitur de Domitiano, poſteà Cæſare.

Cùm electa manu dirigitur, Titus pedes egreditur, Nicopolim petijt] Codex vetus ſic legit, ac diſtinguit: Cum electa manu dirigitur Titus, pedes egreditur, Nicopolim petit.

Nilo decurrit vſq; ad vrbem Thoni] Ex Ioſepho ſcribendum eſt, Thmuin.

Cui nomen Thanna] Codex vetus, Tanis, quod conſentit cum Ioſepho.

Folio 463.

Occurrit vrbs Raphea] Apud Ioſephum, Raphia, legitur.

## CORNELII GVALTHERI caſtigationes & annotationes in librum quintum.

Cap. 1. fol. 466.

Quando ſolent bellorum requieſcere ſæua] Aliàs, ſæua requieſcere.

Qui coniurantibus ſecum Iuda, & Zenonis Simone & Ezechia] Codex vetus legit, Ezeronis: Ioſephus Ezronis Simone, ſubaudiendo, filio.

Folio 467.

Vt quo plùs grauaretur ab altero] Aliàs, in quo.

Folio 468.

Lubrico offenſi, quaſſati furore, in ſanguine demergerentur] Codex vetus legit, quaſi ſatiaturi furore, &c. mihi potiùs legendum videtur, quaſi ſatiati furore, ſi hanc lectionem admittas.

Folio 469.

Nullus locus periculo vacabat, nullũ conſilio reperiebatur] Aliàs, nullum cõſilio tempus reperiebatur.

Cap.



Cap. 2. fol. 471.

Atq; omnem ſuauitatem Pſalmorum tuorum ex perditorum ſenſibus abſoluerit] Aliàs, aboleuerit. Folio 474.

Multa enim animalia referre ſolent] Aliàs, muta enim, &c. Folio 476.

Pro thymiaterijs benè ſpirantibus] Aliàs, thymiamaterijs. Folio 478.

Quia à viuentibus in mortuis] Aliàs, in mortuos. Fol. 479.

Tunc verè ſancta eorum abſumpſit ignis diuinus] Aliàs, ſancta ſanctorum.

Nam & exuſta à Babylonijs reparata, poſteà deſtructa à Pompeio reſeruata iterum] Hunc locum rectiùs diſtinguit exemplar vetus, quod legit: Nam & exuſta à Babylonijs, reparata poſteà: deſtructa à Pompeio, reformata iterum.

Oportuit huberiore quadã deploratione præire nos funus quoddam paternæ ſolennitatis] Aliàs, exprimere nos funus, &c.

Cap. 3. fol. 480.

Solicitudo vbiq; & parato agmine, ſuſpectãs inſidias] Aliàs, ſolicito vbiq;.

Suſcepit eũ Goſna] Aliàs Gofna, apud Ioſephum Gophna ſcribitur.

Folio 481.

Cætera turba Ducem ſequeretur] Codex vetus

vetus legit, Cætera turma Ducem ſeq.

Vt intercluderent maiorum equitum partem] Scribendum, maiorem equit.

Propter inſtantem hoſtium multitudinem] Aliàs, incertam hoſt.

Capite 4.

Videns itaque Titus in virtute ſua poſitum ſibi remedium ſalutis] Aliàs, in virtute ſola poſitum, &c. Priorem tamen lectionem approbat Ioſephus, dum ſcribit: Titus autem in ſua tantùm fortitudine ſitam eſſe proſpiciens ſpem ſalutis, flectit equum.

Folio 482.

At ſi qui manum extenderant] Aliàs, ac ſi quis.

Et profectò cor Regis in manu Dei] Aliàs, eſt profectò cor, &c.

Fol. 484.

Ordine ſuo nexi] Aliàs, nixi.

Intereà Cæſar in medio populi ſitus] Dictio, populi, aliàs deeſt.

Folio 485.

Sola enim ſpe ſui, &c. perturbat hoſtem] Aliàs, ſpecie ſui perturbabat hoſtem.

Capite 5. folio 486.

Subornatis pleriſque Iohannes quaſi obſeruationis gratia templum cùm adirent] Aliàs, Iohannes quaſi obſeruationis gratia templum



templum adijt.

Cap. 6. folio 488.

Inde quoque ſaxa & tela inijci] Aliàs, deijci.

Cap. 7. folio 490.

Cùm verò nihil in nobis offendat] Aliàs, in vobis offendat.

Et propria quædam manuum intemperantia] Aliàs, propera quædam.

Folio 491.

Sæpè enim bonis exercitibus prçliares lapſus futuræ virtutis cauſas dediſſe] Aliàs, virtuti cauſas dedit.

Capite 8. folio 492.

Iohannes autem in interioribus templi ea fraude, qua ſuprà diximus, occupatis, ſed millibus armatorum ſtipatus, bellum accendebat] In, redundat: & pro, ſed millibus, legendum, ſex millibus.

Capite 9. folio 494.

In quo erat deambulatorium, periperaſma pretioſum] Dictio, deambulatorium, aliàs deeſt: apud Ioſephum quoque non legitur.

Folio 495.

Intùs thymiaterium] Aliàs ſcribendum, thymiamaterium: nomen enim à ſeruandis, odoribus habet, puto ſignificari thuribulũ ſiue

ſiue acerram, in qua thus ponebatur: de hoc ſuprà dictum eſt libr. 1. cap. 17.

Capite 10. fol. 457.

Commotus Cæſar, quòd ei, qui ſalutaris commoneret ] Aliàs, ſuaderet.

Bellumque accenditur iactu telorum diuerſo, miſsilibusque maximis ] Aliàs, miſsilibusque maximè, vt ſit aduerbiū qualitatis.

Cap. 12. fol. 501.

His pro ſalute, Romanis pro victoria certamen erat ] Aliàs, de victoria.

Quibus etſi virtus potentior ad congrediẽdum ] Aliàs, potior ad congrediendum.

Cap. 13.

Cum alijs nouæ fraudis ſocijs prætendebat ] Aliàs legitur, nouem, cùm alijs nouem fraudis ſocijs. Ioſephus in numero vnum addit, dum ſcribit: In qua Iudæus quidā verſutus ac ſubdolus, Caſtor nomine, cum decē alijs militibus ſuis delituerat, fugatis cæteris formidine ſagittarum.

Folio 504.

Sic tempus duxêre ] Alias, ducere.

Alium tamen propè aſtantẽ ſaxi inuolutū immanis ruina ] Cod. vet. legit, propter aſt.

Cap. 14. fol. 507.

Vt fortè cõtribules ſuos vel ipſe inflecteret ] Codex vetus legit, ſi fortè contrib.

Cap.



Cap. 15. folio 508.

Dum putatis vos loco & notæ regionis ſubſidijs fore ſuperiores ] Aliàs, dum putabatis, &c.

Et ideo ſe vnuſquiſque forti committit virtute inferior ] Aliàs, forti.

Folio 509.

Et ideo extra Romanum imperium, qui eadẽ extra vſum humanum ] Aliàs, quia eadem extra vſum humanum.

Quis vobis cum victoribus vniuerſæ terræ ] Aliàs, quid vobis. Folio 510.

Quæ licet belli curam videatur augere, & ipſa frequẽter acceſsit Romanis triumphis captiua ] Aliàs, & ipſa frequenter captiua acceſsit Romanis triumphis. Fol. 512. & 513.

Succeſsit poſteà Dauid in totius populi regnum, mitior quidem Domino, ſed Dominus tamen ] Codex vetus habet, mitior quidem Dominus, ſed Dominus tamen, &c.

A Salomone rurſus ſciſſum in duo regnū ] aliàs, in duos.

Tradidiſtis vos Cæſari, cui ſeruiſtis omnes ad mutandum in melius ſeruitium ] Codex vetus legit, cui ſubiecti omnes, ad mutandum in mollius ſeruitium.

Folio 514.

Vt vnuſquiſque cedat potentiori: taurus

rus leoni, ceruus vrſo, leo pardo, caprea lupo, aquilę] Codex vetuſtus legit, Leopardo, vna dictione, cui opponit capream, & nomen lupi omittit.

Cap. 16. fol. 516.

Sed in timore Dei pater Abraham penetrauit Aegyptum] In codice veteri ſcribitur, Presbyter Abraham penetrauit Aegyptum: apud Ioſephum legitur, proauus noſter Abraham.

Folio 520.

Miſerę oratum auxilium orationis & remedia neceſsitati] Aliàs, auxilia precationis.

Surgentes aduerſarij, quos ſecuros victoriæ ſomnus huberior laxata preſſerat ſolicitudine, ſubitò videre ſolo fuſo rutilare aquas] Aduerſarios hîc Moabitas intelligit, de quibus quarto Regum cap. 3. ſcribitur, vt orto Sole ex aduerſo aquarum viderint eas contra aquas rubras, quaſi ſanguinem, cùm ſcilicet Sol miſiſſet ſuos radios ſuper illas aquas.

Fuerunt, qui inter populos bellatum putarent] Codex vetus legit, fuerunt, qui inter Regum populos bellatum putarunt: certè Regem Iſraël & Regem Iuda cum Rege Edom aſcēdiſſe, vt pugnarent aduerſus Moabitas, hiſto. regnorū ibidē cōmemorat.

Folio



Folio 521.

Nam cùm obſideretur Samaria, atque in eo clauſus maneret Rex Iſraël] Aliàs, in ea.

Fugientibus itaque Aſſyrijs, omnes quas inuaſerāt copias, in caſtris die ſequenti repertæ] Scribendum, copiæ, ſequitur enim, dictio, repertæ.

Folio 522.

Triumphauit Dauid, cùm Bethſabeam (hoc eſt filiam Sabbari) ſuo coniugio propheticis *miniſterijs copulauiſſet] Exēplar vetus legit, filiam Sabbati. Bethſabe autem filiam fuiſſe cuiuſdam nomine Eliam, ex libro Regum conſtat. Sed videtur hic autor alluſiſſe ad myſticam ſignificationē Sabbati, tamquā à שבת ſiue שַׁבָּת, id eſt, ſabbatho, & quietè dictio compoſita eſſet. Verùm illi, qui interpretationes Hebraicorum nominum conſcripſerunt, Bethſabe vxorē Vriæ, filiam iuramenti interpretati ſunt, quod בתשבע, id eſt, Bethſabe in fine per aijn, nō per thaf ſcribatur, & aliunde formetur.

al. myſterijs

bell. Iud. li. 6. ca. 14.

Vicit etiam bello ciuili, quod refugiebat, illatum non inferebat. Nil enim bello ciuili fœdius, niſi ſolus, qui potuit inferre: Locus aliquantulum obſcurus, in quo reſtituendo nos vetus codex deſtituit, nihilominùs ſic legendus ac diſtinguendus videtur, Vicit e-

tiam bello ciuili, quod refugiebat illatum, non inferebat: quæ ſequũtur vſque ad, niſi, parentheſi intercludenda (Nil enim bello ciuili fœdius) ſolus qui potuit inferre: omiſſo, niſi, quod ſuperfluum videtur.

Folio 525.

Illi nobis reddiderunt omne ius religionis] Omne, aliàs deeſt.

Folio 526.

Quis præter vos Antipatrum regno expulit] Codex vetus legit, Quis alius præter vos Antipatrum.

Poſtquàm vobis bellando complacita cõditio eſt] Aliàs, bellandi.

Teſtantur hoc Iotapatę vrbis, quæ bellantem adhuc me texerunt, fauillæ, bello non deſtituiſſe, me poſt eius ciuitatis ruinas delituiſſe, quoàd potui. In illo euerſæ vrbis ſepulchro pertuliſſe famem, ne Romanis me traderem] Locus hic aliquantulum obſcurus eſt ob verba aliquot deprauata, & dictiones transpoſitas, maleq; interpunctas, quæ varium & ambiguum ſenſum reddunt: ita ex codice veteri legendum apparet: Teſtantur hoc Iotapatæ vrbis, quæ bellantem adhuc texerunt, fauillę, me bello nõ deſtitiſſe, niſi poſt eius ciuitatis ruinas: delituiſſe, quoàd potiùs in illo euerſę vrbis ſepulchro pertuliſſe famem, ne Romanis me traderẽ, &c.



Folio 527.

Gratias tamẽ Deo; quòd tanti ſceleris nõ incidi ſocietatem] Aliàs, gratia tamen Deo.

Folio 529.

Conuertimini aliquando, reſipiſcite, iudicate] Vetus codex dictionem, aliquando, ingeminat: Cõuertimini aliquando, aliquãdo reſipiſcite. Fol. 530.

Certè & inſenſibilia plerũq; in maximis rerum acerbitatibus ſenſus ſpeciem metiuntur] Aliàs, mentiuntur. Capite 17.

Si pecunioſi erant, affiĉto crimine ſeditionis rapiebantur ad necem] Aliàs, Si qui pecunioſi erant, affiĉto crimine proditionis rapiebantur ad necem.

Cap. 18. fol. 532.

Quibus iam vehemẽtior carnifex fames, miſerabili macie viſceribus exeſis, nuda oſſa tenuitate texerat] ali. tenui cute texerat, &c.

Folio 535.

Cùm ipſi, qui congreſſerant, eſurirent] Scribendum, congeſſerant.

Suſpenſoq; ad ceruicẽ, vel hærente ad mamillas pignore] Aliàs, à ceruice, &c.

Folio 536.

Ea enim, quæ etiam hoſtis indulſerat, ciuis eripiebat: nec rapuiſſe tamen iſtiuſmodi

modi cibum proderat, quippe non multò poſt virenti corpore turgeſcentibus medijs intimorum dolore viſcerum quatiebatur] Locus obſcurus, & quem ex codice manuſcripto reſtituere non licuit. Variam tamen lectionem annotabo, quæ ad huius loci explicationem facere videtur: pro, virente, legitur, vrente corpore, & pro, medijs, apparebat legendum, inedijs: verùm pro illo adſcriptum erat in margine dictio membris, cui participium, turgeſcentibus, commodiùs adiungeretur.

Folio 537.

Contrà Romani, quia cōtemptores mortis eos arbitrabantur, vrgebant genera ſuppliciorum, verberantes priùs] Aliàs, augebant genera ſuppliciorum.

Affligentes quoque patibulo crucis, quęcunque offenderant] Aliàs, affigentes quoque patibulo crucis.

Folio 538.

Quòd in tantis malis deteriores fiebant, diuerſis modis afflictos cerneres, variaſque pœnarum ſpecies, formas ſuppliciorū tam innumerabili multitudine, vt iam locus patibulis deeſſet, patibula corporibus] Codex vetus pro, afflictos, legit affixos, ſubaudiendo crucibus, &c. Hanc lectionem vt magis propriam



propriam approbat Ioſephus, dum eandem rem enarrat, inquiens: Milites autem diuerſis modis ſuffigebant, ira, & odio, & ludibrij cauſa, & propter multitudinē quàm cœpiſſent, iam ſpacium crucibus deerat, & corporibus cruces.

Folio 538.

Eorum quoq;, qui abierant, proximi cruciabantur] Aliàs, trucidabantur.

Vt cæteros transgrediendi metus inceſſeret] Aliàs, transfugiendi metu.

Cap. 19. folio 542.

Retorquebat itaque victor ingreſſum ſuum] Aliàs, greſſum.

Folio 543.

Noſter quoque, cùm pugnaret aduerſum gigantes] Aliàs, Noſter quoque Dauid cùm pugnaret, &c. 2. Regum cap. 21.

Folio 544.

Ignorantibus his, qui latenti cuniculo Iudæi machinati forēt] Aliàs, quid latenti, &c.

Folio 545.

Promptiſsimus eo prælio ad repellendos Rom. Alexa & Gitteo Iohannis coniuratis] Apud Ioſeph. pro, Gitteo, Gyptheo, legitur.

Ex Simonis quoq; parte Malchio] Ioſephus, Malachia.

Arſimone & Iuda tertiæ factionis viris]

In veteri codice, Ariſimone: verùm cùm Ioſephus ſcribat, Simonem & Iudam Iairi filios fuiſſe, arbitror hîc legendum, Iairi Simone, ſubaudiendo, filio.

Ligna facilè conſumpſit] Aliàs, omnia ligna facilè conſumpſit.

Liber poſteà ignis eripuit] Aliàs, erupit.

Cap. 21. fol. 547.

Commune cum multis periculum] Aliàs, cum victis periculum.

Vt conficeret fames defectis ſubſidijs alimentorũ] Codex vetus legit, defectos ſubſidijs.

Diuiſis itaq; per numerum portionibus, properè murus ſurrexit] Aliàs, per muros ſurrexit.

Folio 550.

Aruerant ſupremorum numerum lachrimæ] Aliàs munerum.

Et quod vni deferre geſtierant, pro bonorum munere defraudabantur] Aliàs, pro bonorum operum munere defraud.

Folio 551.

Nonnulli etiam viuentium adhuc vrgendis corporibus experirentur] Aliàs, adhuc figendis corporibus.

Si tela ſibi acuta forent] Aliàs, præacuta forent.

Capite



Cap. 22. fol. 552.

Denique nec Matthiam quidem, quo autore in vrbem receptus eſt, excruciatũ necauit] Codex vetus legit, inexcruciatum: & ſic legendum eſſe, particula, nec, priùs poſita oſtendit: apud Ioſephum verò omiſſa negatiua particula ita legitur: Denique Simon Matthiam, per quem obtinuerat ciuitatem, excruciatum peremit.

Folio 553.

Ducitur ad ſupplicium cum tribus liberis] Aliàs, Pater cum tribus, &c.

Folio 554.

Rei fuimus patriæ] Codex vetus, Rei ſumus patriæ.

Folio 555.

Vt latrocinium repelleres, non vt latrocinareris] Aliàs, non vt ipſe latroci.

Ante latrocinio appetebantur, tu bellum intuliſti] Aliàs, latrocinio appetebamur.

Folio 557.

Hauriam miſerabilis ſenex ictum carnificis, ſuper colla pignorum ſæuam vibrantis ſecurim] Aliàs, librantis.

Folio 556.

Grauat me illa legatio, licèt à ciuibus

 man-

mandata, petente populo ſuſpecta] Aliàs, ſuſcepta. Folio 560.

Sanè cùm in illam perpetuam domum diſceſſerimus, ſi qui ad nos venerint, qui requirant, quid agit ille quondam Dei populus, quid illis reſpondebimus] Imitatus eſt hic autor, & ſatis feliciter expreſsit inſignem illum locum, qui eſt apud Ciceronem in graui illa ac vehementi ad Octauium epiſtola. Vnde ſuſpicari libet, imò veriſimile videtur hunc autorem Latinum fuiſſe, & Latino ſermone ſuam hiſtoriam primùm ſcripſiſſe. Locus autem Ciceronis huiuſmodi eſt: Itaque ſi quid ille Maiorum noſtrorum ſepultæ reliquiæ ſapiunt, ſi non vnà cum corpore ſenſus omnis vno atq; eodem conſumptus eſt igni, quid illis interrogãtibus, quid agat nunc Populus Romanus, reſpondebit aliquis noſtrum, qui proximus in illam æternã domum diſceſſerit? aut quem accipient de ſuis poſteris nuncium illi veteres, Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de ſua patria audient? quam ſpolijs triumphisque decorarunt, &c.

Folio 560.

Quæ non vt veſtra hæc terra, ſpeciem corruptionis induerit] Aliàs, vt noſtra hæc terra.

Quid



Quid etiam Matathiam reſponſurum Machabæorum autorem, qui voluit obſeruando legem, ſabbato feriatus mori, quàm præliatus viuere,] aliàs, qui maluit obſeruando legem, &c. Suprà libro primo legitur, vt quidam ex Iudæis qui Matathiæ ſe commixerant, religione diei ſabbati bellum ſuſcipere detrectauerint, & ita indefenſi inultique mortui ſint, poſteà ipſum Matathiam autorem idcirco ſuis fuiſſe etiam ſabbato vrgente neceſsitate, pugnandi; neque hoc pacto occubuiſſe, quemadmodum hic indicari videtur: Quamobrem Matathiam illius cœtus Ducem & caput, pro ſocijs & tãquàm huiuſmodi corporis membris ab autore hoc loco poſitum videri.

Fol. 562.

Denique exitus docuit,] aliàs, id exitus docuit.

Denique tolerabilior iam mea ſors eſt, poſt liberam mortem mori, quàm viuere: vt ſcias, quam crudelis ſit, qui filios ante ora patris iugulet,] codex vet. legit, poſt liberorum mortem mori.

Fol. 563.

Feſtina carnifex, dum cruentum ſanguine filiorum gladium geris, percute patrem, vt nullus refrigeret,] aliàs, vt vulnus refrigeret.



Ha-

Habent & ſacerdotia ſuos faſces honorum, qui eleuantur non humeris, ſed moribus, & attolluntur non virgarum proceritate, ſed laborum perſeuerantia, & fidei altitudine, pietatis faſtigio, ] codex vet. coniunctionem, &, omittit, videtur enim dicta per figuram aſyntheton.

Cap. 23. fol. 566.

Quò loci, caput percuſſus, concidit, ] aliàs, ſaxo percuſſus.

Fol. 567.

Quod viuens non potui, ſaltem filij mei corpus veſte mea protegam, ] aliâs, mortua ſaltem, &c.

Cap. 24. fol. 567.

Inflabantur enim inſolito cibo potiùs quàm reficiebantur, ] legendũ, corpora potiùs.

Fol. 572.

Serpſit itaque vitium in innumeros ] aliàs, in vniuerſos.

Verborumq; auſteritate grauiori ſuos argueret, ] codex vet. grauiorũ, aliâs, grauius.

Fol. 573.

Dictu quoque horrida excogitaſſent, ] aliàs, horrenda.

Fol. 574.

Sed etiam propter ſpem lucri plurimi extinguebantur, cùm latrones ipſi & ſeniores piratæ latronibus à latrocinio temperent, vbi



vbi prædã non ſenſerint. ] Hîc vnius dictionis deprauatio & vitioſa diſtinctio locũ aliquanto obſcuriorem reddunt, quem vetus exẽplar ita explanat: cùm latrones ipſi, & ſæuiores piratæ latronibus à latrocinio temperent, vbi prædam non, &c.

Cap. 26. fol. 577.

Sed vbi dubia murorum cæſura repetitis ictibus Iohannes haud incurioſus extremi ſubſidij circumſpexit, ] aliàs, ceſſura repetitis ictibus.

Sed vbi conclamatæ vrbis inſultauit ſonus, ] aliâs, reſultauit ſonus.

Cap. 27. fol. 579.

Sed difficilè hoc nobis videtur commilitones, ] aliàs, vobis.

Fol. 582.

Omnia ſunt repleta cadaueribus, & deformes exuuiæ iacẽt, exangues reliquiæ defunctorum, ] in codice vet. &, omittitur, videntur enim dicta per aſyntheton.

Ferè ipſæ cùm ſe circumuallatas armis viderint, ] aliàs, armatis viderint.

Fol. 584.

Beati quorũ nemo ſuis hoſtiũ fuga victoriam annuntiauit ] vitioſa eſt hîc dictionum poſitio, quæ ambiguã reddit ſententiã, quã ex vet. codice ſic emendare licet: Beati quorum

rum nemo ſuis hoſtium victoriam, fuga annunciauit.

De Romanis legionibus nullus vitæ elegit,] aliâs, vitam.

Quorum vos poſteri eſtis: ſed contemptu periculorum quaſi glorioſa indoles virtutis, proſapiam non abnuatis,] codex vet. pro, ſed, legit, ſi contemptu periculorum.

Fol. 585.

Inſigne aliquod eſt gratiæ vel iniuriæ,] aliàs, vel gratiæ.

Nam vbi primum animis, & viribus confidentiſsimus quis aſcendit, fugient, qui reſiſtebant,] aliàs, quis aſcenderit.

Quanto igitur melius patriæ impendere, quod patriæ debeas, & neceſsitatem commutare gloria] legendum ex vet. codice, quod naturæ debeas, præceſsit enim dictio, patriæ.

Cap. 28. fol. 586.

Ait Sabinus) obedire ſe imperijs, aſcenſioni paratum, ſi euentus ſibi adeſſet, vt Cæſari placeret: ſi deſtrueretur ſecundis, nihil præter ſpem ſibi accidere,] codex vet. legit, ſi deſtitueretur ſecundis.

Cap. 29. fol. 587.

Nec tantum non terrori reliquis mors Sabini,] ſed incẽtiuo fuit codex vet. legit, nec tamen terrori.

Non



Non Romani viri, qui prętenderent vigiliarum munia, compenſare cupientes operis effectu, quòd Sabini ſtudio præuenti forent, &c.] legendum videtur, qui prætenderant vigiliarum munia, &c.

Fol. 588.

Alij per cuniculum, &c. in vrbem ſe deferebant,] aliâs, inferebant.

Cap. 30. fol. 590.

Et ſuperba quædam vltra humanam formam virtutis autoritate,] aliàs, quadam.

O varia atque incerta velut quædam bellorum alea,] hanc lectionem approbat codex vet. marginalẽ verò annotationem non agnoſcit.

Fol. 591.

Solus in hoſtilia arma ruit,] aliâs, agmina ruit.

Solus ſe armis miſcuit,] pro, armis, legendum videtur, armatis: nam & ſuprà eam dictionem pro, armatis, poſitã, annotauimus.

Fol. 592.

Teptheus de Galilæa, Magaſſalus, & Iabenus & Agiras,] codex vet. legit, Magaſſarus Adiabenus, & Agiras. Quemadmodum autem hęc apud Ioſephum referãtur, vt locus emendetur, ac reſtituatur, adijciendum putaui: Tephthæus autem quidam ex Garſi ortus

ortus ciuitate Galilææ, & Megaſſarus ex regalibus famulis Mariamnes, cumque his Adiabenus quidam, filius Nabatæi, nomen habens ex fortuna Agiras, cuius eſt interpretatio claudus, &c.

Cap. 31. fol. 593.

Quæ, malum, ratio Iohanni ſuaderet vt Romanos laceſſeret] codex vet. addit, vt Romanos in templi excidium laceſſeret.

Non quo templum Romani feſtinarent exurere, ſed è templo educere belli incitatores,] codex vet. addit, educere velle belli incitatores.

Fol. 593.

Non formidabitur Hieroſolyma, vt diruatur,] aliâs, formidabit.

Fol. 596.

Non pudet nec vadem quærere, nec fideiuſſorem dare, ne euerſionem exhibeam, qui volo parcere,] exemplar vet. Non pudet me vadem quærere, fideiuſſorem dare, ne euerſorem exhibeam.

Flere adhæc Ioſephus, rogare Iohannem, deplorare patriæ ſtatum, obſeruare ſermone flebili] Aliàs, obſecrare ſermone flebili.

Cùm iam relinquerit eam præſidia diuina] Aliàs, reliquerint.

Fol. 597.

Quia



Quia iam defendi templum non placet, interdicto maculato ſanguine purgari incẽdio placet] exemplar vet. interdicto maculatum ſanguine purgari, &c.

Cap. 34. fol. 599.

Atque in ipſa irrumpunt temeritate penetralia] Aliàs, temerè.

Fol. 600.

Titus adhuc in propoſito manens alloquebatur Iohannem, & inultum ſe deduci ad excidium vrbis] exemplar vet. indicat ſcribendum, & inuitum ſe deduci, &c.

Fol. 601.

Seruabo templum vobis & proſelytis: cultus ſacrorum diuerſus, ſed operis cõmunis vſus] Manuſcriptus hîc legit, ſeruabo templum vobis etſi nolitis, cultus enim, &c.

Cap. 35.

Vbi ne his quidem per Ioſephum inſinuatis reuocari Cæſar aduertit: factionis enĩ principes putabant diffidentię potius, quã pietatis eſſe] marginalem ibi annotationem diuerſæ lectionis, vt potiorem, agnoſcit exemplar vetus. Fol. 602.

Cõferto agmine, inſtabat Romanis] aliàs, Romanus. Cap. 36. fol. 605.

Alios accerſerunt ad prælij ſocietatem,] Aliàs, neceſsitatem.

Tunc

Tunc vnus è turba, Pedanius nomine cõcito equo dextrã extendit,] codex vet. legit, Tunc vnus è turma equitum, Pedanius nomine, &c.

Captiuum Cæſari ferens, glorioſeque victoriæ victor rapinæ:] Exẽplar vet. non habet dictionem, victoriæ, quæ etiam ſuperflua videtur.

Cap. 37.

Iam circumfuſæ templi ardebant porticus,] aliàs, templum.

Quando aliter iam nequibant, prouocabant Romanos ad excidij celeritatem,] aliàs, laceſſebant, ſuprà eadem dictione vſus eſt.

Fol. 608.

Vt culminum interiora replerent pice ac bitumine, quæ infrà fornicem ſummi laterent faſtigij,] aliàs, intra fornicem.

Admouetur ignis fornicibus interioribus, atque additis pice & bitumine, atq; cæteris incendij nutrimentis, in totum diffunditur porticum,] codex vet. legit, atque adultus pice & bitumine, &c.

Cap. 39. fol. 610.

Sequenti quoque die à Romanis quoque exuſta eſt omnis porticus ſeptentrionalis, vſque ad orientalem,] aliàs, vſque ad porticum orientalem.

Nam



Nam cum ſuis ipſi manus inijcerent ædificijs, docuerunt Romanos illis non parcere,] aliàs, alienis non parcere.

Cap. 40. fol. 611.

Belli horrore oborto,] aliàs, terrore.

Fol. 612.

Sæua fames intimis ſe infudit medullis, exaſperauit humeros] ſcribendũ, humores.

Fol. 614.

Conſedite ocyùs, menſam apponã, mirari, habetis & miniſteriũ meũ iudicare, quòd talem nullius inueneritis mulieris affectum, quæ vos nec dulcis filij fraudaret gratia,] In exemplari vet. aliter nonnihil iſta leguntur, ac diſtinguuntur, Cõſidite ocyùs, menſam apponam, mirari habetis, miniſteriũ meum iudicare, quòd talẽ nullius inueneritis mulieris affectum, &c.

Fol. 615.

Venerunt necaturi, cõuiuæ facti ſunt, habebunt ipſi, quod debeant cum epulas meas ſumpſerint,] aliàs, habebunt ipſi, quod mihi debeant, quum epulas, &c.

Aut ſi vos in meo vulnere miſericordes, & non ſuſcipitis hoſtiam meam,] in codice vet. additur verbum, eſtis, aut ſi nos in meo vulnere miſericordes eſtis, & non, &c.

Cap. 41. fol. 617.



Sed

Sed quid facerẽ repugnantibus, ſed quid facerẽ aduerſus ſuos furentibus] poſterius, ſed, in manuſcripto omittitur.

Fol. 619.

Poſtremò quid amplius poteſt eſſe quando hic audacia deeſſe poteſt,] cod. vet. quando his audacia deeſſe poteſt.

Ipſa quin etiam, quæ poſt mortem viuere ſolet, apud quos naturæ pietas mortua, & ſuperſtes defunctis religio] manuſcriptus, apud hos naturæ pietas mortua.

Quis enim parentes non etiam mortuos diligat? Quis enim amiſſos filios non amet, & loco pignorum teneat?] Aliàs, Quis etiam amiſſos filios nõ amet, præceſsit paulò antè particula, enim.

Fol. 620.

Sed quid quaſi nouum arguo, cùm parricidio fraterno generis ſui numerent exordia?] in exemplari vet. additur prępoſitio, à, cùm à parricidio fraterno.

Denique veterem illum quaſi prudentiorem non feciſſe aiũt, ſed voluiſſe iſtum quaſi conſultiorem perſeueraſſe] in codice vet. legitur, iſtum quaſi incõſultiorem perſeueraſſe: per iſtum intelligit Iepthen, qui ob id quod venerat domino filiam vnigenitam occidit: per veterem illum intelligit Abrahamũ, cui nõ cõtigit, vt filiũ ſuũ Iſaac mactaret.

Ha-



Habeát ſuos ritus duritatũ homines, apud quos diſciplina eſt filios occidere] ex vetuſto codice legendum videbatur: Habeant ſuos ritus tam duri homines, in margine verò adſcripta erat hæc lectio: Habeant ſui ritus duritatem homines: prior tamen commodior videtur.

Fol. 621.

Infelix ciuitas, in qua talis officina, tale myſterium eſt] Aliàs, tale miniſterium eſt.

Cap. 42. fol. 622.

Duces tamen aſſerebant valitudinẽ parietum & munitionem templi,] Codex vet. habet, validitatem parietum.

Fol. 624.

Quia erat decimus dies Ioma mẽſis, quem iam dudum inter funeſtos annumerabant] in exẽplari vet. ſcriptum erat, Loina, quod propriùs accedit ad verum nomẽ Loi, quod prius ſcriptum fuiſſe apparet: Nam menſem hunc Loun à Macedonibus dictum Suidas teſtatur: Græcè enim Λῷος, Auguſtus nominatur.

Cap. 43. fol. 625.

Qua ſpecie plerique exanimati; alij ſe in ipſos miſere ignes] Codex vet. legit, immerſere, quo verbo autorem ſuprà frequentius vſum legimus.

Fol.626.

Et inferebant munera prædones religionis,] in cod. vet. ſcribitur, prædones regiones, qui alteram etiam lectionem annotatā habebat. Cap.44.

Ipſis autem paſchæ diebus, Xantici menſis octauo die] Xanthicum menſem Macedonibus fuiſſe vocatum, qui nobis Aprilis eſt, Suidas teſtatur.

Fol.628.

Primum, quia non quod nobis videatur, aſtruimus, ſed quid acciderit] aliâs, quia nō quid nobis videatur.

Fol.629.

Quòd etiam antequā crucifixiſſent Chriſtum Ieſum, liquidò ſignificatum lectio docet,] Aliàs, antequàm crucifigerent.

In ipſa autem Pētecoſtes ſolennitate, qui ingredientes Sacerdotes in templi interiora nocturno tempore, vt ſacrificia aſſueta celebrarent,] dictionem, qui, non habet vet. exemplar, & contextum orationis nonnihil conturbat.

Fol.631.

Sed ad ſingula verbera non ſuum, ſed patriæ excidium flebiliter plorabat,] aliâs, deplorabat. Fol.632.

Et fundibulo ictus, in eadem voce amiſit



ſit ſpiritum,] in codice vet. legebatur, fundibalo, & fortaſsis ſcribēdum fuerit, à fundibulario ictus, infrà in Anacephaleoſi legitur, & fundibari ictu in eadem voce amiſit ſpiritum.

Fol.633.

Id alij ad Veſpaſianum referendum putarunt, prudētiores ad Dominum Ieſum, qui eorum in terris ſecundum carnem genitus ex Maria, regnum ſuum per vniuerſa terrarum ſpatia diffudit,] vetus exemplar duas dictiones hic addit, dum legit, qui de regione eorum, in terris ſecundū carnē genitus.

Tantis itaque rebus aduenientibus non poſuerunt capere, quod diuinitùs decernebatur,] pro, aduenientibus, aliâs ponitur, mouētibus, & pro, capere, cauere, vt in Anacephaleoſi.

Cap.46. fol.635.

Quid putabatis? quòd Romanæ acies vobis cederent, & multitudine circumueniretis victorem, victorem omnium exercituū,] ex manuſcripto legendum, victorem omnium terrarum exercitum.

Quota portio vrbis pugnauit, quia vniuerſum nec regio veſtra ſuſtinere poterat, nec ſinebat neceſsitas,] legendum, Quota portio orbis pugnauit, &c.

Maior enim cura tuendi nobis orbis quàm propugnandi] Ex codice vet. ſic legendum conſtat: Maior enim cura nobis tuendi orbis quàm propagandi.

Fol. 636.

Nõ inuideo vobis aliena beneficia. Vidit vos mare & fugerit, vt clauſi ab hoſte fugeritis] codex vet. legit, viderit vos mare, vt in margine eſt annotatum, & pro, fugeritis, fugeretis.

Fol. 637.

Romanæ itaque virtuti concederũt fontes] ſcribendum, conſiderunt.

Cõuerſus ſit Iordanis veſter, vt dicitis, atq; in fontẽ reuertit, vt vobis iter pãderet] cod. vet. leg. reuerterit, vt pri' impſsi libri habẽt.

Nobis annuum pendet tributum,] ſcribendum, pendit.

Ipſa auferre Antiochia ſedes Dominorum veſtrorum non ſtudioſè ſuos repudiauit, & nos Dominos elegit] vet. codex monet hîc tranſponendas dictiones, & certè omiſſo verbo, auferre, ita legendum videtur: Ipſa ſedes dominorum veſtrorum Antiochia, nónne ſtudioſè ſuos repudiauit, & nos Dominos elegit? Antiochiam vocat ſedem dominorũ, quòd Antiochi, & alij Reges Syriæ dominati ſunt aliquando Iudææ, & ipſi vbi Hieroſolymorum: quòd ſi quis velit retinere verbum, auferre, tũc alia dictio fuerit addenda, videlicet, ſolita, aut ſimilis, & ſententia erit, Antiochia ſolita auferre ſedes dominorum veſtrorum, nónne ſtudioſè ſuos repudiauit, &c. prior tamen lectior cõmodior videtur.



Fol. 641.

Nunc me demum rogatis, quaſi iam quicquam ſuperſit, quale conſumptum eſt] Codex vet. quale iam conſumptum eſt.

Cap. 49. fol. 646.

Iamque inſurrexerant aggeres, & ferire cœperant arietes murum] manuſcriptus legit, ſed & ferire cœperant.

Septima die menſis, quem Gorpienſem nuncupant] Codex vet. Gorpiæum, legit: is September nobis dicitur, vt Suidas docet.

Fol. 647.

Aut à quocunq; homine interemptum,] Aliàs, Aut à quocunq; peremptum milite.

Fol. 648.

Sed non eiuſdẽ regionis omniũ & loci,] in manuſcripto tranſpoſitæ ſunt dictiones, ſed non omnium eiuſdem regionis & loci.

Cap. 50. fol. 649.

Siue prædandi cupiditati] Codex vet. cupidine.

Regem Hyrcanorũ, qui locis præerat, ſolicita-

licitarunt,pretione an defenſione incertũ,] vet. Exemplar habet,pretione an diſſenſione inter ſe gentium incertum.

Et alis pariter ad dextrã noxis,] legendũ, alijs. Fol.650.

Dum præliatur tamen iaculo,incertus in poteſtatem hoſtium viuus conceſſerat] ſcribendum,laqueo inſertus.

Fol.651.

Simul vt familiarem ſibi eminùs decernendi conſuetudinem refugiendiq; facultatem fraude tali prætexerent,] aliàs,refugiendique facilitatem. Cap.51.

Opimis itaque vtriuſque regni ſpolijs,ad propria recurſum fecere,] ſcribendũ ex codice vet.Opimi itaque vtriuſque regni ſpolijs:Dicit enim Cicero, opimus præda vir.

Perimebantur in arena Iudæi,quacunq; pergebant,] codex vetu. pergebat, legit,ad Titum referens poſterius verbum.

Cap.53.fol.654.

Non enim ex euentu victoriæ,quæ frequenter incerta eſt,ſed ex propoſiti cõſtantia virtus expectatur,] ſcribendum, virtus ſpectatur.

Sed non ita vos pater inſtituit Abrahã: ſed qui in filio vnico docuit,] In codice vet. poſterius,ſed,omittitur.

Fol.



Folio 655.

Quam lætalẽ ſagittæ ictum ſubiret] Scribendum,lethalem.

Folio 655.

Hîc enim currimus, vt illic ad palmã perueniamus: hîc certamen,illic præmium] Aliàs,ibi præmium:præceſſit enim paulò antè dictio, illic.

Non ergo illa hîc longæuæ ætatis gratia eſt] Aliàs,Non ergo vlla hîc longæuæ ætatis gratia eſt.

Folio 656.

Denique Abel citò occiditur, Cain ſuperuixit:ita mors innocentiæ fuit,& vitæ ærumna] Aliàs legitur, occidit, & ſcribendũ videtur,& vita ærumnæ, vt reſpondeat priori membro.

Nec ingreſſus eius aut exitus eius vllo aſpectu deprehenditur] Poſterius,eius ,in veteri codice omittitur.

Folio 657.

Quis ergo dubitet, quod ei ineſſe videatur immortalitatis operatio, cui virtus ſit mortem aueitere] Aliàs, Cuius vſus ſit,&c.

Dum enim ſumus in corpore, ſeruit anima noſtra, ah miſerã quidem ſeruitutẽ, quę de paradyſo exulat] Aliàs legitur, ac miſera quidẽ ſeruitute, qua de paradyſo exulat.

 Folio

Folio 658.

Et contubernium cadaueribus dereliquerit] Aliàs, cadaueris.

Indicio nobis eſt quies, quantam anima per obitum corporis reſumat gratiam ] Aliàs, quantam anima poſt obitum corporis.

Et quod in ſomno imago, in morte veritatis paſsio eſt, & libertatis gratia] Hunc locum corruptum reſtituit nobis codex vet. qui legit: Et quod in ſomno imago, hoc in morte veritatis poſſeſsio eſt, & libertatis gratia.

Folio 659.

Benedicere alios, nec inuidere, quòd ad meliores ad ſplendidiora loca, purioraque feſtinent conſortia ] Codex vetus legit: Quòd ad meliores inhabitatores, ſplendidiora loca, puriora feſtinent conſortia.

Folio 660.

Quò igitur fugiemus à facie Dei? quò ibimus infenſo nobis cæli Domino ] Aliàs, aut quò ibimus, &c.

Folio 661.

Nónne Syriam totam quidem impleuit dementia] Aliàs, Quædam impleuit dementia.

Folio 662.

Hæc è contrario aduerſum ſe Iudæi decreuerunt ] In margine aliàs, decertauerunt:



runt: quam lectionem agnoſcit vet. codex.

Ibidem.

Damaſceni, nulla exiſtente cauſa, octo millia Iudæorum ſtrauerunt ] Ioſephus hîc octodecim millia interfecta narrat: quare dictionem, decem, à librario omiſſam veriſimile eſt.

Folio 664.

Nec eſt, qui in tabernaculis inhabitet] Aliàs, tabernaculis tuis inhabitet.

Immites animi, qui velle poſſunt, quòd tantis ſuperſint doloribus ] Aliàs, vt tantis ſuperſint doloribus.

Folio 665.

An ſortibus ſubire cogédæ miſerabiles] Aliàs, an ſortitus ſubire, &c.

Folio 666.

Duro quidem poſt vincula, poſt carcerẽ, poſt iugum ſupplicio, ſed tolerabiliora viris, ſi ludibrio vacet] In manuſcripto legebatur: Sed tolerabile viris, quod ludibrio vacet, vel vacat: prior tamen lectio vt potior, fuerat adſcripta.

Si infirmiores ſumus, auferamus eos cruciatibus futuris: ſi fortiores ſumus, vincacamus compaſsiones parentum, affectus neceſsitudinum, & in hoc vincamus hoſtem, cùm prædam tollimus ] Ex vetuſto codice ſic

ſic legendum videtur: Si infirmiores ſunt, auferamus eos cruciatibus futuris: ſi fortiores, vincamus compaſsiones parentum, affectus neceſsitudinum, & in hoc vincamus hoſtem, cui prædam tollimus. Nam argumentatur hoc loco Eleazarus, coniuges & liberos occidendos, vel quia infirmiores eſſent quàm vt ferre poſſent grauiores cruciatus, qui veriſimiliter ab hoſtibus inferrentur, v hoc genere mortis, quemdamodum exiſtimabant, leuiore, pœnis grauioribus ſuos ſubtraherent: ſin fortiores putarentur, quàm vt cederent cruciatibus, nihilominùs à ſuis interfici debere, ne hoſtibus ludibrio ſint, & ipſi hoc modo ſuos chariſsimos vincant affectus, & hoſtē etiā in hoc quodammodo vincāt, cui prædam optatam tollunt. Verùm meritò hîc exclamat Ioſephus: Miſeri, quibus id neceſſe fuit, quibusque filios atque vxores occidere, malorum omnium videbatur eſſe leuiſsimum.

Folio 667.

Audire vocem paruuli vagientis vocantis patrem, vt auxilio ſit petenti, cùm iam fruſtrà audias reuinctas manus, & captiuæ ceruicis iugo ſubditos?] Annotatum erat in codice veteri ſcribendum, reuinctus manus & captiuæ ceruicis iugo ſubditus, vt intelli-

gatur



gatur de patribus & maritis, non autem de liberis & vxoribus. Nam & in eam ſententiam ſcribit Ioſephus: Videbit alius coniugem abduci, alius manibus reuinctis vocem filij patrem implorantis exaudiet.

Folio 668.

Has illi claues refundimus] Aliàs, illis, videlicet vxoribus.

Fiat nobis libertatis ſepulchrum, quæ fuit dignitatis domicilium] Codex vetus legit, Fiat nobis patria libertatis ſepulchrum.

Folio 669.

Et compreſſo viriliter affectu, paſsionē excluſerunt] In veteri codice in margine aſſcriptum erat: Et compreſſo viriliter affectu omnes ſe mollitie exuerunt, & paſsionem excluſerunt.

Vna mulier ſola ſuperfuit, quę filios quinque in aquæ ductu abſcondit] Ioſephus verò duas inuentas fuiſſe mulieres refert: Latuit, inquiens, vna mulier ſenior, & alia quędam Eleazari cognata plurimùm doctrina, ſapientiaque mulieribus præſtans, & quinq; pueri per cuniculos, qui aquam ſub terra ad vſum potus ducebant, abditi. Hoc autem tam inſigne & memorabile facinus perpetratum fuiſſe ſcribitur quinto decimo die Aprilis, Anno ab expugnata Hieroſolyma

ſecundo

ſecundo: à natiuitate vero Chriſti ſeptuageſimo quarto, aliàs quinto.

## CORNELII GVALTHERI caſtigationes & annotationes in Anacephaleoſin.

Folio 670.

Ipſa quoque eorum ciuitas Hieruſalem inteſtino prælio laborabat] Codex manuſcriptus, quem nobis ſuppeditauit monaſterium ordinis Ciſtercienſis prope Brugas in Flandria, vulgò Doeſt nuncupatum, legit: Ipſa quoque eorum ciuitas Hieruſalem trino intra ſe prælio laborabat. Quã lectionẽ videre eſt in ipſo autore ſuprà libr. 5. cap. 1. vbi tres diuerſas in ciuitate factiones enumerantur: Iohannis ſcilicet, Simonis: & Eleazari, qui inter ſe ſtrenuè dimicabant, quare trino prælio ciuitatem laborare dictum eſt. Quàmuis fieri potuerit, vt qui hunc epilogũ compoſuit, inteſtino prælio ciuitatem laboraſſe ſcripſerit, cùm eandem propemodũ referat ſententiam.

Mœſta omnia & plena horroris & immanitatis] Aliàs, & plena immanitatis.

Vbique luctus, pauor, vbique clamor mulierum



lierũ] Aliàs, pauor vbique, ſubijciendo comma, clamor mulierum.

Folio 671.

Quomodo decepta es populis tuis, quibus videbaris beata] Aliàs, quibus quondã videbaris beata.

Folio 672.

Atque omnem ſuauitatem Pſalmorum tuorum ex perditorum ſenſibus abluerit] Codex monaſterij Doeſtenſis legit, expeditorum ſenſibus aboleuerit, & nomen expeditorum, ad proximã dictionem videlicet, Pſalmorum, accommodare videtur. Prçtereà pro, abluerit, aboleuerit, quemadmodum & ſuprà ex vetuſto codice legendũ admonuimꝰ, vbi ſcriptũ habebat, abſoluerit. Lib. 5. cap. 2.

Ideo in te Iudæa arma conuertuntur, orationes tuæ nihil tibi pr oſunt, quia fides tua nihil operatur] Suprà in ipſo autore additur dictio, tua, ideoque in te Iudęa arma conuertuntur tua, orat. tu. &c.

Folio 673.

Quid tantum miſerabilis ciuitas, Romanus ſuis armis, quantum populus tuus malorum inuexit?] Suprà legitur, quid tantum tibi miſerabilis ciuitas.

Vt Romani pugnarent, tui fecerũt] Aliàs, vt cum Romanis pugnares, tui fecerunt.

Folio

Folio 674.

Iacuerunt in te Ananus & Iohannes inſepulti. Suprà legitur pro, Iohannes, Ieſus, & ita Ioſephus ſcribendum oſtendit: quàmuis lib. 4. cap. 9. Iohannes pro Ieſus, ſemel poſitum inueniatur.

Quæ cauſa autem mortis fuit Anano, niſi quòd increpuit populum tuum, quia non reſurgeret pro templi defenſione ] Codex Doeſtenſis legit, quia non inſurgeret pro templi defenſione.

Relinquendum aſſerebat populum vſu ſimulachrorum inſenſibilium, & ſtatuarum more nihil iam ſentientem commaculatũ] dictio, commaculatũ, videtur eſſe ſuperflua, cùm in eo loco, vnde hæc deſumpta ſunt, nõ legatur, quod ſi quis retinendam putat, tum illa dictioni, inſenſibilium, ſubiungenda fuerit.

Muta iam animalia referre ſolent ] Pro, iam, videtur legendum, enim.

Folio 675.

Et pro obſeruatione patriæ mori maluit, quàm regijs imperijs obtemperare ] Patriæ, dixit pro, legis patriæ, quod apud Ioſephũ frequentiùs legitur.

Folio 676.

Ne furentibus tuis inter ſe viſceribus, manum



num admouere contagionis magis quàm fortitudinis æſtimarentur] Codex Doeſtenſis legit: Ne manum admouere contagionis magis quàm fortitudinis ęſtimaretur, illud, furentibus tuis, &c. parentheſi includens.

Folio 677.

Pro thymiaterijs benè ſpirantibus ] Ex codice Doeſtenſi ſcribendum, thymiamaterijs.

Folio 678.

Eoque ſeruatos, vt viderent cum patria ſolum etiam negari ius naturæ à viuẽtibus, pacem ciuibus, ſepulturam defunctis ] Locus multum corruptus, quem ex ſuperioribus ita reſtituendum colligimus: Eoque ſeruatos, vt viderent cum patria ſimul ſolui etiam leges naturæ, negari ius viuentibus, pacem ciuibus, ſepulturam defunctis. Patriam hic rurſus poſuit pro patrijs legibus.

Effuſus ſanguis, vt ſignaret deeſſe, qui ſepeliret ] Sic vera lectio reponenda eſt: Effuſus ſanguis, vt ſtagnaret in templo, deeſſet, qui ſepeliret.

Quia viuentium in mortuos, à mortuis in eos, qui adhuc viuerent, furor transferebatur] Aliàs, Quia à viuentibus in mortuos, à mortuis in viuos, &c.

Folio 679.

Niſi cùm Dominum verè templum Dei

 dome-

domeſticis manibus crucifixerunt. Propter quod & illud audiant: Soluite templũ hoc] In codice Doeſtenſi legitur: Propter quod illud templum audiant: Soluite templum hoc, &c. ſed cùm hoc aliquanto obſcuriùs dictum videri queat, lectionem, quam autor ſuprà ponit, aſſcribam: Et quod illud tẽplum? audiant: ſoluite templum hoc, &c.

Folio 680.

Tunc verè ſancta eorum abſumpſit ignis diuinus] Aliàs, ſancta ſanctorum abſumpſit ignis diuinus.

Folio 681.

Per ſingula autem quaſi contubernia, nõ pauciorum quàm decem hominum fiũt: ſolum enim epulari non licet, multi enim vicini conueniunt] Quàmuis etiam manuſcripta exemplaria hîc conſtanter legant, vicini, tamen ex Ioſepho, vnde hic locus mutuatus videtur, apparet ſcribendum, viceni: intelligit enim contubernia eorum non tantùm ex decem, ſed aliquando ex viginti hominibus conſtitiſſe.

Folio 682.

Nec enim leproſis aut vitiliginoſis, aut ſemine fluentibus, quos gynęcicos vocant] Dictio gynæcicos etiam in ſcriptis exemplaribus deprauata eſt, cùm ſcribendum cõſtet ex



ex Ioſepho, quos gonoroicos vocant: ita enim Græci ſemine fluentes nominant.

Neque alijs inquinatis participari ſacrificia permittebantur] Scribendum, participare.

Folio 683.

Quibus nec mors quidem eius, vel fidei, vel gratię finem impoſuit: imò etiam commaculauit deuotionem] Scribendum, cumulauit deuotionem.

Sed Iudæorum amentia coacerbatur] Aliàs coaceruatur.

Folio 685.

Qui apparuit diſcipulis ſuis, pòſt triduo mortis ſuę viuens ſecundum Prophetarum ſcripta] Aliàs, poſt triduum.

Quia fauere nefas putauit] legendum, fallere.

Folio 689.

Qui noſſet omnia ſolus, patrem quoque ſanguine ſuo toti mundo reconciliaret] Aliàs legitur, Solus quoq; patri ſanguine ſuo totum mundum reconciliauit.

Intùs thymiaterium, intùs menſa, intùs lucerna] Codex Doeſtenſis legit, thymiamaterium, & ſic in ſequentibus ſcribendum.

Folio 690.

Lucerna, quæ ſuper candelabrum ponitur, antè ſub modio erat, id eſt, legis men-

 ſura

ſura, nunc eſt in gratiæ plenitudine heptamycho frequens lumen effundens, &c.] De forma huius candelabri ſcribit Ioſephus libro ſeptimo belli Iudaici, cap. 24. Spolia verò alia quidem paſsim ferebantur, eminebant autem ea, quæ in templo reperta ſunt: Menſa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum ſimiliter quidem auro factum, ſed opere commutato abuſus noſtri conſuetudine. Nam media quidem columna baſi inhærebat, tenues autem ab ea cannulæ producebantur, formatæ ad ſimilitudinem faſcinæ, ad ſummum quæque in lychni ſpeciem fabricatæ. Erant autem numero ſeptẽ, ſeptimi diei, qui apud Iudęos eſt, indicantes honorem: Hæc Ioſephus. Candelabrũ hoc tabernaculi, typum quendam eſſe generis humani docti quidam annotarunt, ac mira de eo tradiderunt. Hîc autem heptamycho dicitur frequens lumen effundere, quia ex illis ſeptem lucernis, quæ in ſummitate candelabri erant, velut è totidem acetabulis ſiue receptaculis lumen præbebatur: id enim Græca vox ἑπτάμυχος ſignificat.

Folio 691.

Vt ſequeremur perfectiora] Alias, vt ſequerentur perfectiora.

Vitulæ quoque aſſeruerunt partu, cùm immolanda



immolanda aſtaret altaribus, in medio templi agnam editam in ipſis ſacrorum, quæ ſuprà memorauimus celebritatibus.] Locus prima facie nonnihil obſcurus: nam ſi verbum, aſſeruerunt, ad dictionem, vitulæ, referas, ſenſus vtcunque conſtare videtur: ſed quod ſequitur, non ita conuenit, vbi vna tantùm vitula altaribus aſtitiſſe immolanda ſcribitur: & bouis etiam Ioſephus tantùm meminit. Itaque verbum, aſſeruerunt, ad Iudęos referendũ videtur: vt aſſeruerint, ſubaudiẽdo Iudæi, agnum editum partu vitulæ, ſiue bouis: Aliàs legit, vitulæ quoq; partu aſſeruerunt. Quòd additur, agnam editam, aliàs, agnum editum ſcribitur, vt habet Ioſephus, qui ita rem enarrat: Eodemque feſto die etiam bos, cùm ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Li.7. ca.12

Orientalem quoque portam interiorem ſolido ære grauem, quæ ſoleret ad veſperam viginti virorum claudi labore, obſeratis vectibus ferreis, per aliquot noctes ſponte reſeratam] Aliàs additur dictio, multo, Quæ ſoleret ad veſperam multo claudi labore: Nã refert Ioſephus, cùm eſſet ænea & grauiſsima, vix à viginti viris ſub veſperã claudi potuiſſe: & pro, obſeratis, ſcribitur, obſeratam vectibus ferreis. Nam apud Ioſe phum

phum legitur: Quum ſeris ferro vinctis obſeraretur.

Folio 692.

Conſultiores autem aiebant cuſtodiam templi reſolutam videri, vt quæcunque intùs forent, ab hoſtibus diriperentur, exiret cultus interior, & vaſtitate euacuaretur, celebritas ſacrificiorum deſtrueretur] Hic locus in ipſo autore ad hunc modum legitur, ac diſtinguitur: Vt quæcunq; intùs forent, ab hoſtibus diriperentur, exiret cultus, introiret vaſtitas, euacuaretur celebritas, ſacrificium deſtrueretur, &c.

Folio 694.

Sed hoc tanquàm lugubre atque funereum canticum canens, diebus & noctibus iugiter reſultabat, neque cibum impertienti gratias agebat] Quæ hîc deſunt, ex codice Doeſtenſi ſic reſtituimus: Diebus & noctibus reſultabat: Væ Hieroſolymis, inſeritur. Præterea clauſula, cui ſequens membrum, quod alioqui imperfectum erat, ex aduerſo reſpondeat, videlicet, Neque verberanti conuitiabatur, neque cibum impertienti gratias agebat.

Per ſeptem itaque annos, & quinq; menſes eadem verborum ſeries, idem vocis ſonus. Manſit itaque indefeſſus tanto tempore]



pore] Aliàs hæc aliter ſuprà diſtinguuntur, videlicet, vt verbum, manſit, priori ſententiæ adiungatur, hoc pacto: Eadem verborũ ſeries, idem voce ſonus manſit. Itaque indefeſſus tanto tempore.

Folio 695.

Interque illud præcellentiſsimum, quod in literis æquè vetuſtis] Aliàs, inter quæ illud præcel. &c.

Id alij ad Veſpaſianum referendum putarunt, prudẽtiores ad Dominum Ieſum, qui ſecundum carnem genitus ex Maria, regnum ſuum per vniuerſum mundum diffudit] Apud autorem hæc addita legimus: Qui de regione eorum, in terris ſecundum carnem genitus ex Maria, &c.

Folio 696.

Tantis itaque rebus manentibus, non potuerunt cauere, quod diuinitùs decernebant] Pro, manentibus, ſcribendum, monẽtibus: & dictio, cauere, quæ hîc expreſſe legitur, ac magis propria ſententiæ videtur, fecit, vt variam ſuprà lectionem annotarẽ, quàmuis exemplaria tam ſcripta quàm impreſſa conſtanter eo loco, capere, legant.

Inter cætera diffidentiæ verba, abiectionis ſuæ à Deo ſic conqueſtus eſt] Diſtinctio-

ctio hîc dictioni, verba, adiecta, locum diffi ciliorem intellectu reddit, quæ poſt dictionem, Deo, ponenda videtur, quamuis adhuc imperfectus ſenſus, & aliquid ſubaudiendum videatur.

Mutata ventorum flamma, flammæ retortæ, vt noſtra ſubſidia demerentur,] Aliàs legitur, ventorum flamina, & pro, demererentur, codex Doeſtenſis legit, deurerentur, cuiuſmodi verbũ præcedentia omninò exigunt.

Fol.697.

Quis hoc dubitet, cũ videat, quòd in nos manus noſtræ conuerſæ ſint, pluresque ſeditio domeſtica, quàm bellum extinxerit? Non donabo Romanis quod vicerint.] Ab hoc loco, Nõ donabo Rom. quod vicerint, vſque ad illud, Vbi eſt maxima ciuitas Hieruſalem, omnia in codice Doeſtenſi omittuntur, qua de cauſa neſcio, niſi quòd fortaſſè librarius aliquis, aut ipſe potius huius Anacephaleoſæωs autor, illa omittenda putauerit, tanquàm huic Epilogo pro decoro orationis breui ac ſuccincto, minus apta.

Fol.698.

Damaſceni nulla exiſtente cauſa octo millia Iudæorum ſtrauerunt] Ioſephus verò octodecim millia enumerat, dum ſcribit, Vbi etiam



etiam Damaſceni, cùm ne cauſam quidem probabilem confingere potuiſſent, ciuitatẽ ſuam cæde nefaria repleuere, octodecim milibus Iudæorum cum coniugibus ac familijs iugulatis.

Fol.699.

Cùm pertinacius ſe de ciuibus vltum iri vellent] Aliâs, vltum ire vellent.

Verùm quid in leuioribus moror, cũ excidium totius vrbis in vnius ciuitatis ruina nobis deplorandum ſit] legendum eſt hîc, pro vrbis, quamuis id exemplaria manuſcripta habeant, orbis, vt ex ſequenti loco colligitur, vbi ſcriptum eſt: Omnes interfecti, & qui te iugiter inhabitabant, & qui ad te & totius orbis terrarum partibus conueniebant, vt non dubium ſit, totum in te mundum perijſſe.

Fol.700.

Nec eſt qui in tabernaculis inhabitet] legendum, vt antè monuimus, tabernaculis tuis inhabitet.

Fol.700.

Duri oculi qui hæc videre poſſunt, immites animi qui vel poſſunt, quòd tantis ſuperſint doloribus] varia eſt huius loci lectio. Codex Doeſt. legit, duriores qui hæc poſſunt videre, immites animæ quæ velle poſſunt,

ſunt,vt quid tantis ſupereſſe doloribus? Duriores, poſitum eſt hic pro, duri oculi,& poſtrema clauſula per interrogationem effertur, vbi etiam ſi pro, ſupereſſe, legas, ſupereſſem, vel ſupereſſent, aut aliquid præterea ſubaudias, tamen adhuc minùs dilucida erit oratio. Poterit autem talis etiam eſſe lectio, immites animæ quæ vel poſſunt tantis ſupereſſe doloribus, vel vt ſuprà in ipſo autore habetur, immites animi qui velle poſſunt, vt tãtis ſuperſint doloribus, vel poti', immites animi qui velint aut poſsint tantis ſupereſſe doloribus. Adijciã & hãc lectionẽ, ſi cui magis arrideat, immitis animi qui velit ſe poſſe tãtis ſupereſſe dolorib'. Fo.702

Quis hæc videns & de comperendinatione viuendi cogitans,&c] ab hoc loco, vſque ad illud, quod infrà ſcribitur, Cùm Iudæi ſibi manifeſtè iratum ex rerum euentibus Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, Codex Doeſtenſis illis omnibus omiſsis ſuperiori clauſulæ, vbi legitur, Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam ſeruauerit, ſtatim ſequentia adiungit, Huiuſcemodi finem ſortita eſt gens illa quondam ſancta, populus acquiſitionis, funiculus hæreditatis Domini, pro merito ſuæ infidelitatis: Cùm



Cùm enim (vt ait Apoſtolus de gentibus) Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt: & reliqua vſque ad finem libri. Fol.702.

Et id genus plena diffidentiæ & deſperationis. Alia multa, ex quibus omnibus cùm Iudæi ſibi manifeſte iratum ex rerum euentibus Deum cognouiſſent, non ſicut Deum, &c.] Quamuis meritò hîc nonnulla deeſſe videantur, nec poſſe illa tantum ſubaudiri, tamen veram & integram lectionem ex manuſcriptis codicibus reponere hoc loco nõ licuit, nihilominùs quemadmodum contextus orationis vtcunque reſtitui poſsit, paucis indicabimus, videlicet ſi hoc pacto legatur: vel exemplo debet nobis eſſe pudendum, vel viſu mirabile, vt reſeruemur, aut beſtijs aut fratribus præliaturi. Et id genus alia multa Eleazarus in medium proferebat diffidentiæ & deſperationis plena. Ex quibus omnibus, & ipſis rerum euentibus cùm Iudæi ſibi manifeſtè iratum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, &c. Suprà quoque quædam ad hunc locum pertinentia leguntur, vnde etiam hunc locum deſumptum apparet, vbi ſcribitur, vt autor turbarum Eleazarus, cùm in Maſſada caſtello obſideretur, rebus iam deſpe-

ſperatis, inter cætera diffidentiæ verba ab. iectionis ſuæ à Deo, ad hunc modum conqueſtus ſit: O miſeri, ad quam ſpem iſtius vitæ nos reſeruamus, eſto hoſtis agnoſcat, quid proderit, cùm Dei offenſa clara ſit? ignes ab hoſte in nos verſi, mutata ventorum flamina, flammæ retortę, vt noſtra ſubſidia deurerentur: quis poterit aduerſante Deo viuere? nullus veniæ locus, ſed manifeſtum voluntariæ mortis imperium, &c. De huius itaque loci emendatione hęc pro tempore admonenda duximus.

FINIS.